IOANNES WIGGERS
DIESTENSIS
IN
SECVNDAM SECVNDAE
DIVI THOMÆ
AQVINATIS.
DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS
CVM SVIS ADNEXIS.

IN SECVNDAM SECVNDÆ
DIVI THOMÆ
AQVINATIS
COMMENTARIA
IOANNIS WIGGERS
DIESTENSIS

S. TH. DOCT. AC PROFESSORIS REGII
IN SCHOLIS PVBLICIS
ACADEMIÆ LOVANIENSIS.

A Quæstione I. vsque ad Quæstionem XLVI.

DE TRIBVS VIRTVTIBVS THEOLOGICIS
CVM SVIS ADNEXIS.







LOVANII,
Apud IOANNEM OLIVERIVM,
& CORNELIVM COENESTENIVM,
M. DC. XXX.

ADMODVM REVERENDO
IN CHRISTO PATRI DOMINO

D. IOANNI DRVSIO

INSIGNIS MONASTERII

PARCENSIS

INSTITVTI NORBERTINI PROPE LOVANIVM

ABBATI MERITISSIMO

REVERENDISSIMI GENERALIS ORDINIS
PRÆMONSTRATENSIS IN PROVINCIIS
BRABANTIÆ ET FRISIÆ

V I C A R I O, &c.

ADMODVM REVERENDE D. PRÆSVL:

DIVINÆ Sapientiæ studium semper tuæ cum Magno Augustino castæ delitiæ fuerunt: Huic libenter, diligenter ipse insudasti: ab hoc tibi fructus honoris & honestatis. In alijs non inuidiosè idem suscitasti, fouisti, promouisti. Testis est multitudo illa doctissimorum, ac religiosissimorum virorum, quibus non tantùm cultissimus ille bene conclusus, copiosè irriguus hortus Parcensis affluentissimè consitus est: Sed, & cuncta celeberrimi Ordinis vestri monasteria per Brabantiam & Belgium totum mirificè ornata præ alijs excellunt: qui te duce, tuâ curâ, tuâ vigilantiâ, tuis exhortationibus sapientiam adamarunt,

ADMODVM REVERENDO
IN CHRISTO PATRI DOMINO

D. IOANNI DRVSIO

INSIGNIS MONASTERII

PARCENSIS

INSTITVTI NORBERTINI PROPE LOVANIVM

ABBATI MERITISSIMO

REVERENDISSIMI GENERALIS ORDINIS
PRÆMONSTRATENSIS IN PROVINCIIS
BRABANTIÆ ET FRISIÆ

V I C A R I O, &c.

ADMODVM REVERENDE D. PRÆSVL:

DIVINÆ Sapientiæ ſtudium ſemper tuæ cum Magno Auguſtino caſtæ delitiæ fuerunt: Huic libenter, diligenter ipſe inſudaſti: ab hoc tibi fructus honoris & honeſtatis. In alijs non inuidioſè idem ſuſcitaſti, fouiſti, promouiſti. Teſtis eſt multitudo illa doctiſsimorum, ac religioſiſsimorum virorum, quibus non tantùm cultiſsimus ille bene concluſus, copioſè irriguus hortus Parcenſis affluentiſsimè conſitus eſt: Sed, & cuncta celeberrimi Ordinis veſtri monaſteria per Brabantiam & Belgium totum mirificè ornata præ alijs excellunt: qui te duce, tuâ curâ, tuâ vigilantiâ, tuis exhortationibus ſapientiam adamarunt,

runt, quæsierunt, inuenerunt. Mirantur sæpius Theologicæ Scholæ Louanij tantam candidæ ac religiosæ Iuuentutis ex Præmonstratensi Ordine ad se confluentiam: nec minùs tantam ingeniorũ præstantiam, quæ in publicis exercitijs scholasticis præ multis ita in eis elucet, vt communi quâdam conspiratione, vel potius peculiari diuinâ prouidentiâ, præstantissima quæq; bonæ indolis ingenia ad sacri instituti D. Norberti collegia videantur conuolasse. Et quidni existimentur à *Domino messis*, eò singulariter directa, vbi nouerat illa doctrinâ & sanctâ Religione probè excolenda? vt scilicet inde operarios (sicuti ex nunc cœpit) educeret in messem suam multam, non in Belgio tantùm, sed & in Germaniæ amplissimis regionibus albicantem. Mihi quidem gratum ac volupe semper fuit tales habere auditores, tales discipulos: Illi quoque, vt sæpius inaudiui, laboribus & prælectionibus nostris satis lætari solent, vt non modò complures ex ore nostro eas calamo exceperint, sed & plurimi vehementer desiderarint, vt quæ à nobis hîc in Scholis tradita essent, postmodùm in Conuentualibus suis scholis eadem prælegerentur; magis tamen exoptantes, vt typis aliquando mandarentur. Sanè licèt non eò direxerim studiũ & commentationem in D. Thomæ Summariam doctrinam, vt eius quicquàm in lucem mitteretur, hoc præsertim tempore, quo tam multa, tam prolixa, tam operosa scripta in D. Thomam, & in omnem materiam Theologicam prodeunt: tamen vota tum horum potissimùm, tum aliorum hoc apud

me obti-

me obtinuerunt, vt Typographis Ioanni Oliuerio, & Cornelio Coneftenio, operam fuam & fumptus offerentibus, conceſſerim, tradiderimque aliquas partes noftrarum prælectionum prœlo committẽdas: ne quæ iudicabatur ex eis ad plures poſſe manare vtilitas, intra pauciores Scholæ Diſcipulos, illa concluderetur, confifteretque.

Quamuis itaq; Admodum Reuerende D. Præſul, multæ præſtantiſſimæq; animi veſtri dotes, ac virtutes: plurimaque veſtra merita de Vniuerſitate Louanienſi, & ſingulariter de Sacrâ Facultate noſtrâ omnibus perſpicua, mihi quoque non poſſint non ob oculos verſari, tamen exiſtimaui hanc noſtram Theologicarũ virtutum (quarum cum exercitatione cognitio, vera ſapientia eſt) expoſitionem peculiariter Studio veſtro & zelo ſapientiæ tam multis tuis largè & fructuoſè communicatis, inſcribendam, dedicandamque, vti inſcribo & dedico, rogans vt hoc qualecumque noſtræ obſeruantiæ ſymbolum, & propenſioris veſtri affectus in Sacra Studia teſtimonium benignè pro ſolitâ erga nos humanitate ſuſcipias: Præcabor autem Deum Patrem luminum, vt Reuerendam Veſtram in Chriſto Paternitatem cum cœtu ſuo Religioſo & Candido, dignetur omni dato optimo, & omni dono perfecto deſurſum, cumulatim adaugere. Louanij, pridie nonas Maij anno 1630.

Admodum Reuerendæ V. in Chriſto Paternitatis
Obſeruantiſſimus

IOANNES WIGGERS.

CENSVRA.

QVæ de virtutibus Theologicis cum suis annexis, E. D. IOANNES WIGGERS commentatus est in D. Thomam, Catholicæ fidei consona sunt; vt edi tutò possint: eadem Scholis publicis hactenus vtilissima fuerunt; vt prœli propagine vniuersæ Ecclesiæ profutura meritò sperem, imo confidam. Louanij 17. April. 1630.

MART. LVNECENIVS Apostolicus ac Regius Librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. *Dei gratiâ totius Hispaniæ, vtriusque Siciliæ, Indiarum, &c. Rex Catholicus, Serenissimus Belgarum Princeps, &c. diplomate suo sanxit, Ne quis* Secundæ D. Thomæ Aquinatis Commentaria IOANNIS WIGGERS Diestensis S. Th. Doctoris ac Professoris Regij in Scholis publicis Academiæ Louaniensis, *præter Ioan. Oliuerij Bibliopolæ Louaniensis voluntatem, vel vllo modo in Belgio intra sexennium imprimat, vel alibi terrarum impressa in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve exponat. Qui secùs faxit, & confiscatione librorum, & aliâ graui pœna, mulctabitur: vt latius patet in litteris datis Bruxellæ* 24. *Ianuarij Anno* 1630.

Signat.

Steenhuyse.

ERRATA *vide correcta in fine operis post Indicem.*

IOANNIS WIGGERS, DIESTENSIS,

S. Theologiæ Doctoris, ac Professoris Regij
IN SCHOLIS PVBLICIS
ACADEMIÆ LOVANIENSIS,

COMMENTARIA IN SECVNDAM SECVNDÆ D. THOMÆ AQVINATIS

A Quæstione I. vsq; ad Quæstionem XLVI.

PRÆFATIO.



XPLICATIS in Primâ secundæ generalibus principijs, tum internis, tum externis humanorum actuum, quibus ad finem suum, & beatitudinem ibidem in principio demonstrata, homo pertingit, aut ab ijsdem deuiat, puta virtutum, & vitiorum in communi: Pergit D. Tho. in 2. 2. tractare de ijsdem actibus humanis in particulari, & secundum propriam speciem: qui proinde sic considerati, sunt materia siue obiectum huius partis. Procedit autem in illis hoc ordine, vt primo loco tractet de tribus virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate, tanquam ex proprio obiecto nobilioribus, & inprimis homini in ordine ad finem suũ supernaturalem necessarijs: idq; à principio vsq; ad quæstionem 46. Deinde de quatuor virtutibus Cardinalibus; Prudentia, Iustitia, Fortitudine, & Temperantia, cum suis respectiuè annexis: videlicet à Quæstione 47. vsque ad 171. Ac denique postquam sic disputauit de virtutibus, quæ debent omnibus esse communes, & de vitijs respectiuè singulis oppositis, Agit de quibusdam alijs communicationem quandam cum virtute habentibus, quæ non singula generaliter omnibus conueniunt; sed quibusdam sunt quasi propria, & diuersa quidem diuersis: puta de gratijs gratis datis: De diuersitate vitæ contemplatiuæ, & vitæ actiuæ: & de diuersis Ecclesiæ munijs, & statibus viuendi; idque ad Quęstionem vsque finalem 189.

A QVÆ-

QVÆSTIO PRIMA.

De Obiecto Fidei.

In decem Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm obiectum fidei sit veritas prima.

1 NOTANDVM est, nomẽ fidei plures habere significatiónes: ex quibus tamen duæ sunt principaliores, & quasi primitiuæ, quarum Prima est, secundum quam capitur pro dictorũ, conuentorumque constantiâ, & veritate: & sic fides in latino sermone dicitur appellata (inquit D. Aug. epist. 19. ad Ieronymũ) quia fit quod dicitur: quod & indicat Cicero lib. 1. Officiorum. In quâ acceptione agit D. Th. infrà de fide, siue de fidelitate: & quidem frequens est vsus huius nominis secundum eam significationem in litteris sacris; vt ad Rom. 3. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit?* id est, fidelitatem siue constantiam & veritatem Dei in suis promissionibus. Et ab hâc fide sæpius nominatur Deus fidelis: Deutro. 22. *Fidelis & absque vlla iniquitate.* Ps. 144. *Fidelis Deus in omnibus verbis suis.* Hinc per accommodationem attribuitur alijs rebus significandis quæ ad fidelitatem aut veracitatem dicunt quendam ordinem: ita aliquando significat promissionem, quam fidelitas debet adimplere: vt 1. ad Timoth. c. 5. quando de Viduis iunioribus, quæ cum in Christo luxuriatæ fuerint, nubere volunt; dicitur: *Habentes damnationem, quia primam fidem* (id est, promissionem seu castitatis votum) *irritam fecerunt:* Aliquando sumitur pro fiduciâ, quam in nobis parit fides, seu fidelitas, & veracitas alterius in promissis suis implendis, vt hic tradunt q. 1. a. 1. Arragonius & Bannes. Andr. Vega q. 1. De Iustificatione, & alij nonnulli: & ita accipi volunt Mat. 14. *Modicæ fidei, quare dubitasti?* & Iacobi c. 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* In ijs tamen locis nomen fidei sumi propriè iuxta significationem modò explicandam, ostendimus 1. 2. q. 113. a. 4. n. 50. vt proinde Dominicus Soto l. 2. De Naturâ & Gratiâ, c. 6. non improbabiliter contra Sectarios nostri temporis sustineat, nusquam in Scripturâ sacrâ fidem in ea significatione reperiri acceptam.

Secunda itaq; principalior & primitiua significatio est, secundũ quam capitur pro assensu intellectus, vel pro habitu inclinãte ad assensum, quo credamus alteri tanquam qui sit verax in dictis, & constans in promissis. Sic vsus est Cicero hoc nomine l. 2. De Diuinit. dum ait: Insanorum visis non est adhibenda fides. Vtramque autem tum primam, tum secundam significationẽ agnoscit, & distinguit D. Aug. l. De Spiritu & Littera c. 31. Vbi scribit: Aliter dicimus, non mihi habuit fidem: aliter autem, non mihi seruauit fidem. Nam illud est: non mihi credidit quod dixi: istud, non fecit quod dixit. Ab hac significatione transfertur aliquando ad significandum obiectum seu materiam circa quam, assensus intellectus versatur: sic ad Galat. c. 3. sumitur: *Ex operibus legis spiritum accepistis? an ex auditu fidei?* id est, an ex doctrinâ fidei? Et in Symbolo Athanasij: Hæc est fides Catholica, id est, res credendæ fide Catholicâ: Rectè itaq, Gabriel in 3. d. 23. q. 2. dicit fidem sumi aliquando pro actu, aliquando pro habitu, aliquando pro obiecto, quod dicit esse veritatẽ seu rem creditam. Porrò fides in hac significatione diuidi potest secundum diuersitatem authoritatis dicentium siue astruentium: quare sicut duplex occurrit authoritas in astruẽdo; vna, scilicet humana, quæ ex se dubia & fallibilis est: altera diuina, quæ certa & infallibilis est, sic etiã duplex potest statui fides, videlicet humana, & diuina: Prior est quâ credimus aliquid verum esse, aut aliquid esse futurũ propter authoritatem hominis asserentis aut promittentis: Posterior autem, quâ id credimus propter authoritatem diuinam: & de hâc fide hic nobis est sermo. Sit itaque 2

CONCLVSIO Prima: Obiectum materiale fidei non tantum est prima veritas, seu Deus ipse; sed etiam alia multa, vt puta, quæcumque in Scripturis diuinitus reuelata existunt. Est D. Thomæ: & certa. Constabit satis ex dicendis infra. Obseruandum autem est, quod Deus sit principale & primarium obiectum, in ordine ad quem 3

quę cætera omnia sub fidem cadunt: nam primò & principaliter versatur fides circa ea quæ Deo in se conueniunt, vt circa Dei vnitatem in substantiâ, & Trinitatem in personis: circa personarum proprietates: circa eius omnipotentiam, & alia attributa: atque ita principale fidei obiectum de Quo (quod alij vocant attributionis) habens se instar subiecti Conclusionis scientificæ, est Deus incomplexè consideratus: principale autem obiectum quod creditur habens se instar Conclusionis scientificæ quæ scitur, sunt propositiones siue articuli in quibus Deo attribuuntur ea quæ ipsi insunt, aut conueniunt.

4 Inter cætera autem quæ habent rationē obiecti secundarij, obtinet primum locum humanitas Christi Domini, tam in ratione obiecti de quo, quàm in ratione obiecti quod, proportionabiliter loquendo & explicando, prout iam explicuimus, quòd Deus sit obiectū primarium, tum de Quo, tum Quod: illa enim humanitas Deo est coniunctissima, & per eam non tantum de indiuisibili suâ Deitate dignatus est nobis plurima enarrare; sed etiam mirabiliter reparationem generis nostri operari, & arcana mysteria, ac efficacia Sacramenta ad hominum iustificationem & salutem instituere, vt sic ad Deum, à quo per peccatum primi parentis dilapsi eramus, reduceremur. Quia autem quæcumque nobis reuelauit Deus de alijs rebus, ad eum finem reuelauit, vt aliquādo perfecte cognoscamus ipsum verum Deum, & quem misit IESVM Christum, ideo dicit D.Th. Quod omnia quæ cadunt sub assensum fidei, non cadant nisi secundum quod, aliquem ordinem habent ad Deum, & in quantū per hęc ad Deū ordinamur: quia scilicet ea de causâ, & aliter non essent reuelata.

5 CONCLVSIO Secunda: Obiectum fidei formale Quod, est Deus vt Deus, siue sub ratione diuinitatis. Indicat D.Th. hic a. 1. quādo dicit, nihil cadere sub fide nisi in ordine ad Deū: & clariùs 1.p. q.1. a.7. vbi docet subiectum doctrinę Theologicę esse Deum sub ratione Dei, contra aliquos qui attendentes ad ea quæ in istâ scientiâ tractantur (inquit) & non ad rationem secundum quam considerantur, assignauerunt aliter subiectū illius scientiæ. Probat autem D.Th. suam sententiam: quia in sacrâ doctrinâ pertractantur omnia sub ratione Dei: puta quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum vt ad principium, & finem: & similiter quoq; omnia quæ creduntur, creduntur vt Deo conueniunt, vel vt habent ordinem ad illum. Idē docent Caiet. Bannes. Arragon. ad hunc articulum: Albertus in 3. dist. 23. a.12. & alij plures, contra Durandum in 3. d. 24. qui videtur Deum ponere obiectum sub ratione Saluatoris.

Probatur autem & simul explicatur cōclusio: quia obiectum formale Quod habitus cognoscitiui appellatur subiectū totale aut saltē principale attributionis, siue subiectum de quo, cum adiunctâ illi formali ratione, secundum quam versatur habitus circa illud: sicuti formale obiectum Quod Medicinę est Corpus humanum receptiuū sanitatis vt tale: physicæ obiectum, Corpus naturale vt naturale, & sic de alijs. Cōtra hoc distinguitur obiectū formale quo, quod dicitur tum ipsa ratio sub quâ subiectum consideratur, tum ratio quæ parit ipsius subiecti cognitionem tanquam medium, vel argumentum illius: estq; illa subiecto aliquando intrinseca, vt quando cognoscitur per causas essentiales intrinsecas: vel aliquando extrinseca, vt quando per effectus vel causas externas cognoscitur, vel tantum ex aliorū relatu & attestatione quasi rei applicatâ: quod est propriū medium cognoscendi per fidem siue humanam, siue diuinam: Atqui habitus fidei diuinæ vt cognoscitiuus versatur circa Deū vt Deum, quemadmodum ex modò dictis satis intelligi potest: quia per illum hîc cognoscimus Deum, & diuinitatis attributa, proprietates, & perfectiones per speculum in ænigmate; & licet etiam alia quædam per fidem de Deo cognoscantur, quę illi tantū competunt ex ordine aliquo ad Creaturam, vt quod omnium sit Conditor, sit generis humani Saluator, & eiusdem tandem Glorificator, tamen horum cognitio est secundaria, & ordinatur ad cognitionem Dei & diuinitatis secundum sua essentialia, & quæ ab intrinseco ei per omnia conueniunt: quod indicant illa Christi verba, Ioannis cap. 17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti* IESVM *Christū:* scilicet vt Dei Patris Filium, idque hic per fidem, & in patriâ per speciem: & rursus apud Marcum cap. 11. *Habete fidem Dei.* Idem innuit Apost. ad Ephes. c. 3. vbi precatur vt Christus habitet per fidem in cordibus eorum, vt possint cōprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum, scire etiā supereminentem scientiæ claritatē Christi, *Vt impleamini* (inquit) *in omnē plenitudinem Dei.* & D. Petrus similiter 2. cap. 1. quando precatur: *Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi* IESV *Domini nostri:* ergo Deus vt Deus, siue secundum rationem diuinitatis, & earum perfectionum quæ essentialiter & ab intrinseco ei competunt, propriè est obiectum Quod formale fidei. 6

7 CONCLVSIO Tertia: Formale obiectum Quo: ſiue medium & ratio cognoſcendi illud obiectum formale Quod, inducenſque ad credendum, non eſt Veritas prima in Eſſendo vt ſic: ſed eſt Veritas prima in teſtificando, ſiue illa vt obſcurè reuelans: quemadmodum formalis ratio ſciendi (inquit D. Thom.) ſunt media demonſtrationis. Prior pars colligitur ex Corpore Articuli, vbi dum agit de obiectis materialibus ſecundarijs, ita ſcribit: Et ideo ex hac parte (quâ ſcilicet iſtæ res creatæ de quibus loquitur, admittuntur etiam pertinere ad obiectum materiale ſecundarium) obiectum fidei eſt quodammodo etiam Veritas prima, in quantum nihil cadit ſub fidem, niſi in ordine (inquit) ad Deum. quibus manifeſtè indicat, aut potius ſupponit eodem modo Deum & Veritatem primam in Eſſendo habere rationem obiecti reſpectu fidei, videlicet ratione obiecti materialis primarij, in ordine ad quod reliqua omnia ſunt reuelata & credita: ſicuti iam hoc in prima concluſione explicuimus.

8 Et probatur, quia Veritas prima in Eſſendo non eſt ſecundum eſſe ſuum per ſe vnita omnibus quæ ſunt obiectum fidei, neq; vt ſic eſt talis eius habitudo ad illa, vt faciat ea à nobis cognoſci & credi: Nam v. g. Sacramenta à Chriſto inſtituta, eorumque virtutes & effectus, & quæ illis conueniunt, aliaque multa continentur ſub ſecundario obiecto fidei, quibus tamē Veritas prima ſecundum eſſe ſuum non ſic vnitur: nec ita ſe ad illa habet ſecundum ſuum Eſſe nudè ſpectata, vt ſit ratio iſta cognoſcendi & credendi: ergo &c.

9 Poſterior autem pars Concluſionis ſignificatur hic à D. Thomâ euidenter, dum ſcribit: Sic igitur in fide ſi conſideremus formalem rationem obiecti, nihil eſt aliud quam Veritas prima: non enim fides de quâ loquimur, aſſentit alicui, niſi quia à Deo eſt reuelatum. Et tenent Caietanus, Medina, Banneſ. Arragonius, Malderus ad hunc articulum: Greg. à Valentia tom. 3. qu. 1. punct. 1. §. 4. Bonauent. in 3. diſt. 24. art. 1. qu. 2. & 12. Richardus diſt. 23. ar. 4. qu. 3. Durand. diſt. 23. qu. 7. & alij communiter. Probatur autem primò ex Scripturis: Matth. 16. *Caro & ſanguis non reuelauit tibi; ſed Pater meus qui in cælis eſt.* 1. ad Theſſ. cap. 2. *Cum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum; ſed ſicut eſt verè, verbum Dei.* Ioannis cap. 1. *Vnigenitus filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* 1. Ioannis 5. *Spiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas: ſi teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt: quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod maius eſt, quoniā teſtificatus eſt de filio ſuo, &c.* & paulò infrà: *Qui non credit filio, mendacem facit eum, quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt Deus de filio ſuo:* ad Gal. 1. cap. *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici: ſed per reuelationem* IESV *Chriſti.* Quibus locis Apoſtoli declarant totam prædicationem ſuam inniti teſtimonijs diuinis, & ab ijs accipere & habere, quod meritò credi ab omnibus debeat. Quod & Chriſtus ſimiliter de ſuâ prædicatione diuerſis locis oſtendit. Ioannis cap. 8. *Sed qui me miſit, verax eſt; & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.* Et ibidem: *Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis loquutus ſum, quam audiui à Deo.* Et cap. 3. *Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt; qui autem accipit eius teſtimonium, ſignauit: quia Deus verax eſt: quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur.*

Quæ omnia manifeſtè ſignificant, ea 10
quæ fide credimus, nos credere tanquam dicta & verba Dei, ſiue propter teſtimonium diuinum. Vnde Apoſtolus ad Gal. cap. 1. addit: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Ex quo colligunt veteres, vt in illum locum notant Hieronymus, Teophilactus, Chryſoſtomus, fidem maiori authoritate fundatam eſſe, quàm ſit vel authoritas Angelorum, vel quorumque hominum: quia non eſt alia quam Dei reuelantis, & teſtificantis. Et addit D. Chryſoſtomus. Ideo dictum fuiſſe diuiti Epuloni Lucæ 16. *Si Moyſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent:* Propterea ſcilicet quod illa quæ pēr Moyſen & Prophetas ſcripta ſunt, tantâ ſint authoritate ſuffulta, vt maior nō poſſit deſiderari. vnde qui illa nō credendo reſpuit, non credet quoq; ſimilia ab alijs quibuſcumq; propoſita & aſſerta.

Probatur Secundò ratione: Quia quan- 11
do credimus alicui homini non propter authoritatem aliorum, neque propter rationes quas allegat: ſed tantùm quia ipſe dicit, tum eius veritas ſeu veracitas eſt formalis ratio credendi, & medium nos inducens ad fidem adhibendam dictis: quatenus enim illis applicata eſt veracitas viri dicentis, ipſaque dicta ſunt quaſi ſubſtrata illi, eiuſque authoritati, eatenus nos accommodamus eis fidem; ſicuti inhæremus Concluſioni ſcientificæ propter applicatum illi medium demonſtrationis: Propoſitionibus fidei autē adhibemus aſſenſum, quia ſunt dictum ſiue verbum Dei, non propter alterius authoritatem quæ illi dicto credibilitatem conciliet, neque propter argumenta vel rationes; nec etiam propter rei apparentiam ſiue euidentiam: ſed quia prima Veritas quæ nec falli nec fallere

fallere poteſt, aſtruit: ergo prima veritas & infallibilis authoritas teſtificans eſt formalis ratio obiecti fidei noſtræ.

12 Pro pleniori autem intelligentiâ huius doctrinæ quædam hic ſunt diligenter obſeruanda: ac inprimis, quod minus rectè videatur Scotus exponere modum & rationem primæ veritatis reuelantis, quando in 3. Diſt. 23. q. vnicâ: n. 6. ita ſcribit: Habens fidem non credit articulum eſſe verum ex euidentia obiecti, ſed propter hoc quod aſſentit veracitati infundentis habitum, & in hoc reuelantis credibilia; quaſi ſcilicet formalis ratio credendi articulos fidei eſſet prima veritas, vt per habitum infuſum præbet intellectui quoddam lumen ad aſſentiendum rebus fidei: quod etiam Bannes, Zumel, & Arrogonius hic videntur ſentire.

13 Verùm non ſatis conſiderarunt illi, vt apparet, diſtinctionem inter rationem ſeu virtutem operatiuam actus fidei, & inter rationem ex parte obiecti motiuam & inductiuam ad credendum: quamuis enim fides ſeu fidei habitus ſit quoddam Dei donum & lumen quo illuſtratus & adiutus homo elicit actus fidei, non tamen hæc illuſtratio & eleuatio intellectus eſt reuelatio illa, quæ articulos fidei in ratione obiecti quaſi formaliter perficit, vt propter illam tenendi ſint fide; ſed quæ obiectiuè facit eos cognoſci, & formalis quaſi cauſa eſt ex parte obiecti, licet extrinſecè applicata, eſt ipſe diuinus ſermo, quo Deus illos expoſuit, & reuelauit SS. Prophetis, & Apoſtolis & ſcriptoribus Hagiographis; quod ſcripturæ allegatæ ſatis apertè indicant: & docet clarè D. Tho. 1. p. q. 1. a. 8. ad 2. vbi expreſsè dicit noſtram fidem inniti reuelationi Apoſtolis & Prophetis factæ, qui Canonicos libros ſcripſerunt, non autem reuelationi, ſi quæ fuit alijs Doctoribus facta: multo ergo minus iſti illuſtrationi quam adfert habitus fidei ſingulis fidelibus.

14 Et poteſt à ſimili facilè declarari: nam v. g. naturale lumen intellectus (cui D. Thom. q. ſeq. a. 3. ad 2. comparat lumen fidei) non eſt formalis ratio ex parte principiorum, quâ ipſa ſunt intelligibilia vt principia, licet ex parte ſubiecti ſit quaſi virtus, quâ effectiuè elicitur eorum cognitio: ſed ex parte principiorum ratio intelligibilitatis eſt ipſa claritas obiecti & neceſſaria ac immediata connexio prædicati cum ſubiecto.

15 Secundò obſeruandum eſt, aſſenſum fidei non inniti principaliter in aliquo diſcurſu, quo mediante applicetur, aut cognoſcatur rebus fidei applicata formalis prædicta credendi ratio; nequidem in hoc vel ſimili diſcurſu: Quæcumque Deus dixit, vel quæ prima Veritas teſtificata eſt, illa vera ſunt: atqui Deus dixit ſiue reuelauit. v. g. quod ipſe ſit vnus in ſubſtantiâ, & trinus in perſonis; ergo hoc verum eſt; & ideo ex vi talis ratiocinationis aſſentior iſti propoſitioni. Declaratur enim id dici non poſſe: Primo, quia hoc ipſum quod Deus tale quid reuelauerit, etiam fide creditur: vnde ſi aſſenſus fidei principaliter & per ſe inniteretur tali diſcurſui, oporteret iterum facere alium diſcurſum, quo induceretur intellectus ad aſſentiendum illi quod in minori ponitur; & ſic naſceretur progreſſus in infinitum. Secundò, quia certitudo aſſenſus concluſionis pendet ex antecedente, & conſequentiâ, ſiue connexione Concluſionis cum Antecedente: atqui certius aſſentimur cuicumque articulo fidei, quam eiuſmodi conſequentiæ, ſiue dependentiæ Concluſionis cum antecedente: nam ſine detrimento fidei poſſet quis dubitare de firmitate Conſequentiæ illius, an v. g. in omni materiâ etiam diuinâ & ſupernaturali haberet locum; modò tamen concluſio fide firmâ teneatur: quia firmitas aut neceſſitas conſequentiæ tantummodo cognita eſt ratione naturali; non poteſt ergo fides principaliter inniti in diſcurſu. Quare dum ex vno articulo fidei per diſcurſum colligitur alius, cui tantummodo præbeatur aſſenſus ex virtute iſtius diſcurſus, & vt huic innititur, tunc aſſenſus ille, non eſt aſſenſus fidei; ſed ſcientiæ Theologicæ.

Eſt igitur Veritas prima reuelans, ſeu teſtificãs ratio credendi ſimplici modo, & ſine diſcurſu: quæ à Deo rebus applicatur, & ſic fiunt ſummè credibiles immediatè propter illam tali aſſenſu, qualis debetur veritati diuinæ; ſicut lumen eſt ratio videndi colores, vt hic indicat D. Thomas. Non enim neceſſe eſt, quod primo videamus lumen, & ex vi huius viſionis procedat viſio coloris: ſed proximè videmus colores illuminatos propter lumen, quod dat illis vt ſint viſibiles actu. Ita igitur quoque ſine diſcurſu, aut ſaltem non in virtute diſcurſus, fide aſſentior articulis diuinitus reuelatis proximè propter primam veritatem eis applicatam, qua redduntur ſummè credibiles, vt diximus. 16

Tertiò obſeruandum eſt: aliquas veritates fidei reuelatas eſſe ſecundum ſe & in proprijs terminis: aliquas autem in aliâ, in quâ continentur: & vtraſque ſimpliter fide credi, modò reuera poſteriores quoque ſint reuelatæ, & vt tales ſufficienter proponantur: vt rectè docet Scotus in 3. diſt. 35. Canus lib. 6. De Locis c. vlt. Vega in Trident. lib. 1. cap. 29. Vaſques 1. p. diſp. 5. c. 3. & diſp. 7. c. 7. Bellarm. lib. 3. De Eccleſia c. 15. & lib. 3. De Iuſtif. c. 8. Sic v. g. ſicuti eſt articulus fidei: Omnis qui legitimè baptizatur, nec ponit obicem, conſequitur iuſtitiam & peccatorum remiſſionem, ita etiam fide tenenda eſt hæc propoſitio: Hic infans legitimè exiſtens baptizatus, eſt conſecutus gratiam & peccati remiſſionem. 17

18 Et declaratur: Quia nulla est reuelatio fidei, quæ non fiat per aliquod medium tanquam signum internę locutionis diuinę: quare nihil per se interest siue articulus in se, siue in alio sit reuelatus, modò simul etiam sufficienter proponatur tanquam reuelatus, & assensus non in ipsa ratiocinatione proponente, & elucidante reuelationem, sed in ipsa reuelatione vt causâ motiuâ nitatur proximè & immediatè. Cur autem hoc addatur, ex nunc dictis constat.

19 Quartò hinc obseruandum est: Istam applicationem primæ veritatis dicentis & reuelantis ad res, seu ad assertiones aliquas fidei posse quoque hominibus innotescere duobus modis: vno modo proximè & immediatè per ipsam primam veritatem, siue Deum qui illas per se manifestet, & eloquatur ad aliquem: sicuti factum est cum Moyse, Prophetis, & alijs scriptoribus Hagiographis: alio modo etiam per ipsam primam veritatem; verùm non proximè & immediatè, sed per alios interlocutores aut internuntios, qui ex parte Dei cæteris eiusmodi doctrinam dictet, & proponant, quibus Deus per signa sufficientia authoritatem vicis suæ hac in parte, statuat & confirmet: quo pacto reliqui homines passim accipiunt notitiam diuinorum testimoniorum & eloquiorum Dei.

20 Quintò obseruandum. Quemadmodum ab initio non tradidit, neque per se immediatè eloquuta est prima veritas omnibus hominibus, qui simul tempore tunc viuebant ea quæ credenda sunt: sed Prophetis & Apostolis, & per eos alijs illis qui tunc erant, sic quoq; non loquitur & proponit posteris proximè & immediatè per se, ea quæ credere debent; sed per alios ad hoc à se constitutos, qui depositum verbum Dei sincerum & integrum conseruent, & alijs proponant ac edoceant, scilicet per Pastores & Doctores, siue per ipsam Ecclesiam, quam etiam sine testimonio huiusmodi authoritatis illi factæ & infallibilis securitatis non reliquit.

21 Sextò itaque obseruandum: Posse in Ecclesiâ triplicem considerari rationem, ex quâ attentâ & perpensâ inducantur homines, vt credant vera esse, quæ ipsa proponit credenda.

22 Prima sit: Quia ipsa est cœtus multorum sapientum & proborum hominum bene ordinatus, & legibus rationi admodum consentaneis colligatus, & instructus. Si enim vni prudenti & bono sit adhibenda fides, quanto magis vbi multi tales in vno sensu conueniunt.

23 Verùm quia non facilè in ijs quę supra naturam sunt, & captum ingenij excedunt, credimus etiam hominibus quos alioquin habemus prudentes & bonos, nisi aliundè & ab eo qui supra naturã est, accesserit testimoniũ aliquod, hinc in Ecclesiâ est secunda ratio sublimior consideranda, videlicet quòd ipsa tum in suis primis fundatoribus & doctoribus, ad quos manifestè deducit suã originem; tum etiam omnibus sæculis in diuersis suis membris, ad confirmationem authoritatis suæ & doctrinæ præfulgeat diuinis oraculis. & miraculis, ac alijs diuersis notis; quibus diuina veritas quasi sigillo suo confirmat & munit authoritatem & doctrinam Ecclesię, sic vt vnusquisque istis bene attentis & perpensis non possit non prudenter iudicare omnia, quæ talis cœtus docet & prædicat sibi à Deo tradita ad hominum instructionem & salutem, omnino sic accipienda esse, & credenda, tanquam à Deo emanata.

Tertia ratio accedit: Quòd inter alia diuinitùs reuelata, etiam hoc vnum sit; quod Ecclesia sit columna & firmamentum veritatis, ac in suis propositionibus & fidei dogmatibus exponendis dirigatur infallibili Spiritus Sancti assistentiâ. 24

Septimò obseruandum: Quod ex tribus prædictis rationibus quæ faciunt ad Ecclesiæ authoritatem stabiliendam, prima vtpote quę humana & moralis tantùm est, per se insufficiens sit ad tantam authoritatem tribuendam, quanta in hoc negotio requiritur, sicuti iam indicauimus: quia licet valere possit, vt credatur eam in propositionibus fidei non velle fallere mentiendo, nullũ tamen est argumentum ad persuadendum, quod non ipsa fallatur nescia aut inuita. Tertia ratio, vbi illa credita est Ecclesiæ competere, addit authoritatem sufficientissimam, vt quæcumque deinceps audiuntur ab eâ proponi credenda tanquam diuinitus accepta, iudicentur omnino sic accipienda & credenda. 25

Sed quia hæc ratio continetur inter alia, quæ diuinitùs sunt reuelata, & quæ sunt fide credenda, hinc non potest ea vniuersaliter dici antecedenter requisita, eiusque fides necessaria, ad hoc vt Ecclesia habeatur sufficienter instructa, ac omninò tantæ authoritatis, vt quas tradit propositiones tanquam à Deo reuelatas, possint & debeant prudenter iudicari omnino esse tales. 26

Quare Ecclesia quatenus secundâ ratione instructa & pærfulgens est (quæ ratio non creditur fide diuinâ ab initio, sed quasi experientiâ palpatur) est sufficienter proportionata, vt proponat doctrinam fidei tanquam diuinitus sibi traditam, sic vt ex eius propositione possit & debeat secundum prudens iudiciũ credi, quod ea sit talis; & similiter credi debeat, Scripturas quas proponit tanquam à Deo dictatas, & tanquam Dei verbum, esse reuera tales; & quidem dum ex ijsdem proponit & docet se esse firmamentum & columnam veritatis, & infallibiliter à Spiritu Sancto se regi ac dirigi, hoc ipsum mox quasi primo locò sit credendum. Quo iam credito consequenter 27

quenter facilè creduntur cætera quæ proponit sibi à Deo reuelata & sibi concredita.

28 Vnde sic communiter fit progressus ab infidelitate, vt primò quidem ex signis & miraculis, ac alijs notis Ecclesiæ persuadeat quis sibi doctrinam & testimonia eius esse omnino credibilia, & secundum prudens iudicium esse recipienda: quæ quidem persuasio nondum est ex fide infusâ, sed ex argumentis humano modo expensis, & proinde neque actus fidei virtutis Theologicæ; quamuis ne ad eam quidem perueniatur absque aliquo speciali Dei auxilio; cùm Scriptura dicat Deum aperuisse cor Lydiæ, vt vel intenderet ijs, quæ dicebantur à Paulo. Deinde fit vt credat doctrinam quæ ab Ecclesiâ talibus notis præfulgenti proponitur, esse diuinam; & Ecclesiam esse magistram constitutā, vt tradat hominibus eloquia Dei. Et hic actus est fidei Theologicæ, & omnino supernaturalis; quia id credit propter diuinam authoritatem, quam Spiritus Sancti illustratione, & diuinâ gratiâ adiutus obseruat tali doctrinæ applicatam.

29 Octauò obseruandum: Quod licet dixerimus assensum fidei non inniti principaliter in aliquo discursu, non tamen negandum esse, quin possint & soleant præcedere plures & varij discursus ante fidem plenè conceptam ex auditu, quibus scilicet intellectus præparetur, & quasi disponatur ad fidem concipiendam, v. g. circa notas Ecclesiæ, eas examinando, & ex illis conclusiones aliquas ad fidem accedentes formando; quemadmodum licet habitu intellectus assentiatur quis principijs & propositionibus primò veris, non principaliter in virtute alicuius discursus, cui innitatur iste assensus; sed quia cognoscit & videt lumine intellectus immediatam & necessariam terminorum connexionem, nihilominus tamen, antequam perueniat ad illū assensum qui est actus istius habitus, sæpius & quasi ordinariè præmittit multos discursus, siue ex singularibus, siue ex quibusdam accidētibus aut proprietatibus; quibus intellectus iuuatur, & quasi magis illustratur aut perficitur vt videat, quod sine istis non perspiciebat.

30 Verùm omnes assensus qui innituntur tantummodo in illis discursibus, non sunt assensus habitus principiorum, sed quando sic adiutus tandem intuetur intellectus immediatam & necessariam terminorū connexionem, & propter eam assentitur, tunc assensus ille est actus ipsius habitus principiorum: quia non iam propter inductiones prius factas, neque propter argumenta dialectica prius exagitata; sed simpliciter propter necessariam & immediatam terminorum connexionem assentitur, quam per habitum intellectus sic excitatum & illuminatum cognoscit.

31 Ita quoque secundum quandam proportionem accidit, vt plurimùm ab initio in credendis rebus fidei, quod sic diuersi discursus & examina præcedant; Verùm quicumque formantur assensus vel opiniones innitentes principaliter in illis discursibus, non sunt assensus fidei Christianæ: sed quando mediantibus illis quis per lumen fidei agnoscit ibi diuinam authoritatem, & assentitur illis tanquam à primâ veritate dictatis & consignatis, eoque nomine credit, tunc assensus ille est actus fidei.

32 Ex dictis licet intelligere, posse aliquid diuinitùs reuelatum aliquando credi ex habitu fidei Theologicæ, etsi non fuerit illud ab Ecclesiâ propositum vt credendum: quia inprimis Prophetæ & Apostoli qui immediatè acceperunt res credendas à Deo, crediderunt illas eodem habitu fidei, quo nos credimus. Deinde si Deus reuelaret alicui suam perseuerantiam, posset eam credere fide diuinâ, vt indicat Conc. Trid. Sess. 6. Can. 16. etsi ab Ecclesiâ non proponeretur.

33 Ratio autem est, quia quod fide credimus, suscipimus vt verbum Dei, non vt verbum hominum: nihil itaque refert quoad substantiam fidei, siue per homines id accipiamus siue immediatè ex Dei reuelatione nobis innotescat: habitus enim fidei generaliter inclinat & mouet ad credendum omne illud, quod diuinitùs reuelatur.

34 Neque obstat quod fides infusa sit fides Catholica: nam sic appellatur, quia obiectum eius ordinarium & vsitatum est tale (quemadmodum loquitur Vincentius Lyrinensis) vt tota per Orbem terrarum Ecclesia illud confiteatur, & quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditū est: cū quo potest consistere, quod ex speciali priuilegio quippiam reueletur alicui non pertinēs ad omnes, sed ad particularem eius statum: cui tamen propter eandem formalem rationem, quam habet cum communi obiecto fidei, assentietur eodem habitu, quo obiecto communi, quod omnes concernit & omnes credunt. Colligitur id ex D. Thomâ hic, vbi vniuersaliter docet medium seu rationem fidei esse primam veritatem reuelantem, ideoque nos fide assentiri, quia à Deo reuelatum est. Ita docent Vega l. 9. in Trid. c. 3. Bellarmin. l. 3. de Iustificatione c. 3. & Malder. hic q. 1. art. 1. sect. 5. Arragon. hac quæst. artic. 3. fauet Concil. Trident. loco cit. & Apostolus ad Hebræos c. 11. vbi laudatur fides Abrahæ, Saræ, Isaac, Gedeonis & aliorum etiam in rebus ac reuelationibus eis factis, quæ propriè & immediatè non fideles omnes & Ecclesiæ communitatem concernebant: neque eis tanquam Scriptoribus Hagiographis reuelabantur, sed tanquam particularibus personis ad ipsorum directionem in priuatis factis.

35 Quamuis autem in illâ ipsâ tali reuelatione satis certò innotescat illi, cui reuelatio fit, Deū esse qui loquatur. (Scribit enim D. August.

in Confessionibus l. 6. c. 13. De Matre: quod diceret, discernere se, nescio quo sapore, quem verbis explicare non poterat, quid interesset inter Deum reuelantem & animam suam somniantem) non tamen idcirco proponitur hoc alijs sufficienter propter illius relatum, vt id similiter ipsi tanquam verbum Dei amplecti & credere debeant: quando aliunde non constat eum Prophetam vel Hagiographum scriptorem habendum.

36 Porro nemo post fidem Euangelicam semel traditam & Ecclesiam constitutam, ablandiri sibi debet, quod de nouo, siue noua quæ ab omnibus credenda sunt, ei à Deo reuelentur: neque quod contra Ecclesiæ sensum, diuinitus ei aperiatur intellectus sanctarum Scripturarum: nam quæcumque à Deo fiunt, ordinatè fiunt, & seruiunt concordiæ & vnitati Ecclesiæ; non enim dissensionis est Deus, sed pacis: eiusmodi autem reuelationes essent contra ordinem à Christo institutum, & dissensiones ac scissuras inducerent.

Mouetur difficultas Notabilis.

37 Circa hactenus dicta occurrit grauis difficultas; Quod videlicet inter cætera credenda etiam hæc propositio: *Deus est*, sit fidei, ac fide tenenda: & tamen non videatur posse credi propter diuinam authoritatem testificantem: tum quia obscurius est, aut certè ad minus æquè obscurum, Deum testari se esse; quàm ipsum esse: tum quia videretur esse imprudens Iudicium, credere aliquẽ esse, quia asserit se esse: nam vt credam illum hoc asserere, necesse est vt credam illum esse: non videtur ergo fieri posse, vt quis credat Deum esse, quia testatur se esse. Similis difficultas moueri potest ex hoc articulo, Deus est prima veritas, quia videtur ridiculum credere aliquem esse primam veritatem & ex naturâ suâ necessariò veracem, tantummodo quia dicit se talem.

38 Respondeo & Dico primò: D. Tho. infra artic. 5. ad 3. dicit hanc propositionem: Deus est, numerari inter credenda, quia est principium credendorum, non quod ipsa credatur fide. Sed non videtur id dicendum, nisi commodo sensu explicetur. De quo infra: vnde

39 Dico Secundò: Quod argumentum illud foret multùm efficax, si fides nostra inniteretur principaliter in aliquo discursu: quia tunc non appareret ex quo principio posset statui ista conclusio, sic vt ex vi discursus præberetur illi assensus fidei, vel cognosceretur illi applicata formalis credendi ratio. Verùm quia dicimus nos fide ahhærere rebus à Deo reuelatis simplici modo & sine discursu, hinc efficaciam non habet: quia illa eadem quæ conciliant scriptoribus sacris authoritatem, quando primò elocuti sunt, aut scripserunt verbum Dei, tantam & talem vt meritò & prudenter auditores iudicarent, quod verè Deus loqueretur in ijs, & sermo illorum esset sermo Domini: & quæ conciliant Ecclesiæ authoritatem consimilem, non necessario præsupponebant in audientibus fidem, imo nec cognitionem vnius veri Dei: sed sunt talia, vt simul ingerant hominibus, non tantum vt credant quæ dicuntur tanquam à Deo profecta, sed etiam vt testentur & manifestent ipsum Deum & eius testimonium & sermonem esse: sic vt si aliqui non audierint vel non crediderint vnum Deum esse summum & omnipotentem &c. per illa eadem quæque inuentur, vt cognoscant in talibus non tantum diuinum testimonium applicatum rebus alijs quæ annunciantur, sed etiam ipsi Esse Dei, siue propositioni quâ dicitur ipse esse, mediante scilicet diuino auxilio, & lumine actuali fidei intrinsecus infuso.

Atq; ita Deus siue prima Veritas etiam testimonium perhibet sibi ipsi de suo Esse, & de suis attributis sine nugatione: cuius testificationis applicatio ad materiam siue ad rem testificatam nobis innotescit ijsdem modis & medijs, quibus innotescit eius applicatio ad alias materias. Sic Christus Dominus, Ioannis 8. dixit: *Ego sum lux mundi*: & Ioannis 14. *Ego sum via, veritas, & vita*: & cum cap. 8. cit. obijcerent Pharisæi: *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*; respondit IESVS, & dixit eis: *Etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum*: non solum scilicet, quod in veritate fundatum sit, sed etiam quod autenticum & legale: quia vt paulò infra declarat: non solus de seipso perhibebat testimonium, sed etiam qui miserat eum Pater, videlicet per opera quæ in eo manens faciebat ad confirmationem doctrinæ Christi tam quoad ea quæ de se, quàm quæ de Patre & de alijs materijs docebat. Vnde ad Apostolos Ioannis cap. 14. dicit: *An non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? alioqui propter opera ipsa credite.* 40

Nec tantũ ex operibus, sed & ex verbis Christi reluxit, quod sermo eius esset sermo Dei: vnde Ioan. 7. redeũtes ministri à Pharisæis missi ad eum apprehendendum, rogati quare non adducerent eum. Responderunt: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Sic igitur quoque per eadem quibus Deus in Exodo testificatur Moysen fuisse missum ab eo ad Pharaonem, vt educeret populum ad sacrificandum, testificatus quoque fuit se illum esse, Qui est: atque adeo se esse. 41

Est tamen obseruandum aliquid speciale esse circa propositionem huius articuli; quod scilicet huius propositio, eiusque reuelatio fiant quodammodo immediatè omnibus sufficienter ab ipso Deo in creaturis, & in mirabilibus Dei operibus, sic quod ex hac pro- 42

ponendi

ponendi formâ ſolâ poſſint homines cum interno diuino auxilio cognoſcere & prudenter credere Deum eſſe, etiam propter iſtud diuinum teſtimonium; vt colligitur ex Apoſtolo ad Rom. 1. quod non ita locum habet in omnibus alijs rebus fidei: quãuis & iſta propoſitio vt plurimum negligatur, vt per experientiam conſtat, niſi aliud magiſterium cum quo Deus intus operetur, accedat.

43 Modo non omnino diſſimili explicari poteſt, quomodo fide credimus, v. g. Deum eſſe trinum & vnum, & quoque Deum id teſtificatum eſſe: non enim id fit, quod poſterius diſtinćto actu Deus reuelauerit, ſed reuelando prius ſcilicet ſe trinum & vnum, ſimul eâdem reuelatione oſtendit ſe id reuelare, ipſaque reuelatio ſe ipſam, vt ſic dicam, reuelat: quemadmodum Auguſt. quæſt. 1. ſuper Euangelijs dicit; quod verbum non tantum id quod per ipſum ſignificatur, ſed etiam declarat ſe ipſum; & quemadmodum lumen quod reuelat colores viſui, reuelatur & videtur per ſeipſum, vt notat Caiet. hic art. 1. dub. 4. atque ita in talibus euitatur progreſſus in infinitum.

44 Ex hactenus dictis intelligi poterit, quomodo & in quæ fides noſtra reſolui poſſit & debeat: nam vltimatè tanquam in rationem à priori reſoluitur in primam Veritatem reuelantem, ob cuius teſtimonium rebus fidei applicatum, adhæremus illis tantâ firmitate aſſenſus, quantam conuenit adhibere primæ veritati affirmanti. Reſolui quoque poteſt in authoritatẽ Eccleſiæ, Apoſtolorum & Prophetarum; Verùm non tanquam in cauſam vltimam & formalem, ſed tanquam in cauſam proponentem obiectum cum ſua formali ratione credibiliter & accommodè intellectui noſtro: non quidem ſic, vt ſolo lumine ſuo naturali poſſit illud fide amplecti; ſed accommodè vt per lumen ſupernaturale, quo illuſtratur à Deo poſſit illud tanquam Dei verbum agnoſcere & recipere, illique vt tali firmiſſimè adhærere, accedente nimirum pio voluntatis affectu, quo id intellectui imperatur

45 Quemadmodum aſſenſus principiorum reſoluitur vltimatè tanquam in cauſam per ſe & à priori in immediatam & neceſſariam ſubiecti & prædicati connexionẽ; & poteſt etiã ſuo modo reſolui in ſcientiã magiſtri, qui per inductiones & alia argumenta à poſteriori elucidauit iſtam immediatam connexionem; ſed non tanquam in cauſam principalem & formalem aſſenſus; verùm vt in cauſam proponentẽ & inſtruentem appoſitè ad captum audientiũ, qui tamẽ poſtea aſſentiuntur non propter argumenta prius facta, ſed propter immediatam terminorum coniunctionem, quã tandem lumine intellectus, ſiue habitu principiorum percipiunt.

Vnde quando fidelis interrogatur, v. g. quare credat Deum eſſe trinum & vnum, rectè reſpondere poteſt: & quia prima veritas ita reuelauit, & etiam, quia Eccleſia hoc credendum proponit: primæ reſponſionis nulla eſt vlterior danda ratio, quaſi à priori. Si autem quæratur vnde ſciat vel quare credat primam veritatem id reuelaſſe, tunc allegari poterit authoritas Eccleſiæ tanquam proponentis, dicendo; quia mediante propoſitione talis articuli mihi factâ ab Eccleſiâ Catholicâ tantis diuinis notis præfulgente cognoui per lumen fidei ſermonem illum non eſſe ſermonem hominum, ſed ſermonem Dei, & vt talem recipiendum & credendum. Et ſic omnes alij articuli ſiue de Deo, ſiue etiam de ipſâ Eccleſiâ ſunt reſoluendi: quia omnes creduntur propter diuinam authoritatem reuelantem, & reuelatio facta tali modo nobis innoteſcit: neque alia eſt reddenda ratio cognitæ reuelationis. 46

Quemadmodum ſi quis rogatus, quare aſſentiretur huic propoſitioni, Homo eſt animal rationale, & reſponderet: quia eſt propoſitio primò vera habens immediatã & neceſſariam terminorum connexionẽ; ſi tunc rogaretur: vnde ſcis vel quare credis, quod termini illi ita ſint connexi, non poſſet aliud dicere, quàm quia mediante inſtructione magiſtri, & mediantibus argumentis à poſteriori tandem cognoui & perſpexi lumine intellectus iſtam immediatam & neceſſariam connexionem. 47

Ideoque rectè notant quidam, nos poſſe dicere id Eccleſiæ, quando iam credimus, quod Samaritani dicebant mulieri Ioannis cap. 4. *Iam non propter tuam loquelam credimus: ipſi enim audiuimus & ſcimus quia hic eſt verè Saluator mundi:* nimirum quia propter ipſam diuinam authoritatem quã mediante Eccleſiæ propoſitione, & eius operâ percepimus rebus fidei adeſſe, credimus: non propter authoritatem Eccleſiæ res illas affirmãtis, tanquam propter principalem credendi rationem. 48

Poſſet nihilominus quoque reddi alia quædam ratio cognitæ reuelationis petita ex authoritate, dicendo ſcilicet; quia Eccleſia quæ eſt firmamentum & columna veritatis, & infallibili ſpiritus Sancti directione regitur, proponit & tradit articulos tanquam diuinitus reuelatos: & quidem hæc reſponſio apud fideles, & qui admittunt Eccleſiæ infallibilem directionem, eſt idonea & ſatis plena: ſed apud alios recurrit quæſtio: quare credat Eccleſiam 49

clesiam esse eiusmodi magistram, & tunc respondendum venit propter authoritatẽ Dei reuelantis.

50 Vbi dum iterum quæritur, quare quis credat Deum id reuelasse, tunc oportet redire non ad aliquam rationem à priori; sed ad responsionem supra datam: quia scilicet ex propositione articulorum fidei nobis per Apostolos, & per Ecclesiam factâ cum notis, & signis concurrentibus agnouimus per lumen supernaturale infusum eiusmodi articulos omnes à Deo profectos, & eius testimonio consignatos, inter quos etiam iste est, quod Ecclesia sit Columna & firmamentum veritatis.

51 Dico per lumen supernaturale infusum, quo scilicet eleuatur, & proportionatur intellectus ad talem veritatem reuelatam percipiendam, & credendam: quia haud dubiè sine interno lumine adiuuante, nulla propositio quantumlibet multis miraculis confirmata, imo etsi Deus intus in anima loqueretur (vt in 1. 2. ex D. Aug. in tract. de gratia, diximus) sufficeret, vt homo posset res supernaturales quasi diuinitus reuelatas credere, & amplecti eâ firmitate assensus, quam requirit primæ veritatis testificatio.

52 Dicet aliquis: si fides resoluatur in authoritatem primæ veritatis sic simplici modo, & sine discursu applicatam, non erit ordo aliquis inter credenda: sed omnia simul credentur: sicuti omnia quæ lumine illustrata oculis obijciuntur æquè primò videtur: atqui credimus prius Trinitatem, quam incarnationẽ Verbi, & prius incarnationem, quam mortem vel resurrectionem Christi. Respondetur inde tantum sequi, quod via generationis quidam articuli prius, alij posterius veniant credendi; licet interim vt substant reuelationi omnes simul credendi sint. Istud autem inde prouenit, quod terminorum cõceptus ad fidei actum requisitus postulet res ipsas ordine aliquo proponi, & credi: non autem quod assensus vnius principaliter innitatur in discursu, quo elicitur ex alio articulo.

53 Vltimò obseruandum, Veritatem primã de quâ hic agimus, non sumi pro veritate transcendentali quæ rebus omnibus communis est, à quâ res quælibet siue creata siue increata dicitur res vera: sed pro veracitate quâ quis in dicendo verax est: quę veracitas requirit duas perfectiones, scilicet scientiam & bonitatem: Scientia est in intellectu quâ quis cognoscit rem de quâ loquitur: bonitas est in voluntate, quâ vult loqui de re sicut illam cognoscit, & non fallere auditorem cui loquitur. Veritas itaque prima nihil hic aliud est, quam Veritas diuina & infinita: nam sicut Deus respectu creaturarum dicitur primum & infinitum Ens, quia includit infinitam perfectionem in genere entis; sic etiam dicitur prima & infinita veritas quia includit infinitam perfectionem in genere veracitatis, scilicet infinitam sapientiam & infinitam bonitatem.

Neque hinc sequitur articulos fidei idcirco nõ resolui vltimò in primam veritatem, sed in infinitam Dei sapientiam & bonitatem, ex quibus nostro intelligendi modo quasi manat infinita veritas; vel etiam in ipsam Deitatem in quâ fundantur omnes diuinæ perfectiones: quia licet secundum nostrum modum intelligendi sit assignare aliquas rationes veracitatis secundum suum Esse; non sunt tamen istæ rationes, quare primæ veracitati sit fides adhibenda; & quare infallibiliter & certissimè res omnis sit credenda, quæcumque eius testimonio est consignata: hoc enim per se & omnino originaliter, & primo nascitur ex ratione veritatis primæ secundum se: quemadmodum licet dari possit ratio cur corpus aliquod sit lucidum, non tamen ideo datur ratio quare istud corpus lucidum sit visibile: hoc enim primò & per se habet quia lucidum est. 54

ARTICVLVS II.

Vtrùm obiectum fidei sit aliquid complexum per modum enuntiabilis?

CONclusio Diui Thomę est: Obiectum fidei dupliciter considerari potest: vno modo ex parte ipsius rei creditæ; & sic obiectum fidei est aliquid incomplexũ, scilicet res ipsa de qua fides habetur: alio modo ex parte credentis, & secundum hoc, obiectum fidei est aliquid complexum. 55

Prior pars patet: Quia res ipsæ præueniendo respectum ad nostrum intellectũ; non sunt complexæ per modum enuntiabilis; vnde & possunt in se intelligi aut cognosci absque tali complexione, sicut Deus, & Angeli eas cognoscunt. Dicit incomplexum per modum enuntiabilis; quia secundum rationem compositionis physicę, etiam ex vi rei creditæ est obiectum fidei sæpius aliquid complexum, licet primarium obiectum, scilicet Deus sit omnino simplex. 56

Posterior pars declaratur: Primo, quia obiectum fidei nobis proponitur credendum iuxta nostrum proprium modum cognos- 57

cognoſcendi res, earumque attributa; atqui modus noſter intelligendi eſt, vt componendo, & diuidendo res cognoſcamus; ergo ex parte credentis conſideratum obiectum, vt in eius eſt intellectu, eſt quid complexum per modum enuntiabilis. Deinde, quia quod credimus, verum eſt; atqui verum, & falſum in compoſitione, & diuiſione ſunt. Vnde rectè dixit D. Tho. in 3. diſt. 24. Eos ignorare propriam vocem, qui negant omnino obiectum fidei eſſe quid complexum.

58 Quæret aliquis: quomodo D. Thom. ad ſecundum hic dicat actum credentis non terminari ad enuntiabile, ſed ad rem; cum omnis aſſenſus in nobis ſit alicuius enunciabilis? non enim aſſentimur niſi vero aut falſo. Reſpondetur omnem quidem noſtrum aſſenſum immediate terminari ad enuntiabile quod eſt in mente: ſed D.Th. loqui de vltimo, & principali termino actus credentis, in quem vltimatè tendit per fidem: ille autem terminus eſt res ipſa ſignificata per ſubiectum enuntiationis: quia circa eam rem cognoſcendam, & credendã principaliter fides verſatur. Quodque id tantum velit D. Thom. patet ex ratione adiunctâ: non enim (inquit) formamus enuntiabilia, niſi vt de rebus ipſis cognitionem habeamus, videlicet de quibus aliquid enuntiatur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm fidei poßit ſubeſſe falſum?

59 Conclusio eſt negatiua: eſtq; communis tum hic, tum in 3. d. 24. & certa de fide. Probatur ratione D. Thomæ: quia nihil ſubeſt habitui vel etiã actui niſi mediante formali ratione obiecti: atqui dictum eſt, quod formalis ratio obiecti fidei ſit Veritas prima: vnde nihil poteſt cadere ſub fidem, niſi in quantum ſtat ſub veritate prima, ſub quâ nullum falſum ſtare poteſt.

60 Occaſione huius Concluſionis eiuſque Probationis, diſputant hic DD. Vtrũ Deus nullo modo, neque per ſe ipſum, neq; per alium poſſit falſum aſſerere, & hominem fallere? Priſcillianiſtæ Hæretici à Priſcilliano Epiſcopo Abulenſi originem trahentes ſenſerunt licitũ eſſe mentiri ad ſecretum celandum, & quidem licitum etiam iuramento mendacium confirmare; quam hæreſim refert Aug. lib. De Mendacio cap. 2. & lib. De Hæreſibus, hæreſi 70. Vnde conſequens eſſet Deum quoq; poſſe dicere falſum, & mẽtiri. Quidam verò Scholaſtici quos refert Bannes in commentario circa hunc articulum, exiſtimarunt quod licet Deus de potentiâ ordinariâ non poſſit mẽtiri, tamen de potentiâ abſolutâ hoc poſſe.

Sed omnino tenendum eſt, neq; de ordinariâ, neque de potentiâ abſolutâ poſſe Deum falſum aſſerere, & ſic hominem decipere: neque per ſe, neque per alium. Ita docent Scholaſtici communiter: Bannes, Arragonius, Mald. hîc: Durand. in 3. diſt. 24. q. 2. Ariminenſis in 1. diſt. 42. qu. 2. Canus l. 2. locor. c. 4. A Valent. ſup. qu. 1. puncto 3. eſtque ſententia oppoſita ad minus temeraria, & erronea: Imo iuxta Bannes, contra fidem. 61

Probatur Primo ex Scripturis: Numerorum c. 23. *Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur.* Luc. 21. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Ioannis 8. *Qui me miſit, verax eſt.* ad Rom. 3. *Eſt autem Deus verax: omnis autem homo mendax.* 2. ad Timoth. 2. *Si non credimus, ille fidelis permanet, ſeipſum negare non poteſt.* ad Heb. 6. *Impoßibile eſt mentiri Deum.* 1. Ioannis 4. *Omne mendacium ex veritate non eſt:* & apud eundem in Euangelio dicitur, mendacium eſſe ex Diabolo. Apocal. 19. *Ecce equus albus, & qui ſedebat in eo, vocabatur fidelis & verax:* & paulò infra: *Et vocabatur Verbum Dei.* In quibus teſtimonijs non tantum ſignificatur Deum veracem eſſe ſecundum ordinarium agendi modum, ſicuti ſunt homines boni; ſed ex naturâ neceſſariò eſſe talem, vt quemadmodum ei competit immutabilitas, ita & veracitas: quod apertiùs ſignificant loca citata ad Hebr. 6. & 2. ad Timoth. 2. & Lucæ 21. 62

Vnde & Auguſt. lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos cap. 1. ait: mentiri non poteſt, & quod ait Apoſtolus, ſe ipſum negare non poteſt: quod ſcilicet futurum eſt, ſi mentiretur, cum natura eius ſit veritas & veracitas. Et Euſebius lib. 6. De præparatione Euangelica cap. 4. oſtendit ex eo Apollinem non eſſe Deum contra Porphyrium; eò quod ipſo fatente profiteretur is ſe aliquando mentiri: quomodo Deus, inquit, qui natura verax eſt mentiretur? Hinc ergo rectè D. Auguſt. l. 22. De Ciuit. c. 25. Si volunt inuenire (inquit) quod omnipotens nõ poteſt, habent prorſus: ego dicam: mentiri non poteſt. Vide eundem l. 15. De Trinit. c. 15. 63

Probatur Secundo ratione: Inprimis, quia ſicuti Deus non poteſt eſſe author mali, quia prima bonitas eſt; Ita neque author mendacij, quia prima veritas eſt: Si enim fallit, veritas nõ eſt. Vt rectè Aug. q. 14. lib. 83. quæſtionum. Deinde, quia id repugnat infinitæ Dei ſapientiæ, & bonitati. Tertiò, ſi Deus poſſet mentiri & hominem 64

hominem fallere, conciderect omnis firmitas fidei nostræ: Quomodo enim credendum est ei (inquit Aug. lib. contra mendacium cap. 4.) qui putet aliquando esse mentiendum: vnde & gentiles Philosophi agnouerunt in Deum non posse cadere mendacium: scribit enim Plato lib. 2. De Rep. nullo modo eos esse ferendos, qui dicunt Deum aliquando mentiri, & ostendit omne mendacium dedecere Deum, quod autem Deum dedecet, hoc ipse facere non potest.

65 Sed contra obijcitur: Quæ Iacob Gen. 17. capite gessisse narratur vt præueniret Esau in benedictione Paternâ obtinendâ, gessit Deo authore: atqui Iacob videtur ibi vsus mendacijs, & fraudibus: ergo Deus potest esse author mendacij, & deceptionis; & consequenter saltem per alium mẽtiri, & decipere. Confirmatur minor (de quâ posset præcipua esse difficultas) ex verbis Isaac Patris: *Venit Germanus tuus fraudulenter* &c. Confirmatur Secundò ex Capitulo, Gaudemus: de Diuortijs: vbi Pontifex Innocentius dicit Iacob excusari à mẽdacio; quia Deo authore facta, & dicta sunt quę egit, sicut & ab adulterio excusantur, qui secundam superinduxerunt vxorem Deo id concedente: ergo &c.

66 Respondetur admissâ maiore N. Minorem cum D. August. lib. Contra mendacium cap. 10. Iacob (inquit) quod matre fecit authore, vt Patrem fallere videretur, si diligenrer & fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium: quæ si mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ ac figuræ significandarum quarumcumque rerum quæ non per proprietatem accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio intelligendum est, dicentur esse mendacia: quod absit omnino: quæ significantur enim, vtique ipsa dicuntur: putantur autem mendacia, quoniam non ea quæ vera significantur, dicta intelliguntur: sed ea quæ falsa sunt, dicta esse creduntur. Figuratè itaq; dicit Iacob se esse primogenitum Esau, sicut Christus Matth. cap. 11. dicit Ioannem esse Eliam; & quemadmodum Paulus ad Rom. 9. dicit, Gentes ad fidem conuersas esse semen Abrahæ. Simili sensu Esau non erat Esau, sicut: *Non omnes qui ex Israël sunt Israëlitæ*, iuxta Apostolum loco citatò: & sicuti Apoc. cap. 2. de quibusdam dicitur: *Dicunt se Iudæos & non sunt;* non quòd secundum carnem non essent, sed quia non secundum spiritum, quos populus Israëliticus & Iudaicus præfigurabant.

67 Dicit itaq; Iacob, se esse primogenitum Esau non ordine nascendi, sed diuinâ ordinatione, & etiam titulo Emptionis in ius primogenituræ succedendo; atque ita primogeniti personã, cuius ius & actionẽ obtinebat, repræsentando: quod sic Diuinitùs gerebatur vlterioris mysterij significandi gratia: præsignabatur enim in eo reiectio Iudæorum, & assumptio gentium. Ad Primam Confirmationem Respondetur: Isaac Patrẽ dicere Iacob venisse fraudulenter, propter exteriorem scilicet agendi modum, qui licet ex se indifferens esset, tamen apud homines solet similis modus iudicari ad fraudulentiam pertinere, quamuis vera, & propriè dicta fraudulentia non committatur. Sic enim & Apostolus dixit 2. ad Cor. 12. *Cum essem astutus, dolo vos cœpi*, non quidem vero & propriè dicto dolo, sed quâdam prudentia, & dexteritate: quæ dicuntur aliquando dolus quidam, sed non malus.

Dicet aliquis: Videtur Iacob egisse absolutè, & propriè loquendo fraudulenter; quia hædinis pellibus collum & manus obtexit, vnde similitudo fratris expressa fuit: quodque id fraudulenter egerit, ex eo insuper colligi potest, quod timuerit, ne tanquam illusor malediceretur à Patre. Respondetur Neg. Assumpt. quod enim mater induerit illum taliter, factum fuit mysterij causâ, vt videlicet foret conueniens typus Christi Domini primogeniti in multis fratribus, qui alienam asperitatem, scilicet debitum Adami, & totius generis ex peccatis contractum, in se susciperet: non autem ad fallendum. 68

Vnde bene dixit August. supra: Quod matre fecit authore, vt Patrem fallere videretur (non autem vt Patrem falleret) si diligenter, & fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium: Licet interim ex illâ occasione factum fuerit, quod Pater eum tanquam personam alteram apprehenderet, quod potuit Iacob permittere, quia non inferebat fratri iniuriam: sed iuri suo consulebat, & simul seruiebat diuinis mysterijs. Neque refert quod ab initio timeret, ne haberetur à Patre tanquam qui vellet illudere: quia hoc ipsum magis declarat, quod Iacob tanquam vir simplex & sine dolo noluerit decipere Patrem. Loquebatur autem ita quia nondum intelligebat mysterium: mater autem intelligebat: Vnde illa dixit: *In me sit fili mi, illa maledictio:* quo audito, illa quæ mater volebat fieri, egit ex sensu, & intentione matris, quibus suum iudicium submittebat: atque ita tam in facto, quàm in verbis latuit figurata, & mystica significatio: non autem mendacium, aut vera & propriè dicta fraus vel deceptio. 69

Ad Secundam Confirmationem Respondetur: Pontificem nõ excusare Iacob à menda- 70

mendacio, quia Deo authore sit mentitus: sed quia quæ dicta & facta sunt, Deo authore fecit: sicuti excusantur filij Israël à furto, qui Deo authore abstulerunt spolia Ægyptiorum; & sicut ab adulterio Patriarchæ qui superinduxerunt secundas vxores ex diuinâ concessione vel dispensatione. Quare sicut Hebræi excusantur à furto, & Patriarchæ ab adulterio, non quod ipsi commiserint verum furtum, & verum adulterium, quæ illis non sint imputata: sed quia diuinâ authoritate factum est, vt non esset furtum, nec adulterium propter materiæ mutationē, sicut in Tract. de Legibus latiùs explicatum est:

71 Sic etiam excusatur Iacob à mendacio, quia Deo authore ista facta sunt, non quod verè mentitus fuerit, & ei mendacium non sit imputatum: sed quia quæ dixit, & fecit, tantùm egit vt secundum Dei ordinationem seruirent mysterijs; & figuræ essent futurorum: quâ ratione habebant veram significationem, non autem ad decipiendum: quamuis inde aliquis error Patris forsitan acciderit.

72 Opponuntur hic & alia plura dicta, & facta ex Scripturis quæ videntur innuere Deum aliquos decepisse, aut in errorem misisse: vt illud Prophetæ 3. Reg. c. vlt. *Nunc igitur; ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum qui hic sunt:* & aliud simile Isa. 36. Verū quomodo talia de Deo dicantur tantum propter eius permissionem secundum certā prouidētiæ rationē, vel propter aliquam eius actionem in se bonā, aut sermonem verum, vnde mali capiunt occasionē deceptionis vel erroris, satis intelligi potest ex dictis 1. 2. q. 79. a. 1. & 2. n 47. & 48. Sed Disputant hic DD.

73 *Vtrùm habitus fidei infusæ possit inclinare ad assensum falsum?*

APparet enim quod sic: Primò, quia prudentia infusa inclinare potest ad falsum: vt v. g. quando dictat adorandā esse hostiam eleuatam in Sacrificio à sacerdote, quam tamen potest contingere non esse consecratam, siue propter malitiam, siue propter negligentiam Sacerdotis, & per consequens neque dignam adoratione: ergo prudentia inclinabit ad falsum, cum absolutè dictet istam hostiam hic & nunc esse adorandam: Sic quoque potest dictare: huic mulieri esse reddendum debitum coniugale, quæ tamen non sit coniux, cui proinde illud non debeatur: ergo similiter poterit fides infusa inclinare in assensum aliquē falsum. Vtrūq; enim tam prudentia de quâ loquimur, quā fides est habitus quidam intellectus à Deo infusus. Secundò, quia cōtingit Episcopos alicuius prouinciæ, & Pastores condescendere in aliquam propositionem falsam, & eam prædicare populo tanquam articulum fidei, sicuti tempore Cypriani videntur Episcopi Africæ in Concilio Carthaginensi definiuisse, eos qui baptizati essent ab hæreticis, esse rebaptizandos, & baptismum ab hæreticis collatum esse nullum: in tali autem casu videtur quod habitus fidei mouebit populum ad assentiendum eiusmodi doctrinæ suorum Episcoporum & Pastorum, quemadmodum inclinat vt assentiatur toti reliquæ doctrinę, quam proponunt. Tertiò ex propositione maiore 74
quæ est de fide, & ex alterā minore falsā potest sequi conclusio falsa; atqui maior est causa conclusionis: ergo fides potest esse causa assensus falsi.

His tamen non obstantibus, Dicendum omnino est, habitum fidei infusæ qui est intellectus, nūquam inclinare in assensum falsum: & Probatur primò, eâdem ratione D. Th. quâ supra probata est Conclusio eius: quia scilicet habitus nō inclinat in aliquid quod non est informatū ratione formali sub quâ versatur circa obiectum suum, si autem potentia in aliquid aliud feratur non mouebitur ab habitu: atqui nullum falsum potest esse informatum, nec stare tanquam verum sub diuinâ reuelatione: ergo &c. Secundò, Deus est author fidei infusæ, ergo fides non mouet ad assensum falsum. Patet consequentia, quia alioqui Deus duceret in errorem, & esset causa falsi assensus. Neque simile est de hominis voluntate, cuius Deus est quoque causa quæ tamen est inclinata ad malitiam: nam inprimis ex peccato, & vitio hominis orta est illa propensio cordis ad malum, neque enim cum illâ homo conditus est; Deinde voluntas hominis est causa libera, & domina suorum actuum: de causa autem libera verum non est, quod quidquid ipsius est causa hoc etiam sit causa effectuum eius: habitus autem fidei non est causa libera, sed determinata ad vnum quoad specificationem; qui proinde si tendat in falsum, Deus esset causa falsi, & quasi Pater mendacij. Denique virtus omnis disponit bene subiectum suum; atqui fides est virtus intellectualis: 75
vt infra dicetur; ergo disponit bene intellectum: malè autem disponeret si aliquando inclinaret in assensum falsum, quia error est mala intellectus dispositio.

Ad Opposita itaque argumenta respondetur. Ad Primum quidem negando Antecedens, loquendo de falso practicè; quia prudentia perficit intellectum in ordine ad par-

ad particularia agibilia conformiter ad rectam rationem. Ad id quod pro confirmatione adducitur; dicendum est, dictamen illud practicè verum esse: Ista hostia hic & nunc mihi adoranda est, quando inuincibiliter ignoratur quod non sit consecrata. Similiter & illud: Debeo huic mulieri reddere debitum coniungale: quæ ex iustis argumentis creditur esse vxor, sic vt ignorantia de opposito sit inculpabilis. Imo neque tunc inclinat propriè in falsum speculatiuè: quia prædictæ propositiones sunt absolutè veræ: dicerentur tamen speculatiuè falsæ, quia scilicet non subest aliquid à parte rei, quod si cognitum foret non subesse, tunc verum non esset: Hæc hostia hic & nunc est adoranda: Debeo huic mulieri debitum reddere. Prudentia autem non inclinat ad iudicandum illud à parte rei subesse quod non subest: hoc enim iudicium non concernit particulare agibile, sed supponit subesse: illo autem supposito dictat hanc hostiam esse adorandam, quod omnino verum est.

76 Sed replicabit aliquis: Quidquid sit de iudicio prudentiæ, attamen actus religionis, & actus iustitiæ ac castitatis coniugalis hic versatur circa obiectum reipsa, & materialiter non religiosum, vt circa merum panem: & circa obiectum non iustum, & non temperatum, vt circa mulierem non suam, & in ea inclinant virtus religionis, & iustitia, & castitas coniugalis: ergo videtur quod etiam fides similiter poterit inclinare in obiectum materialiter falsum, quod tanquam diuinitùs reuelatum proponitur.

77 Respondetur Neg. Consequentiam. Diuersa enim lõgè est ratio quaod hoc mali, & falsi: quia obiectum materialiter, & vt in se à parte rei subsistit malum, potest formaliter, prout in operantis intentionem cadit, esse bonum: quatenus scilicet adhibitis adhiberi debitis, vt cognoscatur, vtrum homo conuenienter rationi seu naturæ suæ rationali operando possit vel debeat ita operari, prudentia omnibus consideratis dictat sic esse circa tale obiectum operandum: hoc ipso enim quo obiectum sic examinatum ita proponitur, omnino formaliter est honestum, atque adeo induit rationem in quam virtus talis per se tendit, quia illud dictamen prudentiæ applicatum obiecto est veluti vltima ratio & forma honestatis. At verò obiectum materialiter falsum, quantumcumque vt verum, & vt reuelatum proponatur, non tamen est formaliter verum neque reuelatum: quandoquidem veritas aut falsitas ipsius desumatur per conuenientiam aut disconuenientiam eius cum re ipsâ, quidquid sit de argumentis facientibus illud apparenter verum, aut de iudicio vel dispositione assentientis.

Ad Secundum Respondetur hæresim aut falsitatem aliquam nunquam posse sic proponi populo, vt prudenter possit & debeat iudicare eam recipiendam tãquam diuinitus reuelatam, & sic esse credendam, & proinde neque habitum fidei vnquam inclinare ad assentiendum falsitati: nam diuina prouidentia non potest permittere sub diuinâ authoritate tanquam reuelante ita obtrudi falsitatem, & tali modo ac medio proponi, vt secundum prudens iudicium debeat haberi tanquam res diuinitus reuelata: & quidem ex Scripturis constat, Deum veris Prophetis semper dedisse aliquas notas, & symbola quibus possent à falsis secerni, quando vellent homines prout tenentur diligenter attendere, vt patet in Moyse, & Magis Ægyptiorum, qui factum Moysis volebant imitari. Item in Paulo, & Elyma; in Petro, & Simone Mago: Similiter in omnibus Hæresiarchis semper fuit aduertere multa signa falsitatis, & incertitudinis doctrinæ ipsorum. 78

Quod verò attinet ad eiusmodi propositionem aliquam, quæ recipitur, & traditur ab Episcopis alicuius Prouinciæ in exemplo allegato, dicendum est inprimis, Notorium satis esse quod particulares Ecclesię non habeant illam authoritatem, nec infallibilem Spiritus Sancti directionem, vt quod illę definierint in rebus fidei, sit ab omnibus pro tali habendum: vnde licet populus, possit eiusmodi propositionem tanquam probabiliter veram recipere, non tamen tanquã fidei articulũ à Deo reuelatum & traditum. Deinde si quandoque contingat ab Episcopis aut Pastoribus sic aliquid noui tanquam articulum fidei induci aut proponi populo, nunquam id fit absque contradictione, & oppositione aliquorum, siue de istis, siue de alijs Ecclesijs, donec negotium referatur ad iudicium Ecclesiæ vniuersalis aut Pontificis, sicut accidit in casu allegato tempore Cypriani, quam oppositionem iterum poterit facile intelligere, qui prout potest, & debet negotium perpendet. 79

Sed replicabit aliquis: tametsi publica, & vniuersalis propositio cuiuscumque articuli fidei considerata cum omnibus, aut præcipuis, & grauioribus motiuis, & fundamentis credibilitatis sit omnino talis, & tã certa, vt impossibile sit falsum vel erroneũ esse, quod tantis signis, & argumẽtis est confirmatũ, tamen motiua frequenter illa, quibus Idiotæ, simpliciores fideles, pueri quãdo ad vsum rationis primũ perueniunt, aut etiam aliquando infideles inducuntur, 80

vt iudi-

vt iudicent res fidei credibiles tanquam diuinitùs reuelatas, eaſque tanto aſſenſu, quantum diuina authoritas poſtulat, eſſe credendas, non videntur ſemper prout eis proponuntur tam ſolida quin poſſint etiā ſimilia accommodari, & locum habere in propoſitione alicuius falſitatis, & errorū. Probatur, quia quando ſimplicioribus, & indoctis aliquid à parentibus, à Paſtoribus, & Doctoribus proponitur tanquam diuinitùs reuelatum, & vt ab antiquo confirmatum miraculis, idque ideo religioſâ, & chriſtianâ fide credendum, tunc ex tali propoſitione ſolent illi iudicare ſic eſſe credendum, & inde conſequenter credunt illud tanquam tale.

81 Vnde D. Thomas quæſt. ſeq. artic. 6. dicit, Quod minores, & ſimplices debent in credendis adhærere maioribus; quod D. Gregorius docet ſignificari per illud Iob cap. 1. *Boues arabant, & Aſinæ paſcebantur iuxta eos*: per Boues intelligendo maiores, & per Aſinas, minores qui in credendo maioribus adhærent: Atqui contingere poteſt, quod Parentes, Paſtores, Doctores, & maiores illi proponant aliquid minoribus vt reuelatum, & credendum, quod falſum, & erroneum eſt, vt ibidem D. Thomas videtur ſupponere. Sic etiam frequenter infideles leguntur conuerſi ex conſideratione tantùm conſtantiæ Martyrum in perferendis tormentis, & tamen etiam multi Hæretici animas decipientes multa talia patiuntur, vt tradit D. Auguſt. l. 1. De Serm. Dom. in monte: qui tam pertinaciter, quàm iſti conſtanter perferunt ſupplicia: ergo admittendū eſt, quod propoſitioni fidei, etiam illi quæ parit prudēs iudicium de rebus illis tanquā reuelatis, & fide diuinâ credēdis, poſſit ſubeſſe falſum.

82 Confirmatur; quia alioquin iſti minores non prudenter iudicarent illas res eſſe credibiles tanquam diuinitùs reuelatas, & conſequenter ipſorum credere non eſſet actus virtutis fidei, cum omnis actus virtutis dirigi debeat iudicio prudentiæ. Hoc autem non videtur vllo modo dicendum, quia eſſet condemnare omnes paſſim ſimpliciores, & rudiores Chriſtianos, quaſi nunquam elicerent aut exercerent verum fidei actum. Quòd ſi verò admittatur eiuſmodi propoſitioni poſſe ſubeſſe falſum cui prudens iudicium de credibilitate tantâ innitatur, iam habitus fidei conſequenter videbitur admittendus inclinare in falſitatem, quia virtus inclinat in obiectum quod prudenter iudicatur obiectum eius: & ſic opponentes habebunt intentum.

83 Reſpondetur inprimis, omnino tanquam certiſſimum eſſe tenendum, quod in replica in priori parte antecedentis admittitur, & ſupponitur. Veriſſimè enim ſcribit Richardus de S. Victore lib. 1. De Trinitate cap. 2. Sanè quæ reuelata nobis ſunt cœlitus, tam magnis, tam miris prodigijs confirmata ſunt, vt genus videatur dementiæ eſſe, in his vel aliquantulum dubitare: & paulò poſt: Nonne cum omni confidentiâ dicere poterimus: Domine ſi error eſt: à te decepti ſumus? Iſta enim nobis ſunt tantis ſignis, & prodigijs confirmata, & talibus, quæ non niſi per te fieri potuerunt. Idque ex infrà artic. 4. dicendis de argumentis credibilitatis in particulari, ampliùs conſtabit.

Pro reſponſione autem ad alteram partem quæ multum difficultatis habet, obſeruandum eſt; propoſitionem quâ veritates fidei proponuntur, & redduntur credibiles tanquam à Deo reuelatæ, conſtare principijs, & motiuis partim externis, quæ tum ex naturali ratione, tum ex factis naturam excedentibus petuntur iuxta materiæ rationem, & perſonarum qualitates, quibus credibilitas perſuadetur: partim conſtare principijs motiuis internis, vt in quâdā mentis internâ actuali illuſtratione, vel etiam in ipſo habituali lumine fidei, vt quando infantes baptizati inſtruuntur in rebus credendis. Sumitur hæc doctrina ex D. Thoma quæſt. ſeq. artic. 9. ad 3. vbi ſic ſcribit: Ille qui credit habet ſufficiens inductiuum ad credendum: inducitur enim authoritate diuinæ doctrinæ miraculis confirmatæ: & quod plus eſt (inquit) interiori inſtinctu Dei inuitantis. Idem ſignificat ipſe Quodlibet. 2. artic. 6. 84

His itaque præmiſſis: Dico ad ſecundam partem antecedentis, quamuis attendendo ad ſola externa motiua, quibus per modum priuatæ propoſitionis, & inſtructionis fidei, contingit multos induci ad credenda myſteria fidei Chriſtianę tanquā à Deo reuelata, dici poſſit quod illa in ſe nudè ſpectata non ſemper videantur tam firma, & certa argumenta, quin ſimilia concurrere, & adhiberi poſſint ad perſuadendū vt credibile aliquid erroneū aut falſum, prout obiectio videtur ſatis oſtendere: nego tamen quod abſolutè loquendo, & conſiderando omnia principia motiua tam interna quam externa quæ concurrunt ad propoſitionem fidei, & ad formandum iudicium de credibilitate eius tanquā doctrinæ à Deo reuelatæ & traditæ, contingere queat, quod illis ſubſit falſum, ſiue quod ſimilibus medijs, & modis proponi poſſit falſū tanquā ſub diuina authoritate credendū. Declaratur, quia in ijſdem externis propoſitionibus, & argumentis credibilitatis fidei v. g. quæ deſumūtur 85

ex martyrio quod intuemur Sanctos pro ea fide subire; per attestationem alicuius miraculi, quod annuntians Euangelium operatur, per instructionem parentum & Pastoris &c. contingit in vno simul concurrere principium aliquod intrinsecum quasi illuminans eiusmodi propositionem siue argumentum, sic vt in illis cognoscat euidenter diuinâ fide esse credibile, quod prędicatur sub diuinâ authoritate credendum: quale principium non habet alter eâdem externam propositionem, siue idem externum motiuum audiens, aut videns: quare ille prudenter iudicabit ex eiusmodi argumento extrinsecus adhibito vno vel pluribus, illud quod proponitur esse ita credibile, & diuinâ fide credendum; non item aliter, tametsi possit prudenter inde iudicare esse illud in genere, & moraliter credibile.

86 Sic D. Ieronymus in cap. 9. Mat. Porphyrio, & Iuliano Augusto, qui stultitiam eorum qui statim secuti sunt Saluatorem arguebant, respondet: Certè fulgor ipse, & maiestas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humanâ facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu: ita scilicet vt prudenter iudicarent ei tanquam Messiæ adhærendum: non quidem quòd nudus externus intuitus omnino esset sufficiens, sed is simul cum interno lumine, quod fulgorem illum, & maiestatem diuinitatis occultæ illuminabat, & videri ac cognosci faciebat: vnde nec omnes aduertebant. Quod etiam indicat D. Ieronymus, quando subijcit: Si enim in magnete, lapide, & succinis hæc esse vis dicitur, vt annulos, & stipulas, & festucas sibi copulent; quantò magis Dominus omnium creaturarum, ad se trahere poterat, quos vocabat.

87 Ita quoque possunt duo videre idem martyrium, quod Euangelij Prædicator subit pro doctrinâ Christi quam annuntiat, sic vt vnus mediante internâ illuminatione obseruet, & quasi clarè cognoscat Martyrem ex motiuo virtutis, & veræ pietatis subire illa tormenta, & diuinis corroborari viribus, ac exhilarari solatijs: quod alter in eo nō aduertit neq; cognoscit: quare ex illo solo intuitu tanquam argumento externo prudenter mouetur hic, & iudicat fidem Christianam amplectendam: licet alius ex eo solo in se nude spectato vt tantum est tormentorum, & mortis toleratio, non sic prudenter moueretur: quemadmodū ex obiectis argumentis potest intelligi.

88 Hinc Respondeo vlterius, neque simpliciores Christianos passim esse condemnandos, tanquam qui veros actus fidei non exerceant, neque infideles illos fuisse arguendos stultitiæ aut imprudentiæ, qui aliquando leguntur subitò conuersi ad aliquas occasiones externas visas vel auditas, quæ in se nudè, & communi iudicio apprehensa, & considerata, videri possint non sufficienter fecisse mysteria Christianæ fidei credibilia tanquam diuinitus tradita & reuelata. Ratio colligitur ex iam dictis: quia scilicet illi imbuti habitu fidei sunt congruenter dispositi ad apprehensionem eorum quæ fidei subseruiunt, & sic iuuantur, vt facilius, & perfectius aduertant, & videant credibilitatem eorum quæ proponuntur: dispositio enim subiecti conformis, & quasi connaturalis obiecto, ratione illius sympathiæ causat, vt de habitudine, & conuenientiâ obiecti meliùs, & clariùs intellectus cognoscat & iudicet: sicuti homo benè affectus ad temperantiam, facilius, & promptius iudicat de medio temperantiæ, quàm quis intemperans.

89 Ita ergo habitus fidei disponens, & inclinans ad obiecta credibilia, consequenter etiam disponit, & facilitat ad benè iudicandum ex notis vel argumentis de eorum credibilitate, sic vt ex ijsdem rationibus credibilitatis, hi euidentiùs & plenius intelligere & videre possint credibilitatem mysteriorum fidei, quàm alij eam in illis cognoscere. Imò illamet proportio interna fidei est vnum ex motiuis suadentibus illud obiectum esse credibile, & diuinum.

90 Et hoc docet D. Thom. artic. 4. seq. ad 3. vbi scribit: Lumen fidei facit videre ea quæ creduntur, facit videre (inquam) sub communi ratione credibilis, vt ante in responsione ad secundum dixerat. Deinde explicat quomodo illud faciat: Sicuti enim per alios habitus virtutum homo videt illud quod est sibi conueniens secundum habitum illum, ita etiam per habitum fidei inclinatur mens hominis ad assentiendum his quæ conueniunt (id est seruiunt) rectæ fidei, vt in eis credibilitas fidei videatur: & non alijs, scilicet iuxta modum, & sensum iam explicatum: declarat enim ibi, quomodo etiam in lumine fidei habeat locum, quod in eo aliquid videatur, scilicet credibilitas rerum fidei, etsi non veritates ipsæ in se.

91 Illud autem quod habituale fidei lumen confert, & præstat in ipsis fidelibus ad clarius videndam credibilitatem, hoc etiam conferunt, & quidem efficatius, & quasi sensibilius, illustrationes internæ actuales quibus infideles illi qui leguntur sic subitò conuersi, perfundi soleat. Ita Act. c. 13. De Proconsule Sergio dicitur, quod cum vidisset factum (scilicet quod ad man-

ad mandatum Pauli, quo dicebat: *Et nunc ecce manus Domini super te: & eris cæcus*, &c. cecidisset caligo, & tenebræ in Elymam magum, credidit admirans super doctrinâ Domini: vbi in eo quod adijcitur: *Admirans super doctrinâ Domini*, indicatur eum particularem aliquam simul percepisse illuminationem, & intelligentiam cum intuitu, & inspectione illius facti.

92 Sic ergo non est necesse quod omnes ex ijsdem omnino argumentis, & motiuis exterioribus cognoscant, & iudicent de credibilitate mysteriorum fidei, & inducantur ad ea credenda vt diuinitus reuelata, ad hoc vt prudenter dici possint formare iudicium; quin potiùs pro diuersa ratione personarum, ac temporum, alia atque alia argumenta, & motiua possunt sufficere: aut etiam prudenter adhiberi debent, vt docet à Valentia hîc quæst. 1. punct. 1. §. 8. Quod & latè prosequitur, & declarat varijs exemplis D. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. Videmus alios aliter ijsdem rebus demonstratis vel significatis ad credendum moueri: sicuti exempli gratiâ (inquit) Simeon in Dominum nostrum IESVM Christum adhuc infantem paruulum credidit spiritu ei reuelante cognoscens: Natanaël ad vnã sententiam quam ab illo audiuit, respondit, Rabbi, Tu es filius Dei, tu es Rex Israël: & infrà: Multi nec suscitatis mortuis crediderunt: De cruce atque morte eius conterriti etiam Discipuli titubarunt: & tamen Latro tunc credidit, &c.

93 Idem experientia quotidiana testatur, quà videmus alios alijs adduci motiuis ad credendum: alios quidem non nisi firmioribus, alios verò etiam non rarò pro conditione suæ personæ, debilioribus; ita tamen vt singulis credentibus pro captu ingenij debita concilietur credibilitatis euidentia ad id simul Deo internis illuminationibus & attractionibus cooperante.

94 Ne tamen occasionem ignauiæ videamur præbere, siue Pastoribus quibus incumbit populum sollicitè instruere in fundamentis vt prudenter credat, siue etiam ipsi populo, cui incumbit, vt sollicitè ea addiscat, & apprehendat, addo etsi passim communes Christiani non sint existimandi carere verâ fide in exercitio, tamen meritò quoque verendum esse, ne pluribus in locis multi ob defectum rectæ instructionis, ac sufficientis informationis in rationibus, & fundamentis credibilitatis non sint dispositi vt prudenter de veritatibus fidei amplectendis iudicent, eoque nomine veros fidei actus non exerceant, & frequenter tandem à fide totaliter excidant.

Ad Tertium Respondetur, quod eo casu non sequatur falsum ex vero, ne dum ex vero diuinitus reuelato: quia vt docet Philosophus totum antecedens considerandum est vt integra quędam causa Conclusionis, quæ quidem causa defectum falsitatis habet in consequente propter defectum similem, quem habet in minore falsâ. Itaque quod aliquid inferatur maior est simul concausa: sed quod aliquid falsi inferatur non aliunde prouenit, quàm ex minori propositione falsâ. 95

ARTICVLVS IV.

Vtrùm obiectum fidei poßit esse aliquid visum?

ARTICVLVS V.

Vtrùm ea quæ sunt fidei poßint esse scita?

PEr Visum intelligit hîc D. Thom. omne illud, quod vel per sensum, vel per intellectum euidenter in se sine medio est cognitum: vt sunt ea quæ immediatè subijciuntur secundum se sensibus exterioribus, & principia indemonstrabilia quæ euidenter cognoscuntur habitu intellectus. Per Scitum autem intelligit, quod per demonstrationem cognoscitur. Supponit D. Thom. & meritò quidem, non esse necessarium ad assentiendum ijs, quæ sunt fidei, quòd prius cognoscantur siue visione, siue scientiâ quæ resoluit conclusionem in principia lumine naturali euidenter cognita: quod & Scriptura multis locis docet: Ecclesiastici 3. *Non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis:* & infra: *Plurima enim supra sensum hominum ostensa sunt tibi.* Psalm. 50. *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis:* & ibidem. *Nemo nouit Filium nisi Pater, neq; Patrē quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare:* 1. ad Corinth. 1. *Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* &c. vnde & Apostolus hortatur fideles ad captiuandum intellectum in obsequium fidei. 96

His præmissis Respondet Diuus Thomas ad vtrumque articulum negatiuè. Sed pro pleniori huius materiæ explicatione sit

97 CONCLVSIO Prima : Obiectum quodcumque fidei non potest esse visum vel scitum euidenter in se, vel in suis principijs per ipsum habitum fidei. Est communis, & certa : & quidem eo sensu responsio D. Thom. verissima est. Probatur primò ex Scripturis: Ad Heb. 11. dicitur fides, *Argumentum non apparentium* : ergo fides non facit res nobis euidenter cognitas ; sed quantum ex se est, facit tantum assentiri rebus non apparentibus , siue non clarè in se visis, aut cognitis. 1. ad Corinthios capite 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate* : vbi de notitiâ agitur quam per fidem habemus : & significatur per eam nos non nisi obscurè cognoscere quæ fide tenemus, quatenus saltem ex fide cognoscuntur. 2. ad Cor. 5. *Per fidem ambulamus, & non per speciem*: vbi cognitio fidei opponitur cognitioni per speciẽ, siue quâ res ipsas euidenter in se aut in suis principijs intuemur vel cognoscimus : ergo fides non præbet euidentem cognitionem sui obiecti.

98 Idem potest probari ex Sanctis PP. qui solent fidem & euidentem notitiam inter se quodammodo opponere. D. Hil. lib. 8. De Trinitate : Habet non tàm veniam, inquit, quàm præmium, ignorare quod credis. August. Tract. 41. in Ioannem : Quid enim est aliud fides , quam credere quod non vides : & lib. 83. quæst. qu. 85. Imperfecta nostra visio perfectâ visione perimitur. D. Greg. hom. 26. in Euangelia: Quæ enim apparent , iam fidem non habent ; sed agnitionem. D. Chrys. hom. 21. in epistolam ad Hęb. fides ergo (inquit) est aspectus eorũ quæ non sunt manifesta. Probatur denique ratione : quia fides est habituale lumen ex propriâ suâ ratione versans circa ea quæ nobis sunt obscura, adducens ad eorum assensum, non autem ea in se manifestans: ergo per ipsam non cognoscimus euidenter in se ea quæ fidei sunt.

99 CONCLVSIO Secunda : Obiectum fidei non potest ab eodem esse creditum, & esse visum eâ visione quæ adæquet certitudinem primæ veritatis reuelantis, qualis est beatifica visio in Patriâ. Probatur ex Apostolo 1. ad Cor. 13. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est :* quibus significatur fidem euacuari per visionem claram in Patria; prout etiam modò ex Aug. diximus, quod imperfecta nostra visio perfectâ visione perimitur.

Confirmatur Primò: Quia eiusmodi visione videtur clarè Deus ipse loquens siue manifestans, & quoq; res ipsæ prout in se sunt: ergo nõ potest iam esse locus assensui propter authoritatem tantũ veritatis primæ obscurè loquentis & reuelantis: quando enim cognitio euidens accedit , quæ etiam superat aut adæquat certitudine fidem prius habitam, tunc omnino intellectui naturale est, vt fidem abijciat : sicuti in luce meridianâ non vtitur quis luce lucernæ. Nullus enim esset fidei vsus ; quia neque ad cognitionem rerum , neque ad certitudinem cognitionis seruiret. Cõfirmatur Secundo: Quia cum perfectione illius status non consistit cognitio imperfecta per speculum in ænigmate, quæ in ordine supernaturali est infima : ergò &c.

100 Hæc tamen intellige secundum ordinariam potentiam & ordinarium agendi modum : nam alioquin non videtur absolutè implicari contradictio in eo, quod inprimis habitus fidei conseruetur in intellectu cum clarâ visione: quod etiam hic ad articulum 5. in solutione 4. argumenti admittit Bannes: & ostendi potest ex eo, quòd probabiliter existimetur D. Paulus in raptu vidisse diuinam essentiam , nec tamen amiserit tunc habitum fidei: quin nec in eo videtur implicantia, quod etiam in actum exeat, puta quo quis secum diceret: Assentior omnibus his veritatibus , non tantùm quia illas in se nunc clarè video; sed etiam ex illo motiuo , quod Deus aliquando nobis verbo suo licet modo obscuro , illas contestatus sit.

101 CONCLVSIO Tertia: Non potest simul esse actus fidei & actus scientię in vno eodemq; intellectu, saltem naturali modo Patet , quia vt Philosophus docet, licet cõtingat plura simul scire, non tamen cogitare : quia scilicet intellectus noster ad plura vt plura simul perfectè cogitãda nõ sufficit: sed vna consideratione simul quasi exhauritur. Quare cum eadem res nõ credatur simul , & sciatur , nisi actu considerentur diuersa media, in quantum diuersa manifestum apparet non posse simul idem credi, & sciri ab eodem in actu.

102 CONCLVSIO Quarta: Potest tamen idem simul habere fidem, & scientiam, aut etiam cognitionem experimentalẽ in habitu de vna eademque re ; & alternatim elicere nunc assensum fidei, nunc scientiæ, non tantum per extraordinariam aliquam potentiam ; sed etiam secundum communem agendi modum. Dico, quod idem de vnâ eâdemque re , quia, quod inter plures vnus habeat fidem de re aliqua , de quâ alter habeat scientiam aut visionẽ ; vel quod vnus & idem habeat de vna re fidem , & de altera scientiam , non habet quidquam difficultatis, & ab omnibus conformiter tenetur : sed quod in eodem circa vnum idemque

idemque obiectum id poſſit fieri, multi negant: quibus D. Thom. in his articulis videtur valde fauere.

103 Nihilominus Concluſio communiter à Doctoribus tenetur: Ita docent Durandus in Prologo ad 1. Sententiarum qu. 1. In 3. diſt. 31. q. 3. Ibidem Gabriel, & Bonauentura diſt. 24. qui dicit, fidem ſaltem poſſe conſiſtere cum ſcientiâ ratiocinationis, vt loquitur, adeoque poſſe quempiam hâc ſcientiâ cognoſcere Deum eſſe, & tamen idem credere: quamuis neget poſſe eſſe fidem de eodem de quo ſit viſio, aut ſenſus exterior ſimpliciter, ita vt dicatur ſenſu exteriori clarè, & perfectè cognoſci.

104 Sed probatur Concluſio ſecundum vtramque partem: Primò, Quia ex parte intellectus eſt melius diſpoſitus qui fide diuinâ tenet Deum eſſe, quàm qui nouit id tantum per demonſtrationẽ; certius enim nouit per fidem: quod etiam Bannes admittit: atqui inconueniens admodum eſt dicere, fidelem qui prius credebat Deum eſſe, iuxta illud Apoſtoli ad Heb. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt*; incipere peius eſſe diſpoſitum, quàm erat prius, certioremque cognitionem amittere hoc ipſo, quo incipit idem per demonſtrationem intelligere: quod tamen futurum omnino eſt, ſi non poſſit fides circa idem obiectum conſiſtere cum ſcientiâ eiuſdem; atque adeò quilibet ruſticus fidelis certius cognoſcet Deum eſſe, quam Philoſophus Chriſtianus.

105 Ad hoc Argumentum videtur reſpondere Bannes: quod licèt fidem non retineat qui ſcientiam acquirit, tamen reſeruet certitudinem fidei, quam habebat de eodem obiecto: & proinde non ſequi, ea quæ tanquam incommoda inferimus. Sed ſi certitudo maneat, reſtat vt explicet à quo habitu tum de cætero ea cauſetur. Deinde cum negare non poſſit, quin dependeat ex auctoritate veritatis primæ obſcurè reuelantis, & non clarè ac euidenter idem obiectum vt in ſe eſt exhibentis, nulla apparet ratio, quare ille certior aſſenſus non ſit aſſenſus fidei.

106 Probatur Secundo: Quia fidelis non poteſt deliberate dubitare de veritate prędictæ propoſitionis abſque hæreſi: poſſet tamen dubitare de ipſâ demonſtratione, quâ illam colligit, vtrùm omni ex parte ſolidè, & firmiter procedat, idque ſine hęreſi, modo concluſionem firmiter teneat: ergo non tantum ſcientificè eam nouit; ſed etiam fide tenere dicendus eſt. Probatur Tertio: Dixerat Chriſtus ſe tertia die reſurrecturum à mortuis: quod ſine dubio Beata Virgo credidit: poſtea autem vidit illum reſurrexiſſe; non tamen exiſtimandum eſt, quod tunc amiſerit fidem illius articuli, Reſurrexit à mortuis. Imò D. Ioannes cap. 2. dicit expreſſè: *Cum ergo reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt Diſcipuli eius quia hoc dicebat, & crediderunt Scripturæ, & ſermoni quem dixit* IESVS: ergo non tantùm non ſcientia ratiocinationis; ſed nec ſcientia viſionis huius vitæ per ſenſus externos excludit fidem, quâ Scripturæ & verbis Chriſti credimus.

Ratio autem vtriuſque eadem eſt: quia habitâ eiuſmodi rerum cognitione, nihilominus adhuc magnus, & principalior ſubſiſtit vſus fidei, tum quia addit cognitionem earundem rerum certiorẽ (nec enim verum eſt, quod videtur exiſtimaſſe Bonauentura ſcilicet intuitiuam notitiam ſenſus non minus certam eſſe, quàm fidem diuinam) tum etiam quia cognitio fidei ſublimior eſt, vtpote ſupernaturalis quæ per ſe monſtrat viam, & ducit ad Deum tanquam finem ſupernaturalem; quod naturalis ſcientia ſiue per demonſtrationem, ſiue per ſenſus exteriores comparata præſtare nequit. 107

Contra concluſionem autem opponunt alij authoritates, & teſtimonia ſuprà in confirmationem primę concluſionis adducta. Ad quæ proinde Reſpondetur, ea non aliud ſignificare, quàm fidem non præbere argumentum faciens res creditas clarè ſiue euidenter in ſe cognoſci; nec eam niti in rerum euidentiâ, ſed quantum ex ſe eſt, dare tantùm cognitionem obſcuram rerum, & inclinare ad credendum etiam ea quæ non videt aut intelligit quis, idque propter authoritatem Dei dicentis, & reuelantis: ad iſtum enim finem principaliter fides ordinata eſt, & à Deo nobis donatur, vt per eam teneamus, & credamus illa quæ ad finem ſupernaturalem pertinent, & conducunt: quæque naturalem intellectus noſtri capacitatem ſuperant. 108

Cum quo tamen bene conſiſtit, vt ſi quę naturaliter à nobis cognoſcibilia ad eundem finem ſupernaturalem faciant, & ea nos quoque Deus edoceat ſuo verbo, quod ijſdem pari veneratione, & aſſenſus firmitate propter diuinam authoritatem inhæreamus, ſicut alijs quæ capere non poſſumus. Si quis enim illis aſſentiretur tantùm, quia videt aut per demonſtrationem cognoſcit, talis ſine dubio non crederet: quia aſſenſus fidei debet eſſe propter authoritatem dicentis, & non propter rationem quæ facit rem videri, aut intelligi. Et propterea dicit Auguſtinus: Quid fides eſt, quàm credere quod non vides? quia ſcilicet propter authoritatem quæ non oſtendit rem ipſam, creditur: & D. Gregorius: 109

gorius: Quæ enim apparent, iam fidem non habent; scilicet sub eâ ratione quâ apparent, si sub eâ tantum præstetur illis assensus. Sic etiam alibi dicit: fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum.

110 Dicet aliquis D. Chrys. loco supra citato ita scribit: Si est ergo argumẽtum eorum quæ non videntur, quid ea vultis videre vt à fide excidatis? vbi videtur significare quod excidant à fide, qui vident ea quæ creduntur. Respondetur non illum esse Chrysostomi sensum: sed eum docere quod qui volunt videre aut intelligere omnia, & alioquin non assentiri ijs quæ annuntiantur, excidant à fide: quia fides non est tale argumentum quod faciat res in se videri, sed tantum obscurè cognosci ea quæ non apparent.

111 Occasione autem eius quod D. Thom. art. 4. in responsione ad secundum scribit: ea scilicet quæ sunt fidei considerata in generali sub communi ratione credibilis, sic esse visa ab eo qui credit, Disputatur hic primo: Vtrùm obiectum fidei, licet non sit euidentis veritatis, debeat tamen esse euidentis credibilitatis? Respondeo & Dico Primò, omnino necessarium esse, quod ea quæ fide diuina creduntur, sint euidenter credibilia tanquã diuinitus reuelata quando secundum prudens iudicium expenduntur, & quidem ita vt oppositum secundum prudentem æstimationem reddatur omnino incredibile. Est manifesta doctrina D. Thomæ loco citato, vbi addit: Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter euidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi: & tenetur communiter. Probatur, quia alioquin credulitas non esset prudens: nam ad prudenter credendum, siue fide humanâ, siue diuinâ non sufficit sola motio voluntatis quæ ad credendum inclinet, sed requiritur aliqua persuasio ex parte intellectus innitens argumentis accommodis, quamuis non ad exhibendam rem secundum se, tamen ad reddendam eam credibilem secundum eam rationem quâ proponitur, ne locum habeat illud Ecclesiastici 19. *Qui credit citò, leuis corde est.* Et quia mysteria fidei proponuntur credenda fide firmissimâ, & planè indubitatâ, qualem oportet tribuere Deo dicenti, ideo debent apparere tam credibilia, vt oppositum prudenter iudicando habeatur planè improbabile & incredibile. Idem significat Aug. epistola. 112. cap. 3. dum scribit: Si scire non immerito dicimur ea quæ idoneis testibus commoti credimus, possumus idem dicere, quod videmus ea quæ credimus, scilicet propter authoritatem, & argumenta quæ faciũt illa tam euidenter, & clarè credibilia, vt eis quis mente adhæreat non minùs quam si ea in seipsis videret: quod capite sequenti magis explicat, vbi docet ea quæ sunt fidei, nos videre quodam mẽtis intuitu secundum testimonia dicentiũ magis, quàm secundum rerum præsentiam creditarum.

Sed contra Obijcitur Primò; Quod euidens est esse credibile, id etiã euidẽs est non esse impossibile; & consequenter erit euidens esse possibile: In æternis autem esse, & posse non distinguũtur; ergo quęcumque de diuinis attributis credimus, etiam euidenter vera esse cognoscemus. 112

Respondetur Primò Neg. Antecedens, generaliter loquendo de credibilibus: nam potest esse aliquid credibile fide humanâ, & quidem euidenter, quod tamen falsum sit, aut impossibile. Vnde ad rationem credibilis euidenter in communi non requiritur, vt sit euidens non esse id impossibile: sed bene vt non sit euidens id esse impossibile. Deinde est alia ratio credibilitatis, & alia ratio possibilitatis vel impossibilitatis: nam credibilitas rei maximè desumitur ab argumentis extrinsecis; vnde potest esse euidens, quod aliquid sit credibile, quamuis eius veritas, & possibilitas in se non euidenter cognoscantur: quæ euidenter cognosci non possunt, nisi re ipsâ vt in se est, euidenter cognitâ.

Obijcitur Secundò: Si obiectum fidei deberet esse euidenter credibile, iam sequeretur non fore necessarium, vt intellectus moueatur à voluntate ad illi assentiendum. Confirmatur, nam intellectus satis videtur conuinci ab obiecto euidenter credibili. Respondetur Neg. Assumptum. Ad Confirmationem autem: Esto, quod intellectus satis conuinceretur ab obiecto euidenter credibili ad iudicandum illud esse credibile, non tamen ideo satis conuincitur ad credendum. Vnde requiritur vt ad hoc moueatur per voluntatem, sicut infra amplius dicetur. Possumus enim multa iudicare credibilia, quibus tamen non assentiamur. 113

Addo autem quod licet ea quę fide creduntur, sint euidenter credibilia, atque adeo credenda secundum prudens iudicium, quando omnia attentè perpenduntur, quæ ad eorum propositionem concurrunt, contingere nihilominus quod intellectus his non intendat nisi per voluntatẽ applicetur: vnde fit etiam quando voluntas cõtrarijs passionibus est imbuta, quod vt plurimum tunc quoq, contemnantur aut negligantur quæ à prædicatoribus Euangelij dicuntur, quantumuis cũ maximis credibilitatis signis & argumentis 114

sua

sua ponant, & confirment. Quod Scribis, & Pharisęis accidisse testatur Euangelium diuersis locis: vnde dicit Christus Ioannis 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.*

115 Dico Secundò: Quæcumque proponit, & docet Catholica Christi Ecclesia sub diuinâ authoritate credenda, illa omnia sunt euidenter tanquam talia, credibilia & amplectenda præ omnibus alijs dogmatibus, & sectis, siue gentilium Philosophorum, siue hæreticorum, vel quorumcumq; aliorum, ita vt omne aliud dogma contrarium cernatur euidenter incredibile. Probari id potest, inprimis ex Psal. 92. vbi Regius Propheta explicat primo loco, quomodo Christus Dominus Dei filius regnabit: scilicet in regno Ecclesiæ, indutus fortitudine, & præcinctus virtute, quâ nimirum expeditus erit vt atrium fortis armati Diaboli ingrediatur, & vasa eius diripiat, item vt ventis, & mari imperet, vt sanet omnes infirmitates, & alia multa naturæ insuitata operetur: Item quomodo vbi ipse ad sedem sanctam suam ex tunc ab æternitate ei paratam in altum ascenderit, Apostoli ab ipso sapientiæ fonte edocti, & Spiritu Sancto pleni, eleuabunt voces suas, & tanquam flumina emittent eloquia sua, reddentes testimonium resurrectionis, ac totius vitæ & doctrinæ Christi: iuxta illud Act. 2. *Stans Petrus cum vndecim leuauit vocem suam.* Et post hæc prophetice enarrata quasi admirabundus exclamat ipse Psaltes: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*: testimonia, inquam, Euangelicæ prædicationis Christi tui.

116 Idem significat Apostolus ad Heb. 2. cap. dum ita scribit: *Quæ* (scilicet salutis nostræ doctrina) *cum initium accepisset enarrari per Dominum; ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus.* Huc etiam facit, quod Marci vltimo dicantur Apostoli profecti, & prædicasse vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Docent idem ex professo Tertull. in Apologetico pro Christianis contra gentes: Eusebius toto Opere de pręparatione Euangelica, & Opere de demõstratione Euangelica: Aug. lib. contra epistolam Fundamenti cap. 4. & alij Antiqui Patres. Ex Posterioribus autem, idem docent D. Tho. lib. 1. Contra gentes cap. 6. Scotus in prologo ad sententias qu. 2. Michaël Medina lib. 2. de recta in Deum fide, & moderni D D. plurimi.

117 Cæterùm, quod attinet ad testimonia & argumenta, quibus doctrina Christiana siue Ecclesiæ Catholicæ reddatur prę omnibus alijs doctrinis cuiuscumque religionis aut sectę euidenter credibilis, reproducuntur à Patribus, & Doctoribus eiusmodi plurima, è quibus quędam hic principaliora recensebimus. Primum itaque sit desumptum ex eo, quod Author & Doctor Legis Euangelicæ, eiusque vita, operationes, doctrina, mors, & alia multa particularia huc pertinentia, vt gentium vocatio & accessio ad hanc doctrinam, & Iudæorum reiectio multis retrò sæculis sint pręnuntiata oraculis prophetarum, quos Spiritus diuinus inundarat. De quibus vide Tertull. Apolog. c. 21.

Et quidem tam clarè, & cum tot & tantis circumstantijs, vt possint videri Prophetæ, non tam futura prædicere, quàm præterita, & coram se gesta enarrare: quod inter cæteros præstat manifestiùs Isaias: quo nomine D. Amb. eius lectionem commendabat Augustino, dum adhuc circa conuersionem suam fluctuaret. Vnde & Apostolus ad Rom. 1. cap. dicit, se segregatum in Euangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis. Quid autem maioris credibilitatis esse potest argumentum doctrinæ alicuius tanquam à Deo hominibus traditæ, quàm quòd à tot sæculis Deus præsignificauerit se aliquando daturum nobis eiusmodi Doctorem & Legislatorem, qualis hic ipse opere, & sermone fuit, qui doctrinam Euangelicam attulit. 118

Et ne quis fortè calumniari cũ tempore posset ista vaticinia post factum fuisse cõficta ab istius doctrinæ cultoribus, diuinâ prouidentiâ singulari dispositum est, quòd apud ipsos Iudæos æmulos maximos contra Christianam religionem, etiam in hæc tempora conseruarentur libri illi, & vaticinia: vt docet August. lib. 4. De Ciuitate cap. 34. cum alijs multis PP. Rursum, ne quis miretur, quomodo igitur Christus in propria veniens à suis, quibus credita erant vaticinia, & eloquia Dei, non fuerit receptus: Respondet Tertull. in Apologetico cap. 21. Ne enim intelligerent Iudæi pristinum (id est primum) aduentum Christi (inquit) crediturì si intellexissent, & consecuturi salutem si credidissent, meritum fuit delictorum: imò hoc ipsum testatur eis prædictum fuisse: Ipsi legunt (inquit) ita scriptum, mulctatos se sapientiâ, & intelligentiâ, & oculorum, & aurium fruge. 119

Ad idem argumentum facit, quod Christus ipse quoq; multa prænuntiauerit Apostolis futura, quæ ipso facto obseruantur euenisse, & quæ nondum euenerunt, non dubitantur suo tempore euentura; quia his, 120



his præteritorũ euentus fidem facit. Vtuntur hoc argumento Iustinus Apologia 2. ad Antoninum, Tertull. in Apologetico cap. 20. Lactantius lib. 4. Diuinarum institutionum cap. 5. Aug. lib. 17. De Ciuitate cap. 15. & Prosper lib. De Promissionibus & Prædictionibus Dei.

121 Secundum Argumentum sit desumptũ ex signis & miraculis, quibus hæc doctrina est confirmata, tum à Christo Domino primo eius Authore, tum ab Apostolis, & alijs Euangelij prædicatoribus; idque talibus & tantis, quæ omnem naturæ potentiam siue in substantiâ, siue in modo superarent. Quare cum miracula sint proprium opus Dei, & quasi sigillum verborum eius, efficitur eam doctrinam ad cuius prædicationem, & testificationem illa facta sunt, euidenter credibilem esse tanquam à Deo profectam, & vt talem credendam.

122 Et Confirmatur Primò ex Scripturis, quæ non tantum docent illud prudenter posse, sed etiam debere credi, quod miraculis comprobatur: Ioannis cap. 3. *Scimus* (inquit Nicodemus) *quia à Deo venisti magister, nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Ioannis 5. *Ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Ioannis 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite:* & 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit,* &c. 3. Regum c. 17. Mulier cuius filium suscitauerat Elias, ideo dicit: *Nunc in isto cognoui quoniam vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo verum est.* & cap. 19. Ipse Elias hoc idem videtur voluisse, quando ad faciendum miraculum prouocat Prophetas Baal, dicens: *Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.*

123 Idem docent Sancti Patres: D. Chrys. hom. 39. in Ioannem. Opera etiam insanis persuaderent, ideo ipsorum adduxit testimonium. Isidorus lib. 1. De Summo Bono cap. 24. Tunc oportebat mundũ miraculis credere. D. Greg. hom. 4. in Euangelia: Adiuncta sunt Prædicatoribus Sanctis miracula, vt fidem verbis daret virtus ostensa, & noua facerent qui noua prædicarent. Vnde vt suprà allegatum fuit: rectè dixit Richardus de Sancto Victore lib. 1. De Trinitate cap. 2. Nonne cum omni confidentia Deo dicere poterimus: Domine, si error est, à te ipso decepti sumus: nam ista in nobis tantis signis, & prodigijs confirmata sunt, & talibus quæ non nisi per te fieri possunt.

124 Nec potest quisquam negare ea facta, quia non tantum libri Scripturæ Sacræ illis pleni sunt, sed etiam passim apud alios Scriptores, tum Ecclesiasticos, tum etiam Prophanos, & Ethnicos ea extant; quemadmodum Ecclipsin quæ contra naturæ cócursum accidit in morte Domini in Romanorum gentilium archiuis adnotatam existere suo adhuc tempore testatur Tert. in Apolog. c. 21. ante citato, vbi dicit, quod Primores Iudæorũ exasperati Christi doctrinâ, quâ reuincebantur, violentiâ suffragiorum in crucem, IESVM dedi à Pilato extorserunt: prædixerat, & ipse, ita facturos: parum hoc, si non & Prophetæ retrò etiam: Tamen suffixus multa mortis illius propria ostendit insignia: nam Spiritum cum verbo sponte dimisit, præuento carnificis officio: eodem momento dies, mediũ orbem signante sole, subducta est: deliquium vtique putauerunt, qui id quoque super Christo prædicatum non sciuerunt: & tamen eum mundum casum relatum in archiuis vestris (loquitur Romanis) habetis. Hactenus Tertull.

Rectè etiam D. August. contra eos qui miracula facta forsitan negarent, ita scribit lib. 22. De Ciuitate cap. 5. Si verò per Apostolos Christi, vt eis crederetur resurrectionem, & ascensionem Christi prædicantibus, etiam ista miracula facta esse nõ credunt, hoc vnum nobis grande miraculum sufficit: quod ea (videlicet resurrectionem, & ascensionem quæ tam supra omnem sunt naturam) terrarum orbis sine vllis miraculis credidit. 125

Neque tantùm vno tempore, quando primùm cœpit hæc doctrina mundo prædicari, fuerunt ad eius introductionem, & confirmationem signa, & miracula exhibita: sed consequenter omnibus sæculis in diuersis locis ab huius doctrinæ cultoribus semper facta sunt, & fiunt: & quidem tam euidentia, vt nisi à peruicacissimis, aut insanis negari non possint; quales sese nostri temporis hæretici declarant, quando calumniantur, miracula SS. esse dæmonum præstigia, & arguunt Nicromantiæ eos, ad quorum preces Deus ista facere dignatur, vt Sanctum Martinum virum eminentissimæ, & notissimæ sanctitatis, vt videre est apud Caluinum in præfatione ad suas Institutiones, & apud Centuriatores Maldeburgenses. Sed in eo imitantur excæcatos, & obduratos Iudæos, qui similes calumnias Christo Domino impegerunt, quando opera ipsa non poterant vlla tergiuersatione negare. Quod & prædixit Christus futurum Matth. cap. 10. *Si Patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius.* 126

Ad hoc argumentum etiam pertinet singularis illa potestas, quâ cultores huius doctrinæ valent contra dæmones, vt non præcariò, sed per imperium in nomine Christi pellant eos, non tantum ex hominum corporibus, sed etiam ex idolorum 127

statuis

statuis, & delubris; faciant eos obmutescere ne dent responsa, faciant quoque eos confiteri se non Deos, sed miseros, & infelices esse Spiritus. De quo Tertull. in Apologetico cap. 23. Sed hactenus verba; iam hinc demonstratio rei ipsius: edatur hic aliquis in tribunalibus vestris (inquit) quem dæmone agi constet: Iussus à quolibet Christiano loqui, Spiritus ille tam se dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falso. Equè prouocetur aliquis ex ijs qui de Deo pati existimantur (id est, quos Deos aut Deo plenos existimatis) nisi se dæmones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite.

128 Quo etiam factum est, quod per vniuersum orbem, vbicumque Christi nomen prædicatum fuerit, idololatria mox omnis cessauerit. Hoc enim fuit quasi præmium mortis Christi inter reliqua, vt per Crucem contra Principem tenebrarum triumpharet, vt qui in ligno vincebat, in ligno vinceretur. Quod & Prophetæ prædixerant: Abacuc 3. *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors, egredietur Diabolus ante pedes eius*, id est, fugiet à facie crucifixi, de quo testimonio licet videre D. Leonem serm. 8. de Passione Domini. Isaiæ cap. 2. *Et leuabitur Dominus solus in die illa, & Idola penitus conterentur*, & Christus Ioannis 12. idem prædixit: *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras.*

129 Tertium Argumentum desumi potest à sapientiâ, & sanctitate primarij Authoris huius doctrinæ, scilicet Christi Domini: qui nihil rerum terrenarum ambiuit: honores, & diuitias fugit, & contempsit: qui non nisi vnius veri Dei cultum, & fidem, pietatem, humilitatem, patientiam, mansuetudinem verbis, & factis commendauit suis discipulis. Quod augeri etiam potest ex sanctitate, & sapientiâ eorum, qui post Christum, fidem nostram prędicarunt per vniuersum mundum: fuit enim disseminata ab Apostolis diuinitùs edoctis, & illuminatis, & ab Apostolicis viris, vt Ignatio, Dionysio, Policarpo, & similibus alijs multis; qui etiam sanguine suo confessionē suæ doctrinæ consignauerunt.

130 Deinde vlteriùs continuata, & promulgata fuit à sanctissimis Doctoribus Athanasio, Basilio, vtroque Cyrillo, Chrysostomo, vtroque Gregorio, Cypriano, Augustino, Ambrosio, Hieronymo, & plurimis alijs. Huc etiam accedit doctrinæ huius puritas, vt quæ gratiam, & misericordiam Dei, ac iustitiam, & seueritatem eius inprimis commendat: & quæ veram hominis felicitatem non in terrenis, sed in cœlestibus bonis sitam ostendit; & quomodo ad eam assequendā quis mores suos debeat componere, demonstret; quæque infinitos errores contra naturalem rationem, & turpissimos hominum mores correxerit. Non enim non potest illa Doctrina iudicari credibilis, & Deo digna, quæ humano generi à talibus viris est administratā, & quę tam sancta in se cōtinet pręcepta, vt omnia vitia, & omnem turpitudinem prohibeat, & resecet.

Quartum argumentum diuinitatis huius doctrinæ desumi potest ex modo, quo ea est propagata per orbem vniuersum: nam inprimis constat hanc ab initio prædicatam, & disseminatam esse ab infimæ sortis hominibus, Plebæis, Ignobilibus, Pauperibus, & Idiotis, qui litteras non didicerant, sine humana philosophiâ, sine eloquentiâ: qui mechanicis artibus victum conquirebant, sine armis, & sine Principum fauoribus. Vnde Apostolus 1. ad Cor. cap. 1. *Videte* (inquit) *vocationem vestram fratres: quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundit fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt* (id est, quæ pro nihilo reputantur) *vt ea quæ sunt* (id est, quæ pro maximo habentur) *destruat*. Sic enim ostendit Spiritus Sanctus illud esse opus suum, & verū esse quod eodem loco scribit Apostolus: *Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*, id est, Idiotas alioquin & ignaros, ac quasi insipientes, sed à Dei Spiritu edoctos: item infirmos ac nullius potentiæ homines; sed Dei virtute imbutos ex alto, præualere contra omnem mundi sapientiam, & contra omnem potentiam eius, ac etiam sæuitiam, & tyrannidem. 131

Vnde idem Apostolus cap. 2. scribit: 132 *Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis: sed in ostensione Spiritus: & virtutis*, ac rursum: *Quæ & loquimur* (inquit) *non in doctis humanæ sapientiæ verbis: sed in doctrina spiritus*. Et Act. cap. 4. Admirabantur Scribæ, & Sacerdotes constantiam Petri, & Ioannis: *Comperto* (inquit Scriptura) *quod homines essent sine litteris, & idiotæ.*

Secundò constat eam, quam isti sic per 133 orbem terrarum prædicauerunt doctrinā, esse talem, vt secundum externam speciem appareret hominibus stultitia magis, quā sapientia: puta quod homo in crucem actus, & multa probra ac tormenta perpessus, sit verus Dei filius, verus Deus de Deo vero;

vero; quòd à mortuis resurrexerit, quòd non sit aliud nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri præterquam in nomine Christi crucifixi. Hinc Paulus 1. ad Cor. 1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum* (quia Messiam magnificum, & potentem exspectabant, vnde in huius paupertate, & abiectione offendebantur) *gentibus autem stultitiam* (quia inani Philosophiâ tumidæ omnia per rationes demonstranda putabant) *ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Huc accedit quod doctrina illa non tantum quasi in se stolida possit videri, & sic humanitùs abijcienda: sed quod etiam interdiceret, & rescinderet omnia quę sensibus, & affectibus corrupti sęculi erant optabilia, & delectabilia: È contra inculcaret pœnitentiam, luctum, lachrymas, & nihil promitteret in hoc mundo præter pericula, persecutiones, cruces, & tormenta.

134 Tertiò constat hanc doctrinam fuisse prædicatam, & à mundo receptam repugnantibus Principum, & magistratuum potentijs, contradicente Philosophorum inani sapientiâ, ac obstrepente Rhetorum dicacitate, atque adeo Diabolo omnibus modis, & artibus, ac sæuitijs, & tormentis contra nitente: adeò enim certum impendebat Christianis supplicium, vt teste Tertulliano in Apologetico, dicerentur vulgò, Sarmentij, & Fæmissarij, quia ad stipitem medij assis sarmentorum ambitu exurebantur: & nihilominus quanto magis à mundo, & diabolo impugnabatur, tanto semper magis increuit & præualuit: vt sanguis Martyrū factus sit semen Christianorum, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata in fide populorum resurgunt. Vnde & Iustinus Apologia 1. ad Senatum Rom. testatur se constantiâ Martyrum permotum fuisse ad Christianam fidem amplectendam.

135 Quæ omnia manifestè ostendunt hanc doctrinam verè esse diuinam; esse Legem Dei immaculatam quæ conuertit animas, esse præceptum Domini lucidum, quod illuminat oculos; esse testimonium Domini fidele, quod sapientiam pręstat paruulis, vt habetur Psal. 18. esse verbum à Deo emissum, quod operatur quodcumque Dominus voluerit, & nō reuertitur vacuum; esse sermonem Dei viuum & efficacem, qui penetrabilior est omni gladio, esse malleum conterentem petram, id est, humani cordis duritiem de quo Ieremias cap. 23.

136 Neque enim fieri potuit, quòd hæc doctrina tam à sensibus humanis aliena, tam supra omnem intellectum, tam aspera, grauis & dura corrupto homini ita per orbem vniuersum persuaderet, & reciperetur inter tot contradictiones, & contrarios conatus; idque per homines ex se simplices & rudes, nisi Deus peculiariter, & efficacissimè simul esset cooperatus, tum cum illis qui eam prædicarunt, tum etiam in animis illorum qui eam audierunt & receperunt. Vnde D. August. lib. 22. De Ciuitate cap. 5. ponit inter præcipua miracula, quod pauci homines pauperes & inermes omnibus mundi præsidijs destituti, mundum conuerterint; aliæ autem sectæ quæ aliquod incrementum habuerunt, vel armis inuectæ sunt, aut propter viræ libertatē, & carnis blanditias quibus indulgebant, faciliùs admissæ tantùm ad tempus aliquod, & ad certa loca fuerunt.

Hinc Quintum argumentum potest desumi ex Antiquitate, & constante continuatione huius doctrinæ: Itē ex amplitudine locorum, & cōcordiâ Doctorum circa eandem. Quod ad antiquitatem & successionem attinet, potest euidenter ostendi eam à Christi temporibus iam à mille sexcentis annis continuâ prædicatione quasi per manus absque interruptione, vel obscuratione ad nos vsque deuenisse. Quod probari inprimis potest ex notoria & continuatâ successione summorum Pontificum Romanæ Sedis, quam etiam suis temporibus pro magno argumento duxerunt Tertull. lib. De Præscriptionibus aduersus hæreticos. Ireneus lib. 3. cap. 3. & August. lib. De vtilitate credendi cap. 17. Item ex successione aliorum Episcoporum in antiquissimis quibusdam Ecclesijs, in quibus nihil vnquam quod ad substantiam fidei ac religionis pertinet, reperitur immutatum. Deinde quia non desunt celeberrimi Patres, & Doctores qui singulis sæculis scripserunt de rebus fidei, & religionis conformiter ad suos antecessores; vti latiùs ostendunt qui scribunt controuersias huius temporis cum hæreticis. 137

Quod autem ad amplitudinem locorū ad quæ se extendit hæc doctrina, & concordiam eorum qui eam sustinuerunt, & sustinent, manifestum est nullam esse prouinciam, nullam nationem, aut gentem hactenus cognitam ad quam non peruenerit, & vbi non fuerint, aut sint huius fidei cultores: atque adeo quamuis non simul, tamen successiuè per totum mundum omni creaturæ eam annuntiari iuxta verbum & mandatum Christi: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Quod autem id non vno aliquo aut breui tempore simul fieret, sed paulatim, & cum morâ præsignificauit, & indicauit Christus 138

Matth.

Matth. 10. dum Apostolis dixit: *Cum autem persequentur vos in Ciuitate ista* (inquit) *fugite in aliam: amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israël, donec veniat filius hominis*. Quibus significat vsque ad finem mundi, fidem semper propaginandam ad nouas gentes & regna; & sic successiuè annuntiandam per totum orbem; quod & ipsa experientia obseruamus fieri. Similiter clarum est, inter omnes orthodoxos, quantumuis dissitis temporibus, aut locis vixerint & scripserint; quantumuis ex diuersis nationibus & gentibus fuerint, summam esse concordiam in ijs quæ ad substantiam huius doctrinæ spectant: quæ omnia sunt euidens indicium & certum argumentum ab vno eodemque Spiritu omnes esse edoctos, qui semper & vbique præsens est, & qui per diuersitatem linguarum gentes in vnitatem fidei congregauit: de quo argumento licet videre Eusebium libro vltimo de Pręparatione Euangelica cap. 1.

139 Et quidem specialiter hoc facit credibilem nostram doctrinam Christianam, prout hodie ab Ecclesiâ Catholicâ tenetur, & fidelibus credenda proponitur pre omnibus sectis & hæresibus tum huius, tum superiorum ætatum: quæ in prædictis omnibus notabiliter deficiunt: quia hæretici neq; possunt per continuam successionem Episcoporum siue Pastorum, seu ministrorum vt vocant; neque per continuam Doctorum traditionem, & scriptionem deducere dogmata sua quæ contra Ecclesiæ Catholicæ sensum, & definitionem inuehunt, ad Apostolos aut Apostolicas Ecclesias: sed tantum ad definitas personas quæ noscuntur fuisse talis doctrinæ primi inuentores: quod notorium est in hæresibus nostri temporis. nullus enim Episcopus, nulla Ecclesia ante Lutheri & Caluini tempora sic tradidit doctrinam Christianam, aut tales Catechismos, aut Confessiones fidei edidit, quemadmodum isti noui Doctores tradiderunt & ediderunt. Et si quandoque fuerint aliqui qui partem aliquam eiusmodi nouitatis voluerunt docere, constat eos mox ab Ecclesiâ fuisse reiectos & damnatos. Nullus autem omnino reperitur qui per omnia docuerit eandem doctrinam cum his quoad ea in quibus à communi Ecclesiæ sensu recedunt.

140 Vnde meritò potest ipsis opponi, quod Tertull. opposuit hæreticis sui temporis lib. de Præscriptionibus: Qui estis vos (inquit) vnde & quando venistis? vbi tamdiu latuistis? & quod scribit Hil. lib. 6 de Trinitate ante medium: Tardè mihi hos pijssimos Doctores ætas nunc huius sæculi protulit; serò hos habuit fides mea quam tu erudisti, Magistros: inauditis ego his omnibus, in te credidi: & D. Hieronymus in epistola ad Pamachium: Quisquis assertor es nouorum dogmatum, quæso te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est: cur post 400. annos (nos autem dicemus post mille quingentos annos) docere nos niteris, quod ante nescimus: vsque in hanc diem sine vestrá istá doctriná mundus Christianus fuit. Et denique quod Optatus Meleuitanus libro 2. contra Parmenianum, postquam enumerasset omnes Romanos Pontifices à Petro vsque ad Syricium, qui tunc Cathedram tenebat, à Donatistis hæreticis requisiuit: Vos (in-
quit) vestræ Cathedræ originem ostendite 141
(scilicet à Christo vel Apostolis deriuatam) qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vendicare.

Similiter etiam nulla secta, siue hæresis ad eam locorum amplitudinem, & temporum se extendit, vt Catholica & vniuersalis dici possit per totum orbem recepta doctrina: sed fuerunt semper singulæ certis regnis & prouincijs conclusæ: licet aliquæ plura, aliquæ pauciora loca infecerint: & ad certa tantū tempora, vix vnquā vltra sæculum vnum durarunt, quin deficere incœperint, & postmodū penitus conciderint. Quod in Sectis quoq; nostrę ætatis est obseruare: Iam enim Lutheri hæresis, vnde omnes aliæ sumpserunt exordium, penè à cunctis deseritur, & ipsa quasi emoritur: reliquæ etiam minuuntur & deficiunt: & quidem ita continuò
mutantur, vt vix possint vna dici doctrina, 142
prout modo proponuntur, & prædicantur cum doctrinâ quam primi authores & hæresiarchæ ediderunt.

Vnde patet, quàm etiam nulla sit concordia inter eos qui ab Ecclesiâ recedunt: vix enim noua hæresis nascitur, quin mox in plurimas sectas diuidatur: tot enim sunt propemodum diuersæ hæreses quæ se mutuò Anathematizant, quot fuerunt primarij discipuli scholę Lutheri, qui vt
nomen suum celebrarent, voluerunt 143
singuli supra Magistrum suum sapere, & propriam fidem cudere.

Sextum & vltimum argumentum, præsertim quoque contra hæreticos sumi porest ex prouidentiâ Dei: de quâ nullo modo credibile est, quod vniuersum Christianum orbem prætioso sanguine Christi quasi agni immaculati redemptum, ita deseruerit, & quasi despexerit, vt tot sæculis in crassam perfidiam, & in æternæ damnationis reatum permiserit totū corruere, donec Lutherus vitæ Sanctimo-

niam quam professus erat, cum libidine turpi commutans veniret & lumen veritatis Euangelicæ reduceret.

144 Quare meritò ei, eiusque sectatoribus licet opponere, quod Tertull. suo tempore dixit hæreticis cum Ironiâ: Aliquos Marcionitas, & Valentinianos (nos Lutheranos & Caluinistas dicemus) liberada veritas expectabat: interea perperàm euangelizabatur, perperàm credebatur. Huc accedit Christi promissio Matthæi capite vltimo: qui dixit se futurum omnibus diebus cum Apostolis, & eorum in Ecclesiæ regimine successoribus vsque ad consummationem sæculi: quomodo auté cum illis fuerit omnibus diebus: si iam à mille annis, vt nostri hæretici volunt, puritas & veritas Euangelij fuerint deprauata, & intolerabiles errores fidelibus obtrusi, donec tandem illi impurissimi homines puritatem Euangelicã restituerent. sed de his postremis argumentis infrà pluraerunt dicenda.

145 DISPVTATVR hîc Secundò: Quo lumine res fidei videantur euidenter credibiles sub diuinâ authoritate, prout ostensum est iam eas videri. Occasionem huic quæstioni præbet Diuus Thomas, qui artic. 4. ad 3. scribit: quod lumen fidei facit videre ea quæ creduntur: facit (inquam) videre, videlicet sub communi ratione credibilis, prout suprà art. 3. nu. 89. & 90. diximus illum explicuisse id in responsione ad 2. eodem artic. 4. Et artic. 5. ad primum dicit, quod ea quæ fidei sunt, per lumen fidei videantur esse credenda: quod tamen multis non placet: Primò, quia res fidei apparent euidenter credibiles & tales debent iudicari etiam ab ijs qui præparantur ad fidem antequam perfectè credant, aut sint informati habitu fidei: ergo dici non potest, quòd per habitum fidei videant res illas sic propositas euidenter esse credibiles, & iuxta prudens iudicium credendas. Secundò, quia habitus fidei inclinat per se ad assentiendũ ijs quæ non videntur, & ad hoc infunditur homini: ergo ipse non est qui videre facit res euidenter esse credibiles tanquam à Deo profectas: quia idem habitus non causat assensum euidentem & ineuidentem. PRO RESOLVTIONE

146 Dico Primò: loquendo de fidelibus, rectè & verè dicitur, quod per habitum fidei videant ea euidenter credibilia quæ ab Ecclesia proponuntur eis credenda, & hic est sensus Diui Thomæ. Ratio autem & veritas Conclusionis possunt intelligi ex dictis artic. 3. numeris iam citatis: & constabunt amplius ex solutione secundæ obiectionis.

Dico Secundò: Loquendo vniuersaliter de omnibus, etiam de illis qui primùm ad fidem accedunt, sic dici non potest, quod videant istam credibilitatem per habitum fidei: non malè tamen de plerisque illorum dicitur etiam, quod videant per lumen fidei. Priorem partem probat sufficienter primum argumentum suprà positum: nec amplius quidquam conuincit: & sic patet quidnam ad illud sit respondendum. Posterior pars declaratur: quia potest lumen fidei accipi generalius, vt non tantum dicat habitum fidei; sed etiam comprehendat actuales illustrationes quibus Deus præuenit & illuminat hominem ad percipienda & dijudicanda ea quæ sunt Spiritus Dei, quæ animalis homo alioquin non percipit; & per eiusmodi illuminationes fit, quòd & intellectus ijs quæ prædicantur, intendat: sicut Dominus aperuit cor Lydiæ, vt intenderet ijs quæ dicebantur à Paulo, Act. 16. & quòd etiam credibilitatem diuinam eis inesse obseruet & iudicet: vt supra artic. 3. ampliùs ostendimus: ad quæ postmodum sequitur ipsum credere & ipsa fides.

Dico Tertiò: Etiam per lumen naturale intellectus possunt videri res fidei euidenter credibiles propter multa extrinseca argumenta & testimonia quæ id clarè ostendunt, quando attentè & sine prauis passionibus perpenduntur & examinantur. Ita tradunt DD. communiter: & ex dictis Disputatione præcedenti satis id potest constare. Vnde & dicunt iudicium illud de credibilitate mysteriorum non ex necessitate esse supernaturale. Tamen existimo quod vix vnquam constanter & fixè illis intellectus inhærebit, & satis firmiter iudicabit eas esse euidenter credibiles sub diuinâ authoritate, sic vt proximè ad illud iudicium sequatur supernaturalis, & verus actus fidei etiam cum auxilio gratiæ concurrente; nisi prius diuino lumine præuentus illis cœperit intendere, & sic iudicauerit eas esse euidenter credibiles, tanquam à Deo profectas. Ratio est: quia ista sunt præambula & dispositiones ad finem, quæ debent esse eiusdem ordinis cum ipso principali actu & formâ: & quamuis posset Deus per absolutam potentiam subito sic commouere voluntatem, & eleuare intellectum, vt post apprehensionem earum rerum merè naturalem, immediatè eliceret actum fidei, tamen id minus consentaneum est naturis rerum, & communi ac suaui Dei operandi modo: vnde ita non fit saltem ordinariè. 147

Ad Secundum itaque Argumentum 148
quod

quod primę concluſioni videtur aduerſari, Reſpondetur, Negando Conſequentiam: quamuis enim aſſenſus obſcurus ſit principalis effectus, & finis habitus fidei, non tamen inde ſequitur non poſſe eundem habitum quoque valere & concurrere ad aliquas operationes præuias, & ad principalem eius effectum & finem quaſi ex naturâ ſuâ tendentes, cuiuſmodi eſt illud iudicium de credibilitate euidenti rerum fidei ſub diuinâ authoritate, quia eo quaſi mediante deducit intellectum in aſſenſum eorum quæ non videt: quod ſatis apertè docet Diuus Thomas articulo 4. citato ad 3. atque ita iſta euidentia non obſtat quo minus etiam circa illam habitus fidei operetur, quia hoc totum eò tendit, vt intellectus inclinetur ad aſſenſum eorum quæ euidenter cognoſcere non poteſt: non eſt autem contra rationem habitus intellectualis inclinantis in aſſenſum veritatis obſcuræ, quod etiam inclinet in aſſenſum rei euidentis, quatenus illa facit vt rei obſcurę prębeatur aſſenſus, maximè quando res illa euidens non facit rem, quæ obſcura erat, in ſe claram & clarè videri; ſed addit tantum extrinſecum argumentum aut teſtimonium: quemadmodum idem Spiritus eſt qui operatur in ijs qui ad fidem conuertuntur, plenum aſſenſum rerum diuinarum, & qui operatur, vt intendant ijs quæ proponuntur & videant ea eſſe credenda ſub diuinâ authoritate: & quemadmodum idem argumentum dialecticum cauſat aſſenſum opinionis, & monſtrat euidenter rem eſſe probabilem.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm credibilia ſint per articulos certos diſtinguenda?

149 RESponſio Diui Thomę eſt, Quod credibilia poſſint diſtingui per certos articulos. Vbi notandum nomine articuli in communi ſignificari aliquam partem alicuius aggregati, quæ habeat quandam certam coaptationem cum cæteris partibus, ſitque talis quæ in alias partes nomine & vſu diſtinctas non vlteriùs diuidatur: quemadmodum particulæ corporis ſibi inuicem coaptatæ dicuntur membrorum articuli.

150 Per articulum itaque fidei proportionabiliter intelligitur aliqua primaria propoſitio inter credenda, habens particularē aliquam difficultatē in credendo, quatenus eſt non viſa, vt explicat Diuus Thomas: nam in diuerſis occurrunt diuerſæ difficultates reſpectu intellectus noſtri, quatenus non videntur: verbi gratiâ, aliam difficultatem habet, quod Deus ſit paſſus, & aliam difficultatem, quod mortuus reſurrexerit: & ideo diſtinguitur articulus Reſurrectionis ab articulo Paſſionis: ſed quod ſit paſſus, & ſit mortuus, & ſepultus, non habent niſi vnam & eandem difficultatem, ita vt vno ſuſcepto non ſit intellectui difficile alia ſuſcipere: ideo iſta tria pertinent ad vnum articulum, & ſic patet D. Thomæ Concluſio.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm articuli fidei ſecundum ſucceſsionem temporum creuerint?

CONCLVSIO Prima: Quantum ad ſubſtantiam articulorum fidei, non eſt factum eorum augmentum per temporum ſucceſſionem: quæcumque enim poſteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum, licet implicitè. Ita hic Diuus Thomas: & ſumitur ex Magiſtro lib. 3. diſt. 25. Et indicant Sancti Patres, quando docent eandem fidem nobiſcum habuiſſe veteres antiqui Teſtamenti. Irenæus libro 4. cap. 13. Euſebius lib. 1. hiſtoriæ c. 1. Epiphanius in principio Panarij, vbi dicit fidem ſtatim ab Adam Chriſtianiſmi imaginem cōtinuiſſe & oſtendiſſe: Auguſt. lib. 19. Contra Fauſtum cap. 14. Eadem (inquit) credebant omnes Iuſti & Sancti etiam temporum illorum, & promiſſiua erant omnia illa Sacramenta: omniſque ritus ille Sacrorum: nunc autem reuelata eſt fides in quam concluſus erat populus, quando ſub lege cuſtodiebatur. 151

Probatur ratione Diui Thomæ: Quia omnes articuli (inquit) implicitè continentur in aliquibus primis credibilibus, ſcilicet vt credatur Deus eſſe, & prouidentiam habere circa hominum ſalutem; in Eſſe enim diuino includuntur omnia quæ creduntur in Deo æternaliter exiſtere, in quibus noſtra beatitudo conſiſtit: In fide autem prouidentiæ circa ſalutem humani generis includuntur omnia, quæ temporaliter à Deo diſpenſantur ad hominum ſalutem, quæ ſunt via ad beatitudinem. 152

Sed circa hanc Diui Thomæ rationem notandum eſt, Non poſſe inprimis intelligi contineri reliquos quoad ſubſtantiam & implicitè in duobus iſtis primis credibilibus, 153

bilibus, quatenus hæc naturali lumine intellectus sunt cognoscibilia: Primò, quia cognitio inferioris ordinis non continet virtualiter notitiam eorum, quæ non nisi supernaturali lumine cognosci possunt. v. g. cognitio Dei naturalis non potest dici continere notitiam aut fidem Sanctissimæ Trinitatis.

154 Secundò, quia sequeretur, quòd homo naturali ratione posset sufficienter cognoscere omnia necessaria ad finem supernaturalem, & proinde quòd quantum requiritur ex parte intellectus, posset sine lumine gratiæ peruenire ad iustitiam, quod est hæreticum. Oportet igitur id intelligere de illis, quatenus per diuinam reuelationem lumine fidei cognita sunt, & creduntur: & sic dicuntur virtualiter, siue implicitè continere alios fidei articulos quoad substantiam:

155 Non quidem, quòd ex illis etiam sic creditis possit humanus intellectus per consequentiam sibi notam, reliquos deducere: nam ex priori illo, Deus est: nunquam colligeret humana ratio, nisi diuino lumine altiùs edocta, quod Deus sit trinus in personis, Pater, Filius & Spiritus Sanctus: quodque personæ illæ inter se realiter distinctæ sint vnus numero Deus: multoque minùs ex secundo, quia Deus habet prouidentiam circa salutem humani generis, adinueniet aut colliget, quòd Verbum caro factum sit, quòd Filius Dei pro nobis crucifixus sit & mortuus: quandoquidem nequidem ex naturâ rei sint hæc necessariò connexa cum diuinâ prouidentiâ circa hominum salutem, sicuti connexa est Trinitas in personis cum Esse Dei: sed per liberam Dei voluntatem, qui sic dilexit mundum, vt Filium suum vnigentum daret, sit tantummodò illud medium præordinatum & assumptum.

156 Quare alio modo intelligenda sunt ista prima credibilia continere implicitè alios articulos: hoc scilicet sensu, quia qui ista credit propter diuinam authoritatem, censetur eadem animi submissione per omnia credere ista, prout à parte rei sese habent, vel prout à Deo ordinata sunt, quamuis in illis nondum sit plenissimè instructus. Ita ferè Bannes in Commentario ad hunc articulum. Alij autem nonnulli dicunt, ideo fidem istam generalem dici continere implicitè alios magis particulares & distinctos articulos de Deo, & de medio salutis, vt de Incarnatione Christi: quia minores seu rudiores credebant ea secundum modum, quo credebant maiores & magis illuminati, qui habebant fidem magis explicitam de diuinis personis, & de mysterio Incarnationis, vt infrà mox declarabitur.

Conclusio Secunda: Quantum ad explicationem, creuit numerus articulorum: quia multa explicitè cognita sunt à posterioribus, quæ à prioribus non cognoscebantur explicitè. Est quoque Diui Thomæ, & communis Doctorum: & patet, quia multa particularia docuit Christus Apostolos, tum de mysterio Trinitatis, vt de processionibus, & proprietatibus personarũ: tum de Incarnatione Verbi, totaq; Verbi incarnati dispensatione, quæ in veteri Testamento non ita particulariter & distinctè fuerunt agnita. Illi enim qui fuerunt sub priori Testamento, à longè adspiciebant & salutabant repromissiones, vt dicitur ad Hebræos 11. Vnde & Apostolus ad Ephesios cap. 3. de Mysterio Incarnationis scribit: *Quoniam secundum reuelationem, notum mihi factum est Sacramentum, quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicuti nunc reuelatum est Sanctis Apostolis eius & Prophetis*, &c. Vide Diuum Hieronymum ad hunc locum. Irenæus quoque libro 4. capite 47. scribit in nouo Testamento, eam quæ est ad Deum, fidem hominum auctam esse: additamentum enim accepit filium Dei. Et Diuus Augustinus de Catechizandis rudibus: In veteri Testamento (inquit) est occultatio noui: In nouo Testamento est manifestatio veteris. Quæ D. Augustini sententia continet in substantiâ vtramque Conclusionem iam positam. 157

Conclusio Tertia: Semper tamen fuit in Principibus populi fidelis, etiam tempore legis naturæ, & sub antiquo Testamento, aliqua cognitio Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis filij Dei. Probatur ex Apostolo ad Hebræos 11. vbi de Moyse scribit: *Maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem* &c. Quibus indicatur Moysen intellexisse Christi passionem, & reiectionem eius à Iudæis; quam & ipse maluit sustinere, eiusque fieri particeps, quàm adhærere Ægyptijs, & eorum frui diuitijs, & voluptatibus. Deinde quando erexit æneum serpentem in signum, cuius aspectu sanaretur populus à morsibus serpentum, haud dubiè intellexit tantus Propheta, in eo præfigurari Christi passionem & exaltationẽ in Cruce. 158

Vnde & Dominus Ioannis 5. de Moyse dicit: *De me enim ille scripsit*: si autem nouerit mysterium Incarnationis Verbi, etiam nouit mysterium Trinitatis: quia Verbũ est secunda Persona quæ assumpsit naturã humanam. De Abrahamo constat Ioan. c. 8. *Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum*, 159

meum; vidit, & gauisus est. Vidit (inquit Aug. Tract. 44. in Ioannem) verbum apud Patrē manens in carne venturum. De Adamo quem sapientia eduxit de delicto suo, quod hæc mysteria nouerit, testatur D. Hieron. ad illa verba Apostoli: *Sacramentum hoc magnum est.* Ad Eph. cap. 5. Idē patet de Iacobo, Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium.* vbi consequenter multa prædicit de Christo Domino. Similiter idem constat de Isaia ex cap. 12. Ioannis: *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo:* scilicet de filio Dei, vt interpretatur Hier. in principio cap. 8. Isaiæ. Idem constat de Simeone, Sacharia patre Ioannis Baptistæ, de Annâ Prophetissâ, & similibus alijs.

160 QVAERITVR autē hic Primò: Vtrū successione ætatum etiam post Apostolorum tēpora, aliquid explicatiùs ab Ecclesia sit cognitum & creditum, quod ad fidem pertinet, quàm ab ipsis Apostolis fuerit cognitum & creditum? Ratio dubitandi potest sumi ex Christi promissione, Ioannis 14. *Mittam vobis Spiritum veritatis, vt maneat vobiscum in æternum:* ergò Spiritus veritatis manet in Ecclesia ad docendam omnem veritatem, quoties opus fuerit ad Ecclesiæ ædificationem: & per consequens non videtur negandum, quin temporum successione etiam post Apostolos ex occasione hæreticorum, vel propter aliam Ecclesiæ necessitatem, aut vtilitatem, quædam docuerit ipsam Ecclesiam, de quibus Apostoli non fuerant edocti. Confirmatur: quia multa in diuersis Concilijs fuerunt explicata & definita, tanquam fide tenenda, quæ ante definitionem erant dubia; neque satis explicitè & certò cognoscebantur tanquam res fidei; ergò &c.

161 His tamen non obstantibus dicendum est, Apostolos explicatè nouisse & credidisse suis temporibus omnia mysteria fidei, quæ de post & modò Ecclesia cognoscit & credit, sic vt explicita fides à lapsu generis humani nunquam habuerit, neque habitura sit in populi fidelis siue Ecclesię principibus perfectiorem statū, quàm habuerit quando lex gratiæ per Apostolos fuit prædicata, & per vniuersum orbem promulgata.

162 Ita communiter sentiunt DD. & Bannes ad hunc articulum dubitatione secundâ contrarium dicit esse errorem in fide. Probatur primò ex Scripturis; Matth. 5. cap. dicuntur Apostoli: *Lux mundi.* Ioannis 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumq; audiui à Patre, nota feci vobis.* Et quamuis ante passionem Christi non ea intelligerent omninò Apostoli, neque possent eorum intellectum tunc portare, postmodùm de illis ipsis, quæ Christus eis dixerat, per Spiritum Sanctum pleniùs sunt edocti, iuxta illud Ioannis 14. *Hæc locutus sum vobis apud vos manens: Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis:* & Ioannis 16. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem:* & Lucæ vltimo dicitur Christus eis aperuisse sensum, vt intelligerent Scripturas.

Probatur secundò ex Antiquis Patribus: Diuus Gregor. Hom. 16. in Ezechielem; Plus Moyses (inquit) quàm Abraham, plus Prophetæ, quàm Moyses, item Apostoli quàm Prophetæ in omnipotentis Dei scientiâ eruditi sunt: Quod ex Scripturis confirmat. Diuus Ambrosius serm. 14. & Cyprian. Epistola ad Pompeium, docent Apostolos fontes esse cœlestis doctrinæ. Tertullianus de Præscriptionibus capite 22. & aliquot sequentibus refutat Hæreticos sui temporis, qui contendebant Apostolos aut non sciuisse omnia, quæ ad fidem pertinent, vel non omnia Ecclesiæ tradidisse: idque huiusmodi fere argumentis: Primò, quia videretur arguendus Christus, vt qui minùs instructos, vel certè nimis simplices, aut non satis synceros instituisset Apostolos & Ministros noui Testamenti; cuius contrarium docet Apostolus 2. Corinth. 3. *Sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit Ministros noui Testamenti, non littera sed Spiritu:* Et paulò infrà explicans hanc idoneitatem comparatione ad Moysen factâ, ait: *Nos autem omnes reuelatâ facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu:* quibus verbis abundantiam intelligentiæ diuinorum mysteriorum dignam primis Principibus & Ministris noui Testamenti attestatur, vt ex contextu liquet. Secundò, quia verisimile nō est, eos ignorasse aliquid, quos dedit Dominus primos & vniuersales magistros nouæ legis, quos habuit indiuiduos comites in conuictu & in discipulatu, quibus obscuriora omnia solet seorsim edisserere, dicens eis: *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei.* Tertiò, quia verisimile non sit, aliquid latuisse Petrum iam dictum & designatum Petram Ecclesiæ ædificandæ, vel Ioannem discipulum Christo dilectissimum, eiusque pectori incombentem, de cuius fonte in secreto potabat, quod postmodum publicè & in communi eructauit; quemadmodum nec alios, quibus post resurrectionem 163

aperuit sensum, vt intelligerent Scripturas, sicuti ex S. Luca diximus.

164 Ad hæc accedit ratio, quam subindicat D. Thomas in responsione ad 4. Quia nimirum conueniens fuit, eos qui proximè prodibant ex scholâ Christi in plenitudine temporis, in eâ mundi ætate quæ respondet illi ætati hominis, qua maximè pollet iudicio, constitui & formari absolutos magistros omnium temporum futurorum, sic vt ab ijs, & per eos traderentur Ecclesiæ omnia mysteria ad fidem, & nouum Testamentum pertinentia.

165 Ad Argumentum itaque adductum in contrarium, Respondetur, Spiritum veritatis in Ecclesiâ manere in æternum ad Apostolicam doctrinam & traditionem conseruandam, & ad Scripturæ sensum qui latet aut obscurior est, quando necesse fuerit ad Ecclesiæ ædificationem, aperiendum, & suggerendum Ecclesiæ Pastoribus & Prælatis: ac denique vt semper assistat cum Pontifice Capite Ecclesiæ & Concilijs, vt in explicandis & definiendis veritatibus fidei à Christo & Apostolis sibi traditis & commendatis, errare non possint: non autem, vt mysteria, aut veritates ad fidem Catholicam pertinentes antea nunquam à Deo reuelatas aut doctas, nunc de nouo reuelet aut doceat.

166 Hinc Respondetur ad Confirmationē: verum quidem esse, quòd multa in diuersis Concilijs post Apostolorum tempora fuerint explicata & definita occasione hæreseon, aut quæstionum in Ecclesijs successiuè exsurgentium; non quidem quòd tunc demum ista fuerint Ecclesiæ reuelata, ita vt antè non fuerint ab Ecclesiæ fundatoribus & Principibus explicatè cognita aut credita (præter argumenta enim allegata, satis etiam oppositum conuincit strenua contradictio ipsius Ecclesiæ contra eos, qui aliquid ab eius sensu alienum de nouo docere & inuehere conati sunt) sed quòd, licet illæ veritates essent à Christo & Apostolis explicatæ & traditæ, ac Ecclesia de illis in suis saltem Episcopis & primarijs Pastoribus sufficienter edocta, non tamen forent ita passim ab omnibus explicitè, & in particulari cognitæ; neque ita determinatè & particulariter passim omnibus propositæ, siue ex aliquâ negligentiâ debitæ instructionis faciendæ, siue quòd distincta illa cognitio non esset ita omnibus necessaria; sed satis esset, quòd tenerentur illæ veritates saltem implicitè cum alijs, & non doceretur aut sentiretur aliquid contrarium.

167 Vnde etiam fit, quòd fideles ad eas explicitè, & in particulari credendas non obligantur, quamdiu sic quasi latent, & non manifestè proponuntur tanquam quæ ad fidem pertineant, & proinde habeantur de illis aliquando diuersæ disputationes. Sed quando aliqui incipiunt pertinaciùs docere contrarium, & passim fidelibus obtrudere, tunc Ecclesia celeriùs aut tardiùs pro materiæ ratione & grauitate curat perquiri & examinari Depositū suum, de quo Apost. 2. ad Timoth. c. 1 quod tum in Scripturis, tum in antiquis SS. Patrum traditionibus accepit à Christo & Apostolis custodiendum; & inde quæstiones motas elucidat & definit, & hæreses damnat.

Sed contrà Opponitur: Apostoli Act. cap. 15. celebrarunt Concilium, & conquisitionem fecerunt, vtrùm eos, qui ex gentibus credebant, oporteret circumcidi, & deberent obseruare Legem Moysis, prout quidam descendentes de Iudæa docebant fratres; ergò Apostoli non videntur quoque nouisse omnes fidei veritates, nequidem post acceptum in die Pentecostes Spiritum Sanctum; sed pro occurrentibus necessitatibus in eis fuisse per Spiritum S. diuinitus instructi: & per consequens potest dici similiter Ecclesiæ contigisse post eorum tempora. 168

Et Confirmatur: Quia Act. 10. Petrus ex visione vasis descendentis velut lintei magni, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli; & ex voce ad eum factâ: *Surge Petre, occide & manduca*: Item ex illâ: *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris*; cognouit etiam gentibus gratiam Euangelicam esse prædicandam; quod videtur prius vsque ad illam visionem ignorasse: excusabat enim se dicens: *Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum*; ergò &c. 169

Respōdetur Primò: Argumēta illa, si quid efficerent, hoc tamen solùm probarent, quòd Apostoli non statim ab accepto Spiritu Sancto fuissent consecuti illam plenitudinem cognitionis eorum omnium, quæ ad fidem Christianam pertinent, quam eis tribuimus: sed quòd sensim & per occasionem fuissent eis patefacta, prout nonnulli non omninò improbabiliter existimant: non autem probarent, quòd non omnem cognitionē in toto legationis suæ tempore habuissent, quod ad minus de illis tanquam primis fidei Christianæ Magistris tenendum est. Hinc Apostolus ad Ephesios cap. 2. Fideles seu Christianos quos vocat ciues & domesticos Dei, dicit superædificatos super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. 170

Addo autem, licet non omninò improbabiliter quidam existiment, vt diximus, Apostolos sic successiuè consecutos fuisse omnium mysteriorum fidei plenam cognitio- 171

gnitionem, nihilominùs tamen longè probabilius & verius esse, quòd statim in die Pentecostes receperint plenitudinem donorum Spiritus Sancti in tantâ abundantiâ, vt ex tunc nouerint omnes fidei veritates, quæ fidelibus essent credendæ, & vt crederent proponendæ, siue ad cognitionem speculatiuam, siue ad practicam fidei cognitionem pertinerent. Nã illo die cœperunt ex professo fungi legatione pro Christo, & annuntiare Euangelium omni creaturæ: ergo tunc acceperunt virtutem, & omnem scientiam necessariam, vt essent idonei ministri, & vniuersales magistri noui Testamenti.

172 Confirmatur Primò: Quia complebantur vaticinia Prophetarum de effundendo spiritu Domini super omnem carnem, vt docet Petrus Act. 2. & implebantur promissiones Christi de Spiritu Sancto Apostolis mittendo, qui doceret eos omnem veritatem, & suggereret omnia cum pleno intellectu, quæ aliquando ex Christo audierant. Cõfirmatur Secundò: Quia dicendum est, quòd ministri noui Testamenti in die Pentecostes, quando lex noua promulgari cœpit generaliter, non minorem sui ministerij acceperint notitiam, quàm Moyses in monte Sinai, dum à Domino acciperet legem antiquam, & eius institueretur minister & promulgator: atqui Moyses tunc legis antiquæ & legalium ceremoniarum plenam accepit cognitionem; & similiter totius tabernaculi, & vasorum formam & constructionem plenè cognouit, iuxta illud Exod. c. 26. *Et eriges Tabernaculũ iuxta exemplar, quod tibi in monte monstratum est:* ergò dubitandũ non videtur, quin Apostoli ministri noui Testamenti acceperint in solemni promulgatione Euangelicæ legis, plenitudinem cognitionis eiusdem legis, & omnium eorum quæ ad Ecclesiæ noui Testamenti instructionem, & ædificationem erant necessaria.

173 Quare Respondetur Secundò ad argumentum antè positum: Quòd Apostoli celebrauerint Concilium, & fecerint conquisitionem super difficultate tunc motâ, non quòd ignorarent gentes ad fidem cõuersas non esse obligandas ad circumcisionem, & legem Moysi obseruandam; sed quia communi authoritate voluerunt sic in primo illo Concilio decernere & declarare, quòd iam priùs à Spiritu Sancto didicerant: idque his de causis, videlicet, tum vt efficaciùs, & minori cum obloquio reprimerent eos, qui ex circumcisione fortiùs illud inculcabant, & vehementiùs vrgebant: tum etiam, vt animos gentilium iam conuersorum, qui contrariâ doctrinâ multùm perturbati erant, suauiùs componerent & quietarent.

Conquisitionem autem faciebant, non quòd de re ipsâ dubitarent; sed vt aptis testimonijs Scripturæ Sacræ id ipsum persuaderent Iudæis aliter sentientibus. 174

Ad illud, quod in confirmationem adducitur de Diuo Petro, dicendum est, similiter istam visionem ei exhibitam fuisse, non quòd ad illud vsque tempus nescierit gratiam Euangelicam gentibus esse annuntiandam, eisque communicandam (hoc enim ignorare non potuit, accepto præsertim iam Spiritu Sancto, cùm Christus etiam ante ascensionem suam demandasset Apostolis, vt euntes in mundum vniuersum prædicarent Euangelium omni creaturæ Marci vlt. & vt docerent omnes gentes, baptizantes eos, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Matth. vlt.) sed alijs de causis, videlicet tum vt intelligeret iam tempus aduenisse Euangelium gẽtibus communicandi, tum etiam vt haberet particulare argumentum, quo satisfaceret fidelibus ex circumcisione conuersis, qui multùm erant hâc re offendendi, aut perturbandi, vtpote qui nimirum tribuentes suæ electioni in Dei populum, & suis prærogatiuis, existimabant gentes non esse admittendas ad gratiam Euangelicam, aut saltem non nisi priùs efficerentur proseliti, & circumciderentur, ac legalium ceremoniarũ obseruantiam profiterentur. 175

Indicat illud D. Chrysost. hom. 22. in Acta, vbi sic scribit hac de re: Quoniam igitur accusaturi erant omnes Petrum tanquam præuaricatorem, necessariò tempestiuè dixit, Nunquam comedi commune & immundum; numquid ipse timuerat? absit, sed spiritus ita moderabatur eum, vt defensionem habeat contra eos, qui reprehensuri erant; moderabatur, inquam, ita vt priùs recusaret quasi timeret manducare, vt proinde ex imperio Spiritus Sancti se agere posset attestari quod agebat, vt sic minùs fratres ex circumcisione offenderentur & contradicerent. 176

QVAERITVR Secundò: Vtrùm Ecclesia post Apostolorum tempora per succedentes ætates sit semper minùs docta, minùsque intelligens in mysterijs fidei? Ratio dubitandi sumitur ex eo, quod scribit D. Thom. hîc in Responsione ad quartum. Et ideo illi, qui fuerunt propinquiores Christo, vel ante, sicut Ioannes Baptista, vel post, sicut Apostoli pleniùs mysteria fidei cognouerunt. 177

Respondetur tamen negatiuè: quamuis enim loquendo de temporibus aduentum Christi antecedentibus rectè dici possit, quòd Ecclesia per singulos status, saltem in ali- 178

in aliquibus principibus populi fidelis, creuerit in fide explicatiori: v. g. quia Moyses explicatiùs intellexit quædã, quã Abraham: Item Dauid, Isaias, & alij quidam pleniùs forsitan, quàm Moyses: & deniq; Ioannes Baptista Præcusor Domini perfectiùs, quàm omnes in antecedentibus sæculis; non tamen dicendum est de temporibus aduentum Christi subsequentibus, quòd quanto magis secundum tempus à Christo distamus, tanto maioribus tenebris Ecclesia (vt hæretici volunt) inuoluatur: quia licet sensim magis magisque fuerit illuminata, quanto propius ad Solem Iustitiæ Christum accederet, non tamen, vbi iam semel plenum lumen recepit, iterum deficit, & illud sensim amittit: sed semper in iuuentute quasi perseuerans conseruat diligenter omnem cælestem doctrinam sibi traditam.

179 Hoc pulchrè docet Irenæus lib. 3. ca. 4. Prædicationem (inquit) Ecclesiæ vndiq; constantem, & æqualiter perseuerantem per initia, medietates, & finem, & vniuersam Dei dispositionem perceptam ab Ecclesiâ, custodimus, quæ semper à Spiritu Dei quasi in vase bono eximium quoddã depositum conseruat, iuuenescens & iuuenescere faciens ipsum vas. Vnde nõ fine blasphemiâ vociferantur hæretici, quòd Ecclesia aliquando præ senio deliret: non enim sine effectu fuit, & est eius oratio; qua Deum rogat edocta per Spiritum Sanctum. *Vsque in senectam & senium Deus ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuũ generationi omni, quæ ventura est.*

180 Quod itaque Diuus Thomas dicit, viciniores Christo pleniùs mysteria fidei cognouisse, accipiendum est de accedentibus propiùs ad Christi aduentum quoad eos qui Christum præcesserunt; non autem de sæculis subsequentibus. Id enim sufficiebat proposito eius ad declarandũ, quòd per temporum successionem creuisset fides explicatior vsque ad Christum, quando facta est vltima consummatio gratiæ, & aduenit plenitudo temporis. Quod clariùs intelligitur ex verbis Diui Gregorij Hom. 26. in Ezechielem, quem D. Th. imitatur; vbi sic scribit: Secundum incrementa temporum creuit scientia Sanctorum Patrum; quanto viciniores aduentui Saluatoris fuerunt, tanto Sacramenta salutis plenius percæperunt.

181 Ratio autem diuersitatis facilè ex dictis percipitur. Hoc interim etiam concedi potest, quòd Ecclesiæ Patres subsecuti aduentum Christi, qui fuerunt Apostolorum temporibus viciniores, fuerint magis illuminati & edocti immediatè per Spiritus Sancti vnctionem, & instructionem in Scripturarum sanctarum sensu & intelligentiâ, quàm posteriores: sed tamen inde non sequitur, quòd Ecclesia semper descendendo sit minùs docta, & intelligens in fidei mysterijs: quia quod primi Patres didicerunt immediatiùs per Spiritus Sancti instructionem, hoc posteriores acceperunt ex illorum laboribus & scriptis Ecclesiæ relictis, qui fideliter vestigijs Patrum suorum insistentes seduli antiquorũ omnium sapientiam exquirunt. Vnde & de quibusdam Conclusionibus Theologicis possunt etiam acquirere aliquando scientiam clariorem: neq; tamen propterea nouissimi Doctores sunt pluris æstimandi; sunt enim veluti paruuli (inquit Bannes) super humeros gigantum, quos mirum non est, si gigantum proceritate eleuatos contingat aliquantulum longius videre.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Articuli fidei conuenienter enumerentur?

Conclusio Diui Thomæ est affirmatiua: quam probat Ecclesiæ authoritate sic enumerantis fidei Articulos. Quòd 182 autem attinet ad eorum numerum, quidã Symbolum distribuunt in Articulos quatuordecim, quorum septem referunt ad diuinitatem, & septem alios ad Christi humanitatem, vt latiùs explicat D. Th. in Corpore. Illa enim duo maximè per se ad fidem attinent: diuinitas quidem Sanctissimę Trinitatis, quia eius visione & fruitione in futurâ vitâ beatificabimur: Humanitas autem Christi, quia per illum habemus accessum in illam gloriam filiorum Dei, vt dicitur ad Rom. 5.

Sed receptior & magis probata diuisio 183 est, quâ distribuitur Symbolum in articulos duodecim, prout in Catechismo Romano & in alijs diuidi solet: quomodo & D. Leo Epistola 13. ad Pulcheriam Augustam, illud diuidi significat: Siquidem (inquit) ipsa Catholici Symboli breuis & perfecta confessio, quæ 12. Apostolorum totidem est signata sententijs tam instructa sit munitione cœlesti &c. Quod etiam docet Aug. serm. 151. De tempore, & Rufinus in Confessione fidei.

ARTICV-

ARTICVLVS IX.

Vtrùm conuenienter Articuli fidei in symbolo ponantur?

184 Conclusio Diui Thomæ est affirmatiua: quam similiter authoritate Ecclesiæ confirmat. Et declaratur, quia omnino conueniens & quasi necessarium est, quòd ea, quæ sunt principalia capita fidei nostræ, & ab omnibus sciri ac credi debent, redigerentur in vnum aliquod breue & dilucidum compendium pro simpliciorum faciliori instructione: quia propter Scripturæ prolixitatem & obscuritatem non poterant ex eâ omnes petere articulos sibi credendos, vt habet hic D. Thomas. Deinde hæc fidei articulorum compendiosa & clara collectio, necessaria fuit ad seruandam fidei, eiusque prædicationis apud omnes gentes conformitatem: vt indicat Irenæus lib. 1. cap. 3. ac simul vt omnes in promptu habeant formulam professionis fidei Christianæ contra errores, & hæreses.

185 Vocatur autem istud compendium fidei Symbolum, siue quia est quædam articulorum fidei collatio facta à pluribus, scilicet à duodecim Apostolis; siue quia est veluti signum & tessera, cuius gestatione ac professione dignoscitur & distinguitur Christianus à gẽtilibus & infidelibus; siue propter vtrumq;, vt docet Clemens Rom. epistola 1. Et rectè quidem, quia vtrumque cum duplici nominis symboli significatione conuenit, & vtrumque optimè in rem ipsam quadrat.

186 Notandvm autem Primò, sermonem hîc esse de Symbolo, quod dicitur Apostolorum: quia scilicet ab Apostolis est compositum, & nobis traditum, vt patet ex verbis Leonis artic. præcedenti adductis; & docent antiquiores Patres, vt Clemens loco citato, Irenæus lib. 1. cap. 2. & lib. 3. cap. 4. & Tertull. lib. contra Praxeam in principio: vbi recitat articulos huius Symboli, & dicit hanc fidei regulam esse omnibus hæresibus antiquiorem. Vnde necesse est, eam ab Apostolis descendisse. Similiter sentiunt Hieron. epistola ad Pamachium de erroribus Ioannis Hierosolymitani, Ambr. epistola 81. & alij.

187 Notandvm Secundò, præter hoc Symbolum, quod dicitur Apostolorum, tria adhuc esse alia in Ecclesiâ recepta: quę aliquantulum explicatiùs continent pleraque, quæ ad Trinitatem, & mysterium Incarnationis pertinent: quorum primum est Symbolum Nycænum, editum in primo Concilio generali in Nycænorum vrbe contra hæresim Arij. Secundum est Constantinopolitanum editum in Concilio secundo generali Constantinopoli celebrato contra Macedonium, in quo adduntur quædam ad Symbolum Nycænum, pertinentia ad diuinitatem Spiritus Sancti; estque illud quod legimus modò in officio Missæ, præter quàm quod ei fuerit additum à Latinis circa an. Dom. 600. vt notat Bellarm. lib. 2. De Pontifice cap. 14 illud, *Filioq;*. Tertium est Symbolum Athanasij, quod in horis Canonicis ad Primam legitur diebus Dominicis: estque summæ authoritatis; non tam quia est Athanasij; sed quia iam olim ab vniuersâ Ecclesiâ est receptum. Quod autem fuerit à Diuo Athanasio compositum docet Nazianzenus Oratione de laudibus Athanasij, vbi vocat Confessionem Athanasij, quam omnes Ecclesiæ amplectuntur.

ARTICVLVS X.

Vtrùm ad Summum Pontificem pertineat fidei Symbolum ordinare?

Conclusio D. Thomæ est: Ad solam authoritatem Summi Pontificis pertinet noua editio Symboli, sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam. 188
Probat autem huiusmodi ratione: quia editio noua Symboli dum fit, ordinatur ad vitandos insurgentes errores, vt constat de Nycæno, & Constantinopolitano; ergò eius editio pertinet ad eum, ad quem spectat determinare finaliter ea, quæ fidei sunt, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur: hoc autem pertinet ad authoritatem Summi Pontificis; ad quam maiores & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, vt dicitur (inquit) dist. 43. qu. 6. cap. Oppressus. Quod etiam confirmat ex cap. 22. Lucæ, vbi dicitur Petro: *Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.*

Probatur ratione: quia vna debet esse fides totius Ecclesiæ, quod seruari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, vt sic eius sententia à totâ Ecclesiâ firmiter teneatur. Vbi Diuus Thomas tanquam notorium & indubitatum supponit, Rom. Pontificem toti præesse Ecclesiæ. 189

TRACTA-

TRACTATVS DE PONTIFICE.

OCcasione eorum, quæ hic habet & tradit Diuus Thomas, solent ad finem primæ huius quęstionis plerique Commentatores disputationes aliquot admodũ hisce temporibus vtiles ac necessarias adiungere: scilicet, De Pontifice Romano: De Ecclesia: De Scripturis: De Traditionibus, & Concilijs: quorum proinde vestigijs insistentes etiam breuem aliquem tractatum de singulis, præterquam de Scripturâ sacrâ, de quâ in prima Parte agit D. Thomas, subiungemus.

DVBIVM I.

Vtrùm Christus Dominus Ecclesiæ suæ toti præfecerit vnum aliquem, nimirum Petrum, quando ipse secundum visibilem præsentiam ab eâ erat abcessurus?

1 NEgant hæretici nostri temporis, qui nolunt agnoscere in Ecclesiâ regimen monarchicum à Christo Domino institutum, & hominibus commissum: sed contendunt esse aristocraticum, & democraticum. In cuius tamen explicatione nec ipsi inter se conueniunt, vt ostendit Bellarm. lib. 1. de Pontifice cap. 5.

2 Catholici è contra omnes docent Petrum fuisse à Christo præpositum toti Ecclesiæ, adeoq; totius Ecclesiæ caput fuisse constitutum, ac vniuersale regimen eidem, tanquam Vicario Christi in terris, commissum. Estque hæc certa doctrina de fide, quam latè tradunt Sanderus lib. 6. Monarchiæ visibilis, & Bellarm. lib. 1. de Pontifice.

Probatur autem ex Scripturis sacris, præsertim ex duobus locis: in quorum altero promittitur Primatus Petro, & in altero ei exhibetur; ac simul ex antiquis Patribus Græcis & Latinis sic intelligentibus, & interpretantibus eadem loca.

3 Prior locus habetur Matthæi 16. vbi Christus dicit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues Regni Cælorum: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælu, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælu.* Quorum verborum planus & obuius sensus est, vt intelligamus sub duabus metaphoris promissum Petro totius Ecclesiæ Principatum. Vna metaphora consistit in formâ & ratione fundamenti & ædificij: quod enim fundamentum est in ædificio, id in corpore communitatis est Superior; in regno, Rex; in Ciuitate, Magistratus; in domo, Pater-familias. Altera desumitur à Clauibus: Cui enim traduntur Claues Ciuitatis, agnoscitur ille vel Dominus, vel instituitur Rector & Gubernator, qui quos vult admittat, quos vult, excludat.

Vt autem efficaciam argumenti ex hâc Scriptura petiti, elidant, aut potiùs eludant, effingunt hæretici diuersas interpretationes dictorum verborum contortas, & ab omni loquendi modo alienas. Vnde inprimis negant Petrum designari, per *Petram*, quando dixit Christus: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: quòd manifestè est inferre vim sermoni & contextui. Declaratur hoc primò: nam illud pronomen, *Hanc*, cum dicitur, *& super hanc Petram*, demonstrat aliquam Petram, de quâ paulò antè Dominus sit locutus: proximè autem Dominus Petrum dixerat *Petram*: loquebatur enim Syriacè, & linguâ Syriacâ Petrus dicitur *Cephas*, vt patet ex cap. 1. Ioannis: *Cephas* autem *Petram* significat, vt Hieron. docet in 2. cap. ad Galatas: & notissimum est apud peritos illius linguæ. Dixit ergo Dominus: *Tu es Cephas, & super hoc Cepha ædificabo* &c. quod Latinè sonat: *Tu es Petra, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Vnde euidenter constat non posse absque summâ contortione illud pronomen *Hanc* referri ad aliud, vel aliud demonstrare, quàm Petrum, quem Christus iam dixerat Petram. Deinde, quia nihil ad rem faceret id, quod Christus præmittit: *Quia tu es Petrus*, siue *Petra*. Accedit quòd non sine mysterio, Christus Ioannis 1. dixerit 4

dixerit Simoni, quod esset appellandus Cephas: quod tamem euacuabitur, & nullum erit, si illud, *Super hanc Petram*, detorqueatur aliò, quàm ad Petrum.

5 Græcus autem Interpres vertit priori loco, Πέτρος, & secundo loco Πέτρα, ideo quòd apud Græcos Petra & Petros idem significent. Putauit verò conuenientius, nomen illud sub genere masculino attribui personæ præsertim viro, quàm sub fœminino. Ad efficaciùs tamen & clariùs explicandam metaphoram, quâ Dominus vtitur in illis verbis, voluit secundo loco non dicere siue vertere: *Super hoc Petro*, quod sensum & intentum magis fecisset ambiguum & obscurum; sed *Super hâc Petrâ*: quod nomen, quia non aliud significat quàm saxum, dat clarè & plenè intelligi quòd Dominus Simonem iam appellatum Petrum, seu Petram, vellet constituere Petram & fundamentum Ecclesiæ. Et hinc latinus Interpres ob easdem causas secutus est Græcum, & Cepham primo loco vertit quoque Petrum, & secundo loco Petram.

6 Præterquam autem quòd sensus hic per se sit obuius, & ita incurrat in animum omnium legentium, vt non permittant verba vel alium pene concipere, insuper confirmatur ex Sanctis Patribus, ac inprimis totum Concil. Calcedonense in quo fuerunt 630. Patres, Actione 3. Petrum vocat Petram, haud dubiè respiciens ad hæc Christi verba. Et iam à mille ducentis annis in Ecclesijs decantatum est ex versibus Diui Ambrosij: Hoc ipsa Petra Ecclesiæ canente, culpam diluit, vt testatur D. August. lib. 1. Retractationum cap. 21. qui sensus etiam (inquit) cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambr. vbi de gallo gallinaceo ait: hoc, ipsa Petra Ecclesiæ, canente culpam diluit. D. Athanas. epistola ad Felicem, quam suo & Synodi Alexandrinę nomine scribit: Tu es Petrus, inquit, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ (id est Episcopi) sunt confirmatæ. Basil. lib. 2. contra Eunomium: Petrus propter fidei excellentiam, Ecclesiæ ædificationem in se ipsum suscepit. Greg. Nazianzenus in oratione de seruanda moderatione: Petrus, inquit, Petra vocatur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habet. Chrysost. hom. 55. in Matthęum: Dominus ait: Tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam. Vide eundem hom. 4. in cap. 6. Isaiæ. Euthimius autem interpretatur eadem verba, quasi Christus dixisset: Te ponam fundamentum credentium. Cyril. lib. 2. in Ioannem cap. 2. nec Simon fore iam nomen illi, sed Petrus, prædicit, vocabulo ipso commodè significans, quod in eo tanquam in Petrâ, lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam. Tertul. de Præscriptionibus aduersus hęreticos: Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesię Petram dictum? Hilarius in cap. 16. Matth. ô in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque illâ ædificatione Petra, quæ inferorum leges dissolueret; Beatus cœli Ianitor &c.

Vbi ineptè vel potiùs dolo malo ad marginem apposuit hæc verba Erasmus: FIDES ECCLESIAE FVNDAMENTVM: cùm Hilarius eo loco, nequidem nominauit fidem, & satis constat non fidem, sed Simonem nouo nomine nuncupatum, ipsumque esse qui dicitur, Beatus cœli Ianitor. Ambros. serm. 47. Denique, inquit, pro soliditate deuotionis Ecclesiarum, Petra dicitur; sicut ait Dominus: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: Petra enim dicitur, quòd primus in actionibus fundamenta posuerit, & saxum immobile totius operis Christiani compagem molemque contineat. Hieron. in cap. 16. Matthæi Secundum metaphoram Petræ rectè dicitur ei: Ædificabo Ecclesiam meã super te. August. in Psalmos contra partem Donati: Numerate Sacerdotes, vel ab ipsâ Petri sede. Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorũ portæ: & serm. 15. de Sanctis: Petrum itaque fundamentum Ecclesię Dominus nominauit, & ideo dignè fundamentum Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici ædificij altitudo consurgit. D. Leo serm. 2. de Anniuersario die assumptionis suæ ad Pontificatum, postquam recitasset illa Christi verba: *Tu es Petrus* &c. subiungit: Manet ergò dispositio veritatis, & Beatus Petrus in acceptâ fortitudine Petræ perseuerans, susceptæ Ecclesię gubernacula non reliquit. D. Greg. lib. 6. epistola 37. Quis nesciat Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam. Eodem modo locuti sunt plures antiquissimi Pontifices, vt Clemens, Anacletus, Marcellus, Pius, Iulius, & alij. 7

Vnde apparet hæreticorum impudentia, qui negare volunt ab antiquis ita fuisse Christi verba intellecta: & Caluinus, quidem dicit, quod pro sua interpretatione possit antiquos adducere, sed quòd in re tam clarâ nolit lectori esse molestus, quod addit, vt temeritatem dicti occultet. 8

Opponi tamen potest D. Augustinus, qui tractatu vltimo in Ioannem, indicat Matthæi c. 16. per Petram designari Christum, non Simonem Ioannis: Super hanc (inquit) Petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Et lib. 1. Retrationum 9

ctationum c. 21. expressè retractat, quod dixerat alicubi, super Petrum ędificatã esse Ecclesiam, & docet super Christum potiùs ædificatam dici debere, & sic intelligendum hunc locum, de quo agimus. Vnde & Caluinus in hunc sensum, etsi paulò loquatur obscuriùs, videtur eundem locum exponere: ait enim esse perspicuum, super quam Petram ædificetur Ecclesia, cùm Apostolus dicat 1. ad Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, preter id quod positum est, quod est Christus* Iesvs.

10 Respondetur D. August. quidem magis propendisse in eum intellectum, vt per *Hanc Petram* intelligatur designari Christus, non Petrus: idque propter hæresim Donatistarum, qui volebant iustitiam esse ab homine baptizante; & potuissent apparens aliquod accipere inde argumentum, si admitteretur Ecclesia ipsa super homine Apostolo Petro fundata. Neque ita facilè eum percepisse sensum istum verbis Scripturę nimis esse incommodum, quia ignorabat, aut non ita attendebat ad vim sermonis Hæbraici siue Syriaci, quo vsus est Dominus, & quo Mattheus Euangelium suum conscripsit. Nam Augustini argumentum est, quia non est dictum: *Tu es Petra*: sed tu es Petrus. quod apprehendit esse quasi nomen denominatiuum respectu Petræ, sicut Christianus respectu Christi, & proinde non inconuenienter hęc sic intelligi: Dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram, videlicet à quâ tu diceris Petrus seu Petrius (vt ita loquar) ædificabo Ecclesiam meam.

11 Verùm iam ex suprà dictis patet Christum dixisse suo sermone, quo vsus fuit, Tu es Petra siue Cephas: & quod Interpretes Græcus & Latinus posuerint tamen nomen Petrus masculinè potiùs, quã nomen Petra cum quo plenè idem significat, propter rationem ibidem explicatam. Vnde in nomine Petrus videtur deceptus D. August. quando existimauit esse concretum aut denominatiuum à Petra. Quare ab alijs Patribus hæc Scriptura semper nostro sensu fuit intellecta. Accedit quòd Diuus Augustinus non reprobet aliorum Patrum sententiam, nec putet esse blasphemum (vt censet Caluinus) Ecclesiam ædificatam super Petrum: Ita enim scribit loc. citato: Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in eo tanquam in Petrâ fundata sit Ecclesia; qui sensus cantatur etiam ore multorum &c. & statim post: Sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse, vt super hanc Petram intelligeretur, quem confessus est Petrus: non enim dictum est illi: Tu es Petra, sed tu es Petrus: Petra autem erat Christus. Deinde adiungit: Harum autem nostrarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat lector. Ex quibus liquet, quod D. August. de ipsa re idem nobiscum sentiat, quamuis de intellectu Scripturę dubitet, vel in aliũ propendeat, quia alioquin non reliquisset lectori libertatem eligendi, si vnam partem existimasset continere doctrinam cõtrariam veritati fidei.

Ad id verò quod allegat Caluinus ex Apostolo ad Corinth. Respondetur neminem Christianum dubitare, quin Christus sit Ecclesiæ fundamentum; & quidem primum ac principale, & in suo ordine ex multis titulis omnino singulare. 12

Ipse namq; fundamentum Ecclesię est, quia fides & religio circa ipsum tanquam principale obiectum versatur quatenus Deus est, & secunda in Trinitate persona; & vt filius hominis est, quatenus scilicet assumptâ naturâ humanâ. nos à peccatis liberauit, & in libertatem filiorum Dei restituit. Vnde quicumque partem volunt habere in ædificio Ecclesiæ, debent ante omnia credere & confiteri, quia Christus est filius Dei, qui missus est in mundũ, non vt iudicet mundum, sed vt mundus saluetur per illum: prout vbique proclamat Scriptura Sacra. 13

Deinde ipse Ecclesię fundamentum est, quia ex propriâ & herili authoritate Doctor est Ecclesiæ, Legislator & Rector: Vnde ad Hebr. 3. de illo dicitur. *Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est, quãto ampliorẽ honorem habet quã domus, qui fabricauit illam. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus in testimonium eorũ quæ dicenda erant: Christus verò tanquam filius in domo suâ: quæ domus sumus nos* &c. 14

Tertiò ipse fundamentum est, quia tanquã Author & causa principalis influit in Ecclesiam, eiusque membra omnem vitam & motum supernaturalem. Denique ipse finis & summum bonum Ecclesiæ est, cuius participatione & associatione sperat aliquando in æternum effici beata. Istis ergò modis Christus est Ecclesiæ fundamentum, & quidem prorsus singulare, sic vt nemo fundamentum aliud illius ordinis possit ponere præter id quod positum & prædicatum est ab Apostolis & à Paulo. quod est Christus Iesvs: quicumque enim vult aliud istius ordinis ponere, vel hoc negare, mox Ecclesiam totam, eiusque religionem subuertit ac euertit, sicuti Mahumetani, Iudæi, Gentiles. 15

Sed sicut in ædificio materiali est assignare duplex fundamentum, vnum primum, & per se locatum ac fundans alia, nec alteri subnixum, cuiusmodi v. g. est solidus terrę fundus vel rupes, in qua ędificatur; 16

ficatur; & alterum fundamentum secundarium fundamentum in primo, vt lapides superimpositi solido fundo terræ: sic etiam in ædificio Spirituali Ecclesię potest duplex fundamentum assignari: vnum primum non fundatum super alio, sed alia fundans: & aliud secundarium fundatum in altero. Primum ergò Ecclesiæ fundamentum iuxta explicata est Christus, & quidem solus: Secundarium autem Petrus à Christo constitutus, & in Ecclesiastico ædificio locatus, qui proinde etiam in Ecclesiâ, non vt hæres & dominus in domo suâ, sed vt famulus in domo Dei, Ecclesiæ Christi præest & regit: quod sine Christi iniuriâ fieri posse nemo non videat.

17 Opponuntur Secundò quædam ex alijs Patribus, quibus videtur significare non super Petrum, sed super fide aut confessione fidei ædificari Ecclesiam; vt ex Hilario lib. 6. de Trinitate, vbi ita scribit: Super hanc confessionis Petram Ecclesiæ ædificatio est. Item, Hæc fides Ecclesiæ est fundamentum: per hanc fidem infirmę aduersus eam sunt inferorum portæ: hæc fides regni cœlestis habet claues. Et D. Ambr. lib. 6. in Lucam cap. 9. Fundamentum Ecclesiæ fides est: ex Chrys. hom. 55. in Matt. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, id est, (inquit) fidem atque confessionem: ac denique ex Cyrillo lib. 4. de Trinitate: Petram opinor nihil aliud, quàm inconcussam & firmissimam discipuli fidem vocauit. Et adhunc modũ Lutherani passim exponũt citata Christi verba, vt super fidem significari velint Ecclesiã ædificandã: quod ex allegatis videtur probari.

18 Sed Respondetur, fidem siue confessionem fidei posse duobus modis considerari: vno modo absolutè secundum se, & sine relatione ad Petrum, & hoc modo volunt hæretici Ecclesiam dici ędificandam super fidem, sed admodùm incongruè: primò, quia si ita esset, non fuisset ratio, cur Christus diceret: Ædificabo, sed ædificaui, & ædifico: iam enim multi crediderant in Christum & vt venturum, & de post vt adnisse, vt Patriarchę, B. Virgo, Simeõ, & alij. Deinde non esset connexio tunc orationis: dicit enim Christus, *Quia tu es Petrus, & super hanc* &c. vbi illud pronomen *Hanc*, necessariò demonstrat aliquid, quod iam proximè præcesserit. Tertiò, etsi fides absolutè posita rectè dicatur fundamentũ iustitiæ, nõ tamẽ Ecclesiæ: quia fundamentũ & ædificij partes sunt res eiusdem generis: est autẽ Ecclesia hominũ congregatio, quasi lapidũ viuorũ, vt dicitur 1. Petri c. 2. debet ergò fundamẽtũ huius ędificij esse lapis quoq; viuus ex hominibus, non aliqua qualitas.

19 Alio igitur modo potest fides, aut fidei confessio considerari, scilicet cum relatione ad personam Petri: & sic quidem dici, quòd Ecclesia sit ædificanda super confessione seu fide nõ cuiusuis hominis; sed Petri: non etiam vt priuati hominis, sed vt Pastoris Ecclesię: hoc enim, quo ad rem concidit cum eo, quod hactenus diximus, scilicet super Petro significari Ecclesiam ędificandam, qui nimirum suâ doctrinâ sustineat Ecclesiæ ædificium in sanâ fide, iuxta illud Christi, Lucæ 22. *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Sic enim modus loquẽdi satis vsitatus permittit, vt actio aut proprietas attribuatur nunc supposito, nunc virtuti, aut qualitati, per quam aut ratione cuius suppositũ causat, vel recipit proprietatem: & hoc sensu loquuti sunt S. Patres: ac inprimis Cyrillus expressè refert ad inconcussam & firmissimam discipuli fidem, non ad fidem omnium credentium: quod & Hil. loco citato satis declarat: addit enim Petrum supereminentem beatæ fidei confessione, locum commeruisse: vt videlicet fundamentũ & Caput Ecclesiæ statueretur: ac paulò infrà: Hinc (inquit) regni cœlorum habet claues, hinc terrena eius iudicia, cœlestia sunt: &c. quod & de reliquis satis patet; quia alijs locis indifferenter dicunt Ecclesiæ ædificari super Petro; & Petrum esse Ecclesiæ fundamentum aut eius fidem esse Petram.

Sed cõtrà replicat quidã Sectarius: Si super Petro siue eius fide, aut cõfessione fuisset fundata Ecclesia, mox corruisse dicẽda foret: nam eodẽ capite dicit Christus Petro: *Vade post me Satana: scandalũ es mihi, quia nõ sapis ea quæ Dei sũt*, &c. Deinde in passione ter Christũ negauit: ergò id dici nõ potest. 20

Respondetur Primò cum D. Hier. in cit. cap. Matt. Petrum, quando audiuit, *Vade post me Satana:* & quando negauit Christũ, nondum de facto fuisse constitutũ fundamentum; quia hoc loco tantùm promisit Dominus, quod post resurrectionẽ impleuit. Deinde cum dixit Petro, *Vade post me Satana*, non errabat tunc Petrus in fide; sed laborabat quâdam ignorantiâ, nec satis intelligebat mysterium & necessitatem passionis Christi: idque eo minùs, quòd tantã de Christo haberet existimationem, & talẽ præmisisset de eo confessionem: vnde apprehendebat illa quæ Christus referebat sibi obuentura, tanquam nimis Christo indigna. Similiter quando Christum in passione negauit, non à fide, sed à charitate excidit, vt infrà ampliùs dicetur. 21

Et huiusmodi quidem sunt argumenta vnius classis, quibus hęretici eneruare conantur, ne ex dictis Christi verbis statui queat Primatus Petri. Deinde adiungunt & alia 22

& alia alterius classis, scilicet etsi verum esset, quòd ibi per hanc Petram designaretur Petrus, & diceretur super eo ædificanda Ecclesia, nihilominus tamen inde non sequi:ergo Petrus est Rector & Caput totius Ecclesiæ. Ita enim alijs locis omnes Apostoli dicuntur Ecclesiæ fundamenta: Psal. 86. *Fundamenta eius in montibus Sanctis*, id est, in Apostolis & Prophetis, vt ibidem exponit D. August. Et Apoc. 21. *Et murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum agni:* ergo non potest ex eo quod Petrus dicatur fundamentum Ecclesiæ, efficaciter colligi quod ipse magis sit Caput Ecclesiæ quam cæteri Apostoli.

23 Respondetur ex illâ promissione tam singulariter Petro factâ, vbi alij Apostoli erant quoque præsentes, rectè colligi ipsum peculiari modo futurum fundamentũ Ecclesiæ Christi, & peculiari ratione super eum Ecclesiam esse ædificandam; ac proinde licet alibi cæteri Apostoli dicantur etiam fundamenta Ecclesiæ, non tamen omni eo modo & ratione esse fundamenta, quibus Petrus: Sed modis suis qui non præiudicent prærogatiuæ & primatui, ac generali præfecturæ Petri.

24 Dicuntur itaq; ipsi fundamenta, Primò, quia omnes Apostoli fundarunt vbique Ecclesias: non enim Petrus solus per se conuertit totum mundũ ad fidem, sed diuersi diuersas regiones susceperunt, & ad fidem Christi adduxerunt. Vnde D. Paulus ad Rom. 15. ait: *Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum* (id est, fundamentum ab alijs iam positum, siue Christum iam annuntiatum) *ædificarem:* & 1. ad Cor. 3 *Vt sapiens Architectus fundamentum posui: alius autem superædificat.* Sic ergo omnes Apostoli sunt fundamenta, quia omnes primitùs fundarunt Ecclesias.

25 Secundò dicuntur fundamenta Apostoli & Prophetæ ratione doctrinæ fidei diuinitùs ipsis reuelatæ: si quidem Ecclesia innititur reuelationibus, quas acceperunt Apostoli & Prophetæ: nam vt supra diximus post Apostolorum tempora non crescit Ecclesia in nouis fidei articulis nouiter reuelatis, sed persistit in eâ doctrinâ quam Prophetę & Apostoli à Deo didicerunt, & ad posteros viuâ voce aut scriptis transmiserunt.

26 Tertiò dicuntur Apostoli fundamenta ratione gubernationis: omnes enim habuerunt quandam potestatem vniuersalẽ vbique prædicandi, Ecclesias fundandi, easque regendi & administrandi: sed non eodem modo quo D. Petrus: illi enim habuerunt hanc vniuersalem potestatem solùm tanquam Apostoli & Legati: Petrus verò tanquam vniuersalis Pastor ordinarius: vnde etiamsi haberent alij amplissimam illã potestatem ad omnes mundi partes, tamen etiam suberant curæ & potestati ipsius Petri, sic vt ab illo penderet in illius potestatis vsu & exercitio, & non è contra, ille ab istis: vt infra amplius ostendetur. Et hoc est quod ei specialiter promittitur, dum Christus dicit: *Et super hanc Petrã ædificabo Ecclesiã meam.* Vnde Chrys. hom. 55. in Matthęum ad hæc verba scribit; Ecclesiæ Pastorem illum constituit: & paulò infrà: Ieremiam quidem vni genti Patrem; Petrum verò vniuerso terrarum orbi Christus præposuit: & D. Greg. lib. 4. epistola 32. Cunctis Euangelium scientibus liquet; quòd voce Dominicâ Sancto & Apostolorum Principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est: ipsi quippe dicitur: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:* & D. Hier. contra Iouinianum: Licet, inquit, super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur (modis scilicet iam antè explicatis) tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt Capite constituto, schismatis tolleretur occasio.

Admittimus itaq; omnes Apostolos suis modis rectè dici fundamenta Ecclesiæ; sed 27
tamen addimus peculiarem fundamenti rationem competere Petro, idque futurum præsignificari illis Christi verbis: vnde sequitur proinde, quod sit ipse vniuersalis Rector & Caput Ecclesiæ à Christo constitutus, sicuti iam explicuimus.

Similiter contra alteram eiusdem veri- 28
tatis probationem desumptam ex metaphorâ clauium, quas ibidem Christus promittit se daturum Petro, cauillantur non minùs hęretici, vt possint vim huius argumenti euadere: ac inprimis licet verba sint tam clara, vt non possit vel alia pene occurrere cogitatio, quàm quod claues promittantur Petro, ac ipsi dicatur: Et tibi dabo claues regni cœlorum, nihilominus tamen volunt illi, nihil hic peculiare Simoni Petro promitti: sed quidquid hic dicitur, ad totũ corpus Ecclesiæ dici ac pertinere.

Verùm antequam ad eorum motiua, aut 29
technas potius veniamus, veritas prius est declaranda & stabilienda: & quidem omnes circumstantiæ verborum Christi euidentissimè significant promissionem hanc peculiariter ad Petrum dirigi, ac ipsius personę fieri: nam tot & tantas congerit circumstantias Christus ad personã Petri designandam, vt nec notarij in publicis instrumentis soleant aliquem certum hominem pluribus describere, vt notauit Caiet. quia & substantiam personæ expressit, quando dixit, Tibi dabo, & præmisit nomen

men propriũ à natiuitate inditum Simon, & nomen Patris addendo Barionæ siue filius Ionę; & nomen à Christo recenter impositum, Cephas, siue Petrus, ita vt accuratius nõ posset persona illa designari. Quorsum autem tam accurata huius personę descriptio, si nihil ei peculariter dicatur & promittatur?

30 Deinde ratio & connexio textus postulant, vt claues dicantur promitti illi, qui iam dixerat: *Tu es Christus filius Dei viui:* & cui dixerat Christus: *Caro & Sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Et rursum. *Ego dico tibi quia tu es Petrus* &c.

31 Huc accedit consensus antiquorum Patrum; nam Hilar. Chrys. Hieron. Teophil. in dictum caput Matthæi, disertè docent eidem dictum fuisse paulò infra: *Vade post me Satana*, Cui antea dictum erat: *Tibi dabo claues Regni Cœlorum:* atqui istud dictum esse Petro in suâ personâ etiã hæretici agnoscunt: ergo etiam hoc illi sic dictum esse, fateri debent. Idem docet D. Aug. lib. 2. contra duas epistolas Gaudentij cap. 23. & Amb. lib. de Isaac cap. 3. exponens illa Christi verba apud Ioannem c. 13. *Non potes me sequi modò:* Claues (inquit) promiserat regni cœlorum, & ad sequelam imparem indicauit. Denique si non Petro particulariter aliquid promittere intendisset, haud dubiè sermonem mutasset, & pluraliter dixisset: Et dabo vobis claues regni cœlorũ.

32 Sed contra Obijcitur: Petrus nomine omnium Apostolorum respondit, & dixit: Tu es Christus filius Dei viui: ergo etiam nomine omnium, siue Collegij Apostolorũ audiuit, & hanc remunerationis promissionem accepit: *Tibi dabo claues* &c. & per consequens nihil hic particulare Petro prę cęteris, multoque minus aliqua potestas supra seu in cæteros promittitur. Probatur antecedens primò: quia omnes Apostoli à Christo rogabantur: *Vos autem quem me esse dicitis?* ergo admittendum est, quod Petrus nomine omnium responderit, aut cæteri accusandi essent rusticitatis, & stupiditatis quod Domino respõdere neglexerũt. Probatur secundò: quia D. Chrys. hom. 55. id ipsum significat, vbi vult Petrum fuisse os reliquorum. Similiter D. Aug. serm. 13. de verbis Domini, dicit vnum pro omnibus respondisse. Probatur autem Consequentia primo, quia vbi est communis honorifica confessio & proinde commune meritum, licet ore vnius promatur, ibi non videtur neganda cõmunis & par remuneratio subsequuta; quamuis ad vnum qui nomine omnium est loquutus, dirigi videatur promissio. Probatur Secundò: quia plures antiqui Patres sic videntur intellexisse: D. Cypr. de Vnitate Ecclesiæ: hoc erant vtiq; & cætri Apostoli, quod fuit & Petrus pari consortio præditi & honoris & potestatis. D. Hil. lib. 6. de Trinitate: Vos, ô sancti & beati viri ob fidei vestræ meritum, claues regni cœlorum sortiti, & ligandi atque soluendi in cœlo & in terra ius &c. Aug. tract. 5. in Ioannem: Si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus: *Tibi dabo claues regni cœlorum: quæcumque solueris* &c. si hoc Petro (inquit) tantùm dictum est, nõ facit Ecclesia, hoc videlicet soluere & ligare. Et infra: si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claues accepit, Ecclesiam Sanctam significauit. Similia habet diuersis alijs locis, vt tract. vltimo in Ioannem: Item in Ps. 108. & 118. concione 13. & lib. 1. de Doctrina Christiana c. 18. Denique D. Leo serm. 3. de Anniuersario assumptionis suæ, explicans illa verba: *Et tibi dabo claues regni cœlorum* &c. Trãsiuit (inquit) in alios Apostolos vis potestatis huius, & ad omnes Ecclesię Principes decreti huius constitutio commeauit. Probatur Tertiò: quia quod hic Petro promittitur, illud Matth. 18. communiter omnibus datur, quando Christus omnibus dixit: *Amen dico vobis: quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.*

Respondetur Antecedens posse intelligi inprimis hoc sensu, quod Petrus nomine omnium responderit tanquam qui ab illis acceperit instructionem ac commissionem sic respondendi, & talem confessionem faciendi communi nomine: Secundò quod responderit nomine omnium, quia quod ipse primus ex diuinâ reuelatione didicit, & confessus est, hoc alij eius confessioni adhærentes suo silentio approbarunt. Accipiendo itaque antecedens in priori sensu, consequentia haberet apparentiam: sed eo sensu falsum est & negandũ: quod enim non ex humanâ consultatione, aut commissione responderit Petrus, satis declarant illa verba Christi Domini: *Caro enim & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus qui in cœlis est:* In sensu autem posteriori admittitur Antecedens, idque sufficit, ne reliqui Apostoli rusticitatis aut stupiditatis ob neglectum responsum arguendi dicantur. 33

Eoq; etiam tantùm sensu Patres dicunt Petrum pro omnibus fuisse loquutum, aut respondisse: quod satis constat ex Chrys. eodem loco dum dicit: Quando idem petebat de sententiâ vulgi, omnes responderunt, cum verò de suâ eos rogaret, Petrus confestim prosiluit, ac præueniens ait: *Tu es Christus filius Dei viui*; & D. Hil. lib. 6. de Trinitate ita hâc de re scribit: Qui in cunctorum Apostolorum silentio, Dei filium reuelatione Patris intelligens vltra huma- 34

 næ infir-

næ infirmitatis modum, supereminentem beatæ fidei confessione gloriam promeruit; & in hunc locum Matth. sic de Petro loquitur: Dignusque iudicatus qui quod in Christo, Dei esset, primus agnosceret. Cyri. lib. 12. in Ioannem cap. 64. vt Princeps (inquit) Caputque cæterorum, primus exclamat: *Tu es Christus Filij Dei viui*: & Aug. serm. 124. Hic est Petrus qui diuinâ reuelatione primus omniũ veritatem meruit confiteri dicens: *Tu es Christus* &c. Leo ser. 2. de SS. Apostolis Petro & Paulo: Tamdiu respondentium sermo communis est, quamdiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur: at vbi quid habeat discipulorum sensus, exigitur, illi primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolicâ dignitate.

35 Hoc sensu itaque antecedente admisso negatur consequentia: & ad primam eius probationem ex dictis constat satis responsio: quia licet illa confessio fuerit aliquo modo & sensu omnium & communis, sicut explicuimus, valdè tamẽ diuersimodè fuit illa Petri & cæterorum Apostolorũ: nam Petri fuit tanquã primi dicentis sententiã, non ex aliorũ cõsultatione, aut cõmissione; sed tanquam principalioris & præstantioris inter illos pluribus donis& maiori diuino lumine instructi & collustrati, sic vt licet pro illo tempore nondũ accepisset primatum inter Apostolos, tamen ad eum diuinis muneribus præparabatur. Vnde & ab alijs suspiciebatur, & inter eos suo modo habebatur principalior; aliorum autem fuit illaConfessio tanquam subscribentium Petri sententiæ, cum aliàs ignorarent quid potissimùm respondere debuissent: sed Petri confessione edocti, fidem recognouerunt & approbarunt. Quare satis apparet, non fuisse hic par omnino meritum, neque parem rationem retribuendi omnibus ęqualiter idem pręmium, & proinde nec debere subsequutam remunerationis promissionem ad vnum directam, extendi æqualiter ad omnes.

36 Quemadmodum si Rex aliquis casum proponeret Collegio Doctorum simul cõgregato; & vnus ex illis principalior ac præstantior doctrinâ& ingenij promptitudine responderet ex tempore cum plenâ satisfactione interrogantis; quam resolutionem cæteri collegæ collaudarent, licet fortassis ab initio eis non occurrisset: & tũ auditâ responsione Princeps ei qui respondisset, diceret: Ego te constituam Cancellarium regni mei; nemo existimaret promissionem illam ex æquo concernere omnes DD. illius Collegij, etsi ijs qui primus dixerit sententiam modo quodam, omnium nomine respondisse, dici possit.

Quod ad veterum authoritates attinet, inprimis ad D. Cypr. facilis est responsio; quia admittimus quidem Apostolos omnes habuisse quoddam par cõsortium Apostolicæ potestatis, & honoris, in ordine scilicet ad prædicandum Euangelium omni creaturæ, & ad Ecclesias per totum terrarum orbem instituendas, erigendas, & gubernãdas: quemadmodum supra diximus, omnes Apostolos fuisse Ecclesię fundamẽta, & fundatores. Sed dicimus cum illo cõsistere potuisse eos in ordine ad se mutuò non fuisse æquales: nam honorem & potestatem vniuersalem, quam cæteri habebant, vt Apostoli & Legati tantùm, habuit Petrus tanquam ordinarius vniuersalis Ecclesiæ Pastor, & eo nomine ipsi Apostoli reliqui, qui alioquin in totum mundum habebant potestatem, erant etiam Petri curæ subditi. 37

Quod Cyp. eodem loco apertè significat: subiungit enim immediatè: Sed exordium ab vnitate proficiscitur: & Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia & Cathedra vna monstretur: & paulò ante postquam recitasset Christi verba ex cap. 16. Matth. & ex cap. 21. Ioannis, addit: Super illum vnum (scilicet Petrum) ædificat Ecclesiã suam, & illi pascendas mandat oues suas, & quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat & dicat: *Sicut misit me Pater sic & ego mitto: accipite Spiritum Sanctum* &c. tamen, inquit, vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem suâ authoritate disposuit: quia scilicet vnum Petrum constituit Pastorem vniuersalem ordinarium, à quo omnes Pastores essent dependentes, & vnam ei tribuit vniuersalem Cathedram cui omnes subiacerent. Quod D. Leo epistola 84. vbi ad Cypriani verba videtur respicere, rectè explicat, ita scribens: Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cum omniũ par esset electio, vni tamen datũ est vt cęteris præmineret. Idem significant etiam verba Hieronymi supra allegata ex libro 1. contra Iouinianum, circa medium. 38

Similiter ad D. Hilarium dicimus, Verũ esse quod omnes Apostoli acceperint claues, & ius ligandi atque soluendi: sed addimus, quòd non eodem modo quo Petrus, sicuti dictum & explicatum est: vnde ibidem Hil. scribit, quod Petrus in cunctorũ Apostolorum silentio, beatæ fidei confessione supereminentem gloriam meruerit. Et in cap. 16. Matth. singulariter de Petro dicit: Beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur. 39

Pro

40 Pro explicatione & intelligentia diuersorum locorum D. Augustini huc pertinentium obseruandum est Primo, Aug. ponere duos modos soluendi & ligandi in Ecclesiâ; nam præter eum quo dicuntur Sacerdotes remittere aut retinere in administratione Sacramentorum Baptismi & pœnitentiæ (qui modus propriè dictus est, & quē passim cum alijs Patribus Aug. agnoscit) insuper solet ipse sæpius sic loqui, vt dicat Ecclesię Charitatem remittere suorū participum peccata, vt Tract. 131. in Ioannem: Item remissionem peccatorum dari per orationes Sanctorum, & per gemitum Columbæ siue Ecclesię, vt lib. 3. de Baptismo c. 17. & 18. Item lib. 5. c. 21. & lib. 6. c. 3. & alibi. Videtur autem D. Aug. hunc loquendi modum vsurpasse propter Donatistas, quibus mirabile & extraneum videbatur, hæreticos posse per baptismum homines iustificare, & in Ecclesiam introducere, cum ipsi sint cooperti peccatis, & extra Ecclesiam; Ad hanc itaque admirationem tollendam, dicit Aug. non tam eum qui baptizat, remittere peccata, quàm gemitum Columbę: quia scilicet ministerium eius acceptatur non tàm propter ipsum baptizantem, quàm propter Ecclesiam, cuius minister est, & cuius charitas ad eum qui baptizatur, extenditur: tum quatenus orationibus Sanctorum tanquam gemitu Columbę impetrantur ei fides & pœnitentia; tum etiam quatenus in baptismo ei infunditur eadem charitatis forma, & efficitur viuum Ecclesię membrum. Verùm hęc remissio quatenus sic per gemitum Ecclesiæ & Sanctorum preces fit, non exercetur ex authoritate, quemadmodum per Sacramētum pœnitentiæ datur: sed magis per modum impetrationis & cōmunicationis bonorum, quæ est in Ecclesia.

41 Notandum Secundò: D. Petrum dupliciter posse considerari: vno modo tanquā hominē particularē & priuatū: alio modo, tāquam personam publicam ad communē Ecclesiæ vtilitatem institutam & ordinatā, scilicet tanquam Pastorē & caput Ecclesię.

42 His Præmissis Respondetur: quando D. Aug. scribit: In Petro fuisse Ecclesiæ Sacramentum; Petrū quando claues accepit, Ecclesiam Sanctam significasse, vel Petrū in significatione personā Ecclesię gestasse, non per ista negare, quod ea quæ sic dicit Petrum accepisse, conueniant verè Petro in suâ personâ: nam in Psalmum 118. Concione 13. scribit quoq; Petrum significasse personam Ecclesiæ secundum quædā eius membra, quando in passione Domini, timore turbatus ad tempus Dominum negauit: non potest autem quis dubitare, quin interim Petrus ipse reuera sic Dominum negâuerit. Quare istis eiusmodi sermonibus & formulis loquendi, nō aliud docere intendit Aug. quàm Petrum, non vt priuatū hominem ad suum particularem vsum tantùm, vel honorē, accepisse claues quæ cum ipso interituræ essent; neque illi vt tali & ad eum effectum & finem à Christo claues esse datas: sed eum sub ratione personæ publicæ sub qua significabat & sustinebat personam Ecclesiæ, accepisse claues, quæ non cum Petro proinde essent morituræ, sed semper ad Ecclesiæ ædificationem & vtilitatem in eâ permansuræ: accepisse, inquam, non quasi procuratorio nomine, sic vt eas Ecclesię tantū, & non sibi accepisset, vt hæretici contendere volunt: Sed accepisse tanquam vniuersalem Pastorē, & verum Caput Ecclesiæ: sic tamen vt eas acceperit non suæ personæ soli; verùm etiam pro omnibus successoribus, & simul pro reliquis Ecclesię Pręlatis & Episcopis, quibus ipse & eius successores habent eas communicare secundum gradum & ordinem vniuscuiusque.

Hoc igitur modo Petrus in significatione accepit claues regni cœlorum; idque habet illustrem intellectum, quem requirit Aug. in Psal. 18. & dicit non reperiri, si ad Petrum tantum putentur spectare, quæ dicta sunt à Christo, sic videlicet vt ad eius solius vsum & vtilitatem seruirent, & cum eo cessarent. Ipse itaque in personâ Ecclesiæ accepit claues, sicuti Rex aliquis acciperet nomine Regni & Communitatis, si quæ adijcerentur Coronę in vsum & commoditatem subditorum: hanc autem fuisse D. Aug. mentem, manifestè colligitur ex eo quod penè vbicumque dicit Petrum gestasse personam Ecclesiæ, explicet se hoc dicere ratione Primatus Petri: vt tract. vlt. in Ioannem: Cuius Ecclesiæ (inquit) Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatū gerebat figurata generalitate personam: & in Psal. 108. Cuius (scilicet Ecclesiæ) ille agnoscitur gessisse personam propter primatum, quem in discipulis habuit: & serm. 23. de Verbis Dom. Petrus à Petra cognominatus beatus Ecclesię figurā portās, Apostolatus principatū tenens &c. 43

Deinde idem expressius significat tract. vltimo in Ioannem circa finem, dum sic scribit: Omnibus igitur Sanctis ad Christi corpus inseparabiliter pertinentibus, propter huius vitæ procellocissimæ gubernaculum ad liganda & soluenda peccata claues regni cœlorum primus Apostolorum Petrus accepit, eisdemque omnibus Sanctis propter illius vitæ secretissimæ quietissimum sinum super pectus Christi Ioannes Euangelista discubuit: quoniam nec iste solus ligat soluitque peccata: nec ille in 44

 princi-

principio Verbum Deum apud Deum, & cætera de Christi diuinitate, de fonte Dominici pectoris solus bibit: sed ipse Dominus ipsum Euangelium pro sua cuiusque capacitate omnibus suis bibendum toto terrarum orbe diffudit: vbi Aug. vult Petrum accepisse claues regni cœlorum omnium nomine, siue pro omnibus, quemadmodum D. Ioannes bibit pro omnibus de fonte Dominici pectoris mysteria Incarnationis & diuinitatis Christi: atqui certum est, quod Ioannes in suâ personâ super pectus Christi recubuerit, & de fonte illo cognitionem istorum mysteriorum hauserit, licet non sibi soli, neque ad suum tantùm profectum: sed vt eandem cognitionem cęteris communicaret, & omnium fidelium saluti seruiret: ergo similiter Aug. tantùm vult, quod Petrus pro omnibus, vel nomine Ecclesiæ acceperit claues, non quod ipse in suâ personâ eas principaliter & in supremo gradu non habuerit, quemadmodum Ioannes principaliter & in supremo gradu hausit illa mysteria de fonte Dominici pectoris; sed quia eas non sibi soli accepit; verùm vt communicaret quoque illas reliquis Ecclesiæ Prælatis secundum eorum gradum & ordinem, & ad communem vtilitatem ac salutem.

45 His addo pro pleniori intellectu, quod sicuti diximus August. ponere duos modos ligandi & soluendi in Ecclesiâ, sic quoque Petrum duobus modis ratione sui Primatus gessisse figuram Ecclesiæ iuxta eundem August. Primùm enim Petrus vt Summus Ecclesiæ Pastor accipiens claues significauit Ecclesiam in suis Pręlatis habituram claues, sicuti explicuimus: & sic fuit Petrus figura omnium ministrorum totius Ecclesiæ. Quo sensu loquitur Aug. tract. 50. in Ioan. Alio modo idem Petrus accipiens claues fuit figura totius Ecclesię Sanctę siue iustorum, qui in Ecclesiâ sunt: nam in eo quod ipse iustus & sanctus cōmunicando alijs charitatem per orationes, obsecrationes, instructiones, ieiunia & alia pietatis opera, soluebat proximos à peccatis (quem tamen soluendi modum diximus antè esse minus proprium) præfigurabat, quod similiter in Ecclesiâ semper foret communicatio Sanctorum & timentium Dominum, & quod Ecclesia per charitatem subueniendo peccatoribus impetraret iisdem veniam & remissionem. Et ad hunc modum videtur maximè respicere libro 3. De Baptismo cap. 17. & in Psal. 108.

46 Denique quod ad Diuum Leonem attinet, dicimus quoque vim potestatis clauium transmissæ ad alios Apostolos, & decreti huius constitutionem ad omnes Ecclesiæ Principes commeare: sed non eodem modo & gradu, sicuti ad Petrum, quemadmodum iam sæpiùs est explicatū: quod idem Leo satis agnoscit eodem loco; quia antea præmittit, De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur. Itē si quid cum eo commune cæteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid alijs non negauit. Vnde quidam colligunt, etiam ipsos Apostolos omnem suam potestatem Iurisdictionis immediatè à Petro accepisse, licet sententia communior habeat, quod ipsi extraordinariâ quâdam ratione acceperint eam immediatè à Christo, vtpote qui fuerāt & erant corporaliter simul præsentes quando regnum Ecclesiæ instituebat, illudque seruis suis committebat.

Ad Tertiam Probationem Consequentiæ Respond. Negando Matthæi 18. de facto conferri, quod Matth. 16. Petro promittitur: Sed fieri ibi quoque promissionem de concedendâ Apostolis & Ecclesię in suis Prælatis potestate ligandi & soluendi: verùm non cum primâ illâ superioritate, quâ Petro promissa erat, cui particulariter dictum est à Christo: *Tibi dabo claues Regni Cælorum*: quamuis enim omnes erant accepturi potestatem ligandi & soluendi, non tamē pari modo & auctoritate cum Petro, cui tanquam ordinario Capiti claues regni cœlorum specialiter promittuntur: cæteris autem Apostolis tanquam extraordinarijs, & Legatis: alijs autem Prælatis tanquam subordinatis Petro totius Ecclesiæ vniuersali Pastori. 47

Hæretici itaque alio modo conantur eneruare argumentum hoc ex metaphorâ clauium, quæ Petro promittuntur desumptum ad ostendendum eius Primatum: & contendunt non sequi: Petro promissæ & datæ sunt à Christo claues regni cœlorum, ergo ipse est constitutus vniuersalis Præfectus totius Ecclesiæ: quia (inquiunt) per claues non aliud importatur, quàm posse ligare & soluere; sic enim Dominus ipse videtur exponere, quando addit: *Et quodcumque ligaueris*, &c. quid autem sit soluere & ligare exponitur Ioannis 20. vbi datur Apostolis potestas remittendi & retinendi peccata. Quomodo autem peccata remittantur & retineantur, Scriptura passim docet (aiunt) cum per Euangelij prędicationem testatur illuminari homines, & liberari de prauitate vitiorum. 48

Ita fere Caluin. lib. 4. Institutionum cap. 6. & 11. & ad dictorum suorum confirmationem adducit illud Pauli 2. ad Cor. 5. *Et posuit in nobis verbum reconciliationis: pro Christo* 49

Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo; reconciliamini Deo. Vnde secundum illos dicetur remittere peccata, qui per Euangelij prædicationem homines ad fidem adducit; ille autem retinere, qui eos quos videt obstinatos, declarat sempiternis supplicijs mancipandos: & consequenter accipere claues regni cœlorum, non est accipere aliquam potestatem regiminis, sed accipere nudum ministerium Verbi.

50 Quod & confirmant hac ratione, quia si prædictis verbis fuisset Petro datus aut promissus Primatus, non disputassent nec dubitassent postmodum Apostoli, quis eorũ videretur esse maior, prout disputarunt Marci 9. Lucæ 9. & 22. aut saltem Dominus ad expediendam ipsorum difficultatem, dixisset eis: Nolite inter vos contendere eâ de re; nam Petro promisi, & illum constituam Principem & Rectorem super vos: & ille erit maior in vobis: nihil autem tale Christus dixit: ergò &c.

51 Verùm contra ista hæreticorũ figmenta sustinent Catholici omnes cum antiquis Patribus, per claues regni cœlorum Petro promissas significari, illi dandam supremam potestatem in totam Ecclesiam; & vniuersalem Ecclesiæ Pastorem constituẽdum. Idque probatur Primò, quia ex alijs locis constat consueuisse in Scripturis Sacris nomine clauium per metaphoram designari præfecturam & principatum, non autem nudum ministerium verbi. Isaiæ cap. 22 describitur depositio vnius Pontificis aut Præpositi templi, & alterius institutio, his verbis: *Vocabo seruum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunicâ tuâ, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu eius:* & mox adiungitur: *Et dabo claues domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat:* vbi per donationem & impositionem clauium super humerum eius, manifestè significatur ei danda suprema potestas & principatus circa domum Dauid. Hinc etiam de Christo prædicitur: Et principatus eius super humerum eius; quia Crux in quâ triumphauit imposita est humeris eius: quemadmodum claues quæ principatum significant, super humeros imponi solebant vt ex allegatis Isaiç verbis colligitur, forsitan ad significandum, quod principatus secum onus graue importet. Apoc. cap. 3. *Hæc dicit Sanctus & Verus qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit* &c. hic iterum per clauem Dauid significatur Christi imperium: sicuti de eodem prædixerat Angelus Lucç cap. 1. *Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Idem Secundo satis probat cõmunis & antiquus agendi vsus, quo claues offeruntur principi, aut victori in signum quo recognoscatur eius Imperium, aut quo Imperium illi & potestas gubernandi quasi concedantur.

Ita quoque intellexerunt Christi verba Sancti Patres: nam Chryſ. hom. 55. in Matthçum exponens hanc Christi promissionem, dicit Petro commissum vniuersum orbem terrarum, & ipsum factum Pastorem totius Ecclesiæ. D. Greg. lib. 4. epistola 32. Cunctis (inquit) Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominicâ Sancto & omnium Apostolorum Principi Petro, totius Ecclesiæ cura commissa est: ipsi quippe dicitur: *Tibi dabo claues Regni Cœlorum*, &c. D. Leo serm. de Anniuersario die suæ assumptionis: Beatus Petrus in acceptâ firmitudine Petrç perseuerans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit. 52

Vnde ad ea quç in contrarium ab hæreticis obtruduntur, Respondetur, promissionem ac subsecutam donationem clauium Petro factam importare quidẽ posse ligare & soluere: verùm non quomodolibet, sed per modum Rectoris ordinarij, qui sit caput familiæ, siue Ecclesiæ Christi. Vnde etsi dederit quoque Christus cçteris Apostolis posse ligare & soluere, non tamen promisit nec dixit illis: vobis dabo claues regni cœlorum, quia non mox vt quis extraordinario modo aliquo habet potestatem aliquam circa communitatem, aut familiam, dicitur simpliciter & absolute habere claues Prouinciæ, aut domus, sed ille qui tanquam Princeps aut ordinarius vicarius habet administrationis potestatem. 53

Deinde verum non est, quid Ligare & soluere sit, id exponi Ioannis 20. quando Christus dixit: *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt:* ibique Petro cum cæteris dari, quod Matth. 16. peculiariter illi promittitur per hæc verba: *Et tibi dabo claues Regni Cœlorum*, &c. nam licet potestas ligandi & soluendi compræhendat etiam potestatem remittendi & retinendi peccata, tamẽ ista vniuersalior est & ad plura se extẽdit: potestas enim ligandi non tantum est posse retinere peccata, sed generaliter est potestas præcipiendi, prohibendi, pœnas instituendi, ijsdemque adiudicandi ac puniendi: nam præcipiendo, prohibendo, instituendo pœnas, & transgressores in easdem condemnando obligantur ac ligantur homines ad facienda quæ prçcipiuntur; ad fugienda quæ prohibentur; ad pænas subeundas aut luendas, quæ per legem aut sententiam infliguntur. 54

Quod idem manifestius colligitur ex 18. cap. Matt. vbi Christus edocens, quomodo rebelles sint ab Ecclesiâ puniendi, scilicet quod à communione fidelium separandi sint, & tanquam Ethnici & Publicani habendi, Adiecit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Quibus etiam ex Caluini confessione confertur potestas excommunicationis. Ita quoque Matth. 23. dicit Dominus: *Alligant onera grauia, & importabilia in humeros hominum*; vbi alligare non est aliud quam præcepta onerosa imponere: ergo ligare aut alligare non est tantum posse peccata retinere, sed posse etiam præcepta imponere & obligare. Similiter soluere est generalius, quàm remittere peccata: nam soluere etiam dicitur qui liberat à præceptis, à votis, à iuramentis, à pœnis debitis, quare per hoc quod Dominus addidit: *Quodcumque ligaueris super terram* &c. explicatur quidem vsus potestatis clauium quæ Petro tanquam futuro vniuersali Pastori promittitur per illa verba: *Tibi dabo claues Regni Cælorum*: sed vsus iste ibidem significatus non coarctatur ad solam remissionem, aut detentionem peccatorum.

55 Præterea hoc iterum falsum est; quod remittere peccata non sit aliud quã fidem & Euangeliũ prædicare, vt Caluin. videtur velle: possunt quidem non incongruè prędicatores dici prędicando illuminare, & à peccati somno excitare; quatenus scilicet ex auditu homines concipiunt fidem, timorem, spiritum pœnitentiæ: sed tamen solâ prędicatione non dicuntur remittere peccata. Vnde Actorum c. 2. Petrus post concionem, quâ multos ad fidem, & compunctionem commouerat, addidit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in remissionem peccatorum vestrorum.* Quare potestas remittendi peccata est potestas administrandi Sacramẽta, principaliter quidem pœnitentię, ac etiam baptismi, vt docent Cyril. & Chrys. ad locum Ioannis 20. & D. Hier. epistola ad Hedibiam cap. 9. D. Paulus autem 1. ad Corinth. cap. 1. distinguit illa duo euangelizare, & baptizare, dicens se missum non baptizare, sed euangelizare.

56 Ex dictis facile erit respondere ad illud quod Caluinus ex Paulo adducit. Dicendum enim est, verum scilicet esse quod Euangelij prædicatio ibi dicatur verbum reconciliationis; non quod prędicatio sola nos reconciliauit; sed quia proponit reconciliationem per Christum factam, & disponit & adducit nos ad communicationem seu participationem illius reconciliationis, modo iam supra explicato.

57 Denique ad confirmationem quam adiungunt, dicendum est: Apostolos non plene intellexisse promissionem Petro factam, sicuti & multa alia ante Christi resurrectionem non satis capiebant, quod ex ijsdem locis patet: Interim tamen eos fuisse suspicatos, tum ex illis Christi verbis, tum ex alijs indicijs, Petrum fore constituendum Primum ac Caput omnium: & ideo inter eos subortam contentionem, quis eorum esset futurus maior: quod docent Origines, Chrysost. & Hier. in cap. 18. Matth. vbi etiam huius contentionis fit mentio. Neque refert quod Christus non mox claris & expressis verbis dixerit eis. Iam sic ordinatum esse, quod Petrus deberet esse maior: quia propter Apostolorum infirmitatem quã adhuc laborabãt tunc tẽporis, nõ conueniebat hoc tã apertè eis explicari: verùm suo tempore sicut & alia multa mysteria ad Ecclesiam pertinentia, erant hoc intellecturi. Non tamen omisit Christus eis innuere etiam tum, quod aliquis inter eos esset futurus maior, quando Lucæ cap. 22. dixit: *Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator.* Et paulo post: *Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat*: Quibus verbis significat futurum quidem inter ipsos aliquem maiorem, sed retundit ambitionem, & docet Principatum non esse appetendum honoris aut proprij commodi causa: sed cui obtingit, quod is debeat cum omni modestiâ & humilitate ad aliorum vtilitatem, illum administrare.

Alter Scripturæ locus principalior ex quo statuitur Petri primatus, habetur Ioannis 21. vbi Christus postquàm per ternas vices interrogasset: *Simon Ioannis diligis me plus his?* dixit eidem primò: *Pasce agnos*: Secundò autem similiter, vt habet nostra versio, vel vt habet D. Ambros. in caput vltimum Lucæ, Pasce ouiculas meas, & tertiò, *Pasce oues meas*: quibus repetitis verbis committit curæ Petri agnos, id est, communes fideles, qui nullam habent curam pastoralem, quique tantùm filij sunt Ecclesiæ: Ouiculas, id est, Præsbiteros minores & parochos, qui gignunt quidem, sic tamen vt adhuc foueantur, & sint sub curâ Episcoporum; ac denique Oues, id est, Sacerdotes maiores & Episcopos, qui agnis & ouiculis præsunt, & generant Ecclesiæ filios, & tamen etiam Petro submittuntur. Quem huius loci intellectum indicat Diuus Leo serm. 3. de Anniuersario suæ Assumptionis, vbi scribit Petrum à Christo esse præpositum omnibus gentibus, omnibus Patribus, & omnibus Apostolis. Ambros. autem loco citato intelligit distincto illo sermone, *Agnorum, Ouicularum,* 58

larum, *& Ouium.* committi Petro incipientes, proficientes, & perfectos: atque ita omnes fideles.

59 Et quidem hîc Petro committi generalem curam ac regimen ouilis Christi, & Ecclesiæ, docent passim Sancti Patres. Epiph. in Ancorato: Hic est qui audiuit: *Pasce oues meas*; cui concreditum est ouile &c. Chrys. in hunc locum: Alijs omissis (inquit) Petrum duntaxat affatur: fratrum ei curam committit, & infra: Nam cum magna Dominus Petro communicasset, orbis terrarum curam demandasset: &c. Ambros. in cap. vlt. Lucæ: Quem eleuandus in cœlum, amoris sui vicarium relinquebat, vt haberemus Petrum, qui nos amore paterno & pastorali foueret: quemadmodum Christus ipse fecerat: & ibidem: Quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur. D. Greg. verbis supra recitatis idem significat. Theophilac. in caput vltimum Ioannis: Finito prandio (inquit) præfecturam ouium totius mundi Petro commendabat: non autem alij, sed huic tradidit. Idem docet D. Leo ser. 3. suprà citato. Bern. lib. 2. de Consideratione: Cui (inquit) non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè & indiscretè totæ commissæ sunt oues? si me amas Petre, pasce oues meas: quas (inquit) illius vel illius populos Ciuitatis aut Regionis aut certè regni? oues meas, inquit, quibus manifestè attestatur Bern. per hoc quod Christus dixit absolutè & indefinitè *Pasce oues meas*, Petro esse commissas simpliciter omnes Christi oues.

60 Sed contra Argumentum ex hoc loco petitum cauillantur quoque hæretici: ac inprimis volunt non soli Petro dictum: *Pasce oues meas.* Ad cuius confirmationem adduci potest D. Aug. lib. de Agone Christiano cap. 30. Cum ei (Petro scilicet) dicitur, omnibus dicitur: amas me? pasce oues meas. Deinde Chrys. qui lib. 2. De Sacerdotio dicit, Tunc exhibiturum Basilium (quem ad suscipiendum Episcopatum ei oblatum exhortabatur) eximiam suam dilectionem in Christum, si pascat eius gregem, cum scriptum sit: *Si diligis me? Pasce oues:* quibus videtur indicare non ad solum Petrum, sed ad omnes Episcopos illa Christi verba pertinere.

61 Verùm contra facit; quod omnes circumstantiæ textus probent oppositum: nam inprimis alloquitur Christus Petrum sub nomine proprio dicens: *Simon Ioannis*, quo eodem nomine etiam ipsum compellauit Matt. 16. quando ei promittebat claues Regni Cœlorum, quas hic dat & tradit, dum eum ouilis sui Pastorem constituit. Deinde dicitur eidem, *Pasce agnos, pasce oues*, à quo Christus quærit: *Diligis me plus his?* quod sine dubio non potest intelligi petitum simul fuisse ab omnibus: quia dum dicitur, plus his, distinguit Petrum ab alijs, non tantum qualibuscumque hominibus; sed etiam ab Apostolis tunc præsentibus. Deniq; patet ex contextu sermonis dictum esse eidem, *Pasce oues meas*, cui mox dicitur: *Amen, Amen dico tibi, cum esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem senueris extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet quò tu non vis:* Atqui hoc dicitur soli Petro: additur enim: *Hoc autem dixit, significans quâ morte clarificaturus esset Deum:* non enim omnibus prædixit illud genus mortis, sed Petro. Similiter intellexerunt hæc Christi verba omnes veteres supra citati: & D. Chrys. Cyril. & Aug. in hunc locum dicunt ei à Christo dictum esse: *Pasce oues meas*, qui aliquando ter Christum negauerat; qui sine dubio fuit solus Petrus.

Ad ea igitur quæ ex Aug. & Chrys. adducuntur, Respondetur verba Christi: *Pasce Agnos, pasce Oues*, per se & proximè dirigi ad Petrum, ac specialiter ea ipsi dici, sicuti hoc ostendimus: nihilominus tamen suo quodam modo conuenire etiam omnibus Episcopis: quia videlicet omnes qui in partem sollicitudinis à Petro vocantur, debent Petri formam in pascendo grege imitari. Quod itaque ei qui supremus Pastor constituitur, dictum est, id suo modo seruatâ proportione etiam alijs inferioribus Pastoribus dicitur: & in eo quod ter Dominus inquisiuit à Petro, an eum diligeret plus cæteris, admonuit eos ad quos pertinebit eligere & constituere Pastores, vt eos assumerent ad Episcopale munus qui charitate Christi & proximi magis excellunt. 62

Secundò cauillantur hęretici & contendunt per illud: *Pasce oues*, non dari potestatem superioritatis & regiminis; sed tantum Petro mandari officium dirigendi, prædicandi, ac docendi: nam pascere (inquiunt) non est præesse, sed cibum præbere ac ministrare: quod etiam ab inferiori fieri potest. Vnde non imperat Dominus fidelibus, vt Petro obtemperent, sed illi datur præceptum, vt prębeat eis alimenta. 63

Verùm contra facit primò, Quod non dicatur propriè pascere alios, qui cibum quâcumque ratione ministrat, sed qui prouidet ac procurat alijs cibum: quod præpositi aut Rectoris familię est: quamuis enim ministri apportent cibos ad mensam, non tamen illi, sed Patres dicuntur familiam habere pascendam, & eam pascere. Quod etiam indicatur Lucæ 12. *Quis putas est fidelis dispensator ac prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore* 64

pore tritici mensuram: In eo igitur quod oues committantur Petro pascendę, simul constituitur ouium Præfectus & gubernator. Deinde per verbum (*Pasce*) ex communi loquendi modo intelligitur significari omnis actus Pastoralis: Idem enim est gregem pascere, & Pastorem gregis agere: Atqui actus pastoralis non est tantùm præbere alimentum; sed etiam ducere, defendere, regere, ac etiam cogere: neque enim Pastores ouium tantùm præbent alimentum, sed etiam antecedunt, dirigunt, & baculo pastorali cogunt rectâ viâ incedere aberrantes.

65 Vnde verbum pascere vsitatissimè accipitur in Scripturis Sacris pro regere. Psal. 2. vbi nos habemus: Reges eos in virgâ ferreâ, secundum Hæbreæ vocis proprietatem sonat: Pasces eos in virga ferrea. Certum autem est, eos qui pascuntur in virgâ ferreâ, non tantùm ali, sed etiam guernari ab eo qui sic pascit. Et Psal. 77. *De post fœtantes accepit eum pascere Iacob seruum suum: & pauit eos in innocentia cordis sui* &c. vbi manifestè per Pascere, intelligitur Regere. Isaiæ c. 44. *Qui dico Cyro: Pastor meus es tu*; quo loco non ministerium alimentandi, sed amplissimum regnũ Cyro prædicitur, vt patet ex initio capitis sequentis. Idem manifestius importat Græcum vocabulum, quo vtitur hic Euangelista, quod propriè significat Pascere præsidendo & regendo. Et sic quoque veteres semper hunc locum intellexerunt; Aug. ad hæc verba: Oues ipsas (inquit) pascendas, id est, docendas, regendasque committit. Chrys. lib. 2. de Sacerdotio sæpius præfecturam vocat officium hic Petro commissum per verbum (*Pasce*) Similiter loquitur D. Greg. passim lib. De Cura pastorali.

66 Ex his patet, quid dicendum sit ad oppositas rationes. Negandum enim inprimis est, pascere esse tantummodò præbere alimentum, & non præesse aut regere: Contrarium enim iam satis ostensum. Ad alteram verò dicendum; In eo quod dicitur *Pasce*, importari quidem præceptum, vt faciat officium pastoris: sed eo præcepto simul institui Ecclesiasticum principatum, & eundem attribui illi cui præceptũ dabatur: quod etiam in humanis actionibus non est omnino insolitum: quod scilicet loquutione imperatiuâ simul quis pręficiatur rebus, & vt officium boni præfecti exequatur, simul mandetur: vt si Rex alicui dicat, Vade & guberna talem prouinciam: aut vade & duc exercitum meum in tali bello.

67 Tertiò negant hæretici; quando Christus dixit: *Pasce oues meas*, ibi per oues intelligi vniuersam Ecclesiam. Sed id iam supra ex Sanctorum Patrum testimonijs satis demonstratum est. Deinde accedit & ratio: quia cum indeterminatè Christus dicat: *Pasce oues meas*, nulla est ratio cur potius hæ quam istæ dicantur illo sermone committi curæ Petri: ergo omnes intelliguntur committi: quia alioquin commissio nullius esset effectus. Declaratur quia si quis moriens indefinitè diceret: Cõmendo tibi proles meas, haud dubiè censerentur omnes proles illi commendari: oues enim & proles ibi tam latè censentur extendi, quã pronomen, meæ: omnes autem fideles sunt oues Christi. Vnde indefinitæ illæ loquutiones iuxta communem apprehensionem æquiualent huiusmodi vniuersali: pasce oues meas omnes: commendo tibi proles meas omnes.

Sed contra Obijciunt primò: D. Paulus cap. 2. epistolæ ad Galatas, nullam agnoscit subiectionem ad Petrum, sicuti non ad Ioannem aut Iacobum: Ita enim scribit: *Quibus neque ad horam cessimus subiectione:* & infra: *Mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt:* & rursum; *Iacobus & Cephas & Ioannes qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis:* ac paulò suprà: *Quales aliquando fuerint, nihil mea interest.* 68

Respõdetur Neg. Assump. Ad ea autem verba quæ primo loco in confirmationem adducuntur, dicendum est, pronomen, *Quibus*, non referre Iacobum, Cepham, Ioannem: sed Pseudo-Apostolos: proximè enim præcedit: *Sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo* IESV, *vt nos in seruitutem redigerent:* & tunc sequitur: *Quibus neque ad horam cessimus.* 69

Quod ad ea attinet, quæ secundo loco alleganturr, sciendum est, propositum Pauli non fuisse declarare se non esse Petro subiectum aut inferiorem quoad gubernationem: neque enim illius rei vllam facit mentionem: sed tum capite 1. tum 2. id potissimùm agere, vt ostendat Euangelium suum quod ipse prædicabat, æquè verum ac diuinum esse, quã Euangeliũ quod Petrus aut Ioannes prędicabat, atque adeo se à Christo ęquè immediatè illud accepisse, quàm ipsi acceperint suũ: idque contra æmulos & falsos fratres, qui vt Pauli prædicationem diminuerent, iactabant Paulum esse tantùm discipulum hominum, qui ab hominibus doctrinam Euangelicam didicisset, & proinde eius prædicationem & Euangelium non tanti esse facienda, neque ita indubitata habenda, sicuti Euangelium & doctrina magnorum Apostolorum qui proximè à Christo erant edocti. 70

Hinc

Hinc Epistolam suam orditur hoc modo: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem; sed per* IESVM *Christum*: & infrà, *Notum vobis facio fratres Euangelium, quod euangelizatum est à me; quia non est secundum hominem (neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici) sed per reuelationem* IESV *Christi.* Quando itaque Paulus dicit: *Mihi enim qui videbantur aliquid esse, nihil contulerunt*, solum significat se nihil doctrinæ Euangelicæ à cæteris Apostolis accepisse: sed in omnibus immediatè à Christo fuisse instructum & edoctum.

71 Ad ea quæ tertio loco adducuntur, scil. *Dextras dederunt societatis*, dicendū est, inde hoc tantum effici, quòd admiserint & approbauerint Paulum & Barnabam tanquā veros Socios in officio prędicationis Euangelij: sed cum eo bene consistere, Petrum fuisse maiorem Paulo in officio gubernationis: quemadmodum etiam modò Pontifex dat dextras societatis ac confraternitatis omnibus Episcopis: vnde eos fratres compellat; & tamen non idcirco sunt pares in authoritate& potestate regiminis. Illud denique: *Quales aliquando fuerint, qui videbantur esse aliquid, nihil mea interest*, non dicit ad contemptum Petri, Iacobi, & Ioannis, vt hæretici videntur apprehendere: sed magis ad eorum commendationem: nam reddit rationem, cur cum illis contulerit Euangelium suum; tametsi enim aliquando fuissent imperiti & simplices piscatores, tamen iam Dei gratiâ erant sublimati, & à Spiritu Sancto edocti: atque adeo magni Apostoli & Columnæ quædam Ecclesiæ.

72 Imò ex totâ deductione satis colligitur, quod si alicuius prædicatio aut doctrina haberetur tum suspecta, aut in controuersiam reuocaretur, quòd ea cum Petro & eius Socijs esset conferenda, vt ab eo, vel probaretur, vel reprobaretur, & sic fidelibus fluctuantibus super tali doctrinâ fieret satis: dicit enim Paulus, se ascendisse Hierosolimam, vt conferret cum illis Euangelium, ne fortè in vacuum curreret, aut cucurrisset.

63 Obijciunt Secundò ex eodē cap. quod Apostolus ibidem significet diuisam fuisse communi cōsensu Iurisdictionem inter Petrum, & Paulum; ac Petro fuisse attributum populum Iudæorum; Paulo autem gentium: idque diuino nutu factum; *Sed è contra cùm vidissent* (inquit Paulus) *quod creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro Circumcisionis: qui enim operatus est Petro in Apostolatum Circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes* &c. *Dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt nos in gentes; ipsi autem in Circumcisionem* &c. ergo Petrus non fuit vniuersalis Apostolus & Pastor: neque eius cura ad nos se extendit, qui sumus ex gentibus.

Respondetur diuisionem illam de quâ ibi Paulus agit, non esse iurisdictionis; sed prouinciarum, seu populorum, ad commodiùs & citiùs longè lateque propagandum Euangelium ad diuersas nationes: quæ tamen diuisio ita est accipienda, quòd scilicet Petrus præcipuam operam collocaret pro illo adhuc tempore, sicut & prius fecerat, circa conuersionem Iudæorum: non autem quod idcirco potestate prædicandi gentibus esset priuatus, vel à prædicatione inter gentes prohiberetur. Econtra autem Paulus principaliter incumberet conuertendis gentibus ad fidem, non tamen ita vt ideo interdictum ei foret, etiam Iudæis per occasionem & oportunitatem Euangelium annuntiare. 74

Quod enim ista partitio hoc modo sit intelligenda, manifestum est ex Scripturis: nam & Petrus Act. cap. 10: prædicauit Cornelio & domui eius toti: & ibidem cœlesti visione ter admonitus didicerat etiam se ad gentes destinari, vt eis Euangelicam gratiam annuntiaret. Vnde & cap. 15. dicit Petrus: *Vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere*: sic tamen vt ab initio debuerit studere conuersioni Iudæorum, vti diximus: quem ordinem indicat Christus Act. c. 1. quando sic locutus est ad Apostolos. *Et eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæâ, & Samariâ vsque ad vltimum terræ.* Et propterea etiam diximus, quòd pro illo adhuc tempore principaliter Petrus incūberet prędicationi apud Iudæos: nam postquàm Romam venit, longè lateque etiam inter gentes Euangelium per se, & per alios disseminauit, vt cumulatè impleret quod audierat Act. cap. 10. *Occide & manduca*; vt notat Esthius circa prędicta D. Pauli verba. 75

Quod Paulus quoque non fuerit prohibitus prædicare Iudæis, patet ex cap. 9. Act. vbi Christus de illo dicit: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus & filijs Israel.* Vbi licet significetur quod primario destinetur ad conuersionem gentium, quę primo loco exprimūtur, tamen etiam indicatur quod possit, Imò quòd & portabit nomen Christi coram filijs Israël. Hinc etiam factum est, quod quocumque per gentes & nationes proficisceretur, intraret quoque & euangelizaret in Sinagogis Iudæorum, vbi ex reperiebantur, vt Act. c. 13. apud Salaminam, & Antiochiam Pisidiæ fecisse legitur, & cap. 14. apud Iconium, cap. 16. apud Thessalonicam & 1. ad Cor. 9. dicit: 76

Et fa-

Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer: Docet autem hæc ita se habere Hieron. ad hunc locum Pauli, vbi proposità quæstione, An non licuerit Petro gentilem trahere ad fidem, & Paulo Iudæũ? Respondet omnino licuisse, imò hoc fuisse vtriusque propositum, vt ex toto mundo Ecclesiam congregarẽt: sed tamen Petrum habuisse principale mandatum de Iudæis, saltem vt ab illis inciperet, sicuti hoc explicuimus: Paulum autem de gentibus.

77 Objiciunt Tertiò: Quòd ibidem scribat Paulus se restitisse Petro in faciem; ergo non erat illi subiectus, sed Maior aut saltem æqualis. Respondetur Neg. Consequentiam: & ratio est, quia aliquando licet etiam inferioribus monere & corripere superiores, quando res id postulat: modò seruetur debita reuerentia: suberat autem hic iusta causa vt Paulus loqueretur; quia ipse sic prædicauerat, & erudierat gentes, quod per fidem Christi Lex Moysis euacuata esset, & legalium obseruatio minimè necessaria ad iustitiam & salutem consequendam; quod Petrus etiam ab initio ibidem confirmarat suo exemplo, vtpote qui iam cum gentibus cœperat conuersari, & absque ciborum discrimine cum illis manducare: aduenientibus autem quibusdam ex circumcisione subtrahebat & segregabat se: & incipiebat Iudaicè agere, timens eos qui aduenerant: scilicet ne eos offenderet & scandalizaret. Quod Petri factum obseruabat Paulus cessurum in magnum scandalum gentium ad fidem cõuersarum, vtpote quæ accepturæ essent inde occasionẽ dubitandi de veritate prædicationis & doctrinæ Pauli, & de sinceritate Petri; ac consequenter abijciendi forsitan totam Christi fidem, quam susceperant. Quod verisimiliter incommodum non ita ex tempore aduerterat Petrus aut super eo se non reflexerat: vtpote qui maximè intentus erat curæ & saluti Iudæorum sibi peculiariter pro tunc demandatorum.

78 Hinc itaque potuit & quasi debuit monere Petrum ad obuiandũ scandalo quod natum erat in gentibus sequi ex isto Petri non satis considerato ibidẽ agendi modo. Quemadmodum, si Patriarcha aliquis, aut Metropolitanus in Diocœsi & districtu sui Suffraganei aliquid inconsideratè ageret, quod Episcopus aduerteret ibi pariturum magnam offensionem, & multa incommoda, liceret Episcopo cum debitâ reuerentiâ monere illum, quod non oporteat sic agere; idque eo magis, quod episcopus debeat gerere particularem curam harum ouium sibi commissarum.

79 Ista ergo Pauli oppositio, siue resistentia non infirmat primatum Petri; siue superiorem eius potestatem; sed commendat virtutem & humilitatem eius, vt pulchrè explicat D. Greg. hom. 18. in Ezechielem, ita de Petro scribens: Se etiam minori fratri ad consensum dedit, atque in eàdem re factus est sequens minoris sui, vt in hoc etiã præiret, quatenus qui primus in Apostolatus culmine, esset primus etiam in humilitate: atque ita impleuit illam Christi doctrinam: *Qui maior est vestrûm sit sicut minister:* & infrà: Ecce à Minore suo reprehenditur & reprehendi non dedignatur. Aug. quoque epist. 19. ad Hier. scribit: Rarius & sanctius exemplũ Petrus posteris præbuit, quo non dedignarentur à posterioribus corrigi; quàm Paulus, quo confidenter auderent minores maioribus pro defendẽdâ veritate, saluâ charitate, resistere. Vbi Aug. commendans Petri exemplum supponit omnino Paulum fuisse posteriorem & minorem Petro, licet Petrum monuerit, eique restiterit saluâ charitate pro defendendâ veritate.

Objiciunt Quartò: Apostoli miserunt Petrum in Samariam, vt habetur Act. cap. 8. non erat igitur ipse Caput, aut Superior illorum; sed potius Imperio illorum subijciebatur. Confirmatur quia Act. 11. reprehenditur etiam ab alijs qui ex circumcisione erant, quod ingressus esset ad gentes. 80

Respondetur Neg. Consequ. Nomen enim missionis non importat necessariò superioritatem in mittente, & subiectionem in misso: nam dicitur mittere, quicumque alteri est principium, vel author vt aliquò se conferat; siue id faciat præcepto, sicut dominus mittit seruum; siue consilio & suasione, quomodo etiã par parem, & minor maiorem mittit: Ita Matt. 2. cap. dicitur Herodes misisse magos in Bethlehem: & Iosue 22. Populus Iudæorum misit Phinees Sacerdotem ad filios Ruben & Gad: cum tamen summus Sacerdos iure diuino præesset omnibus filijs Israël. Miserunt ergo Apostoli Petrum, suadendo & consulendo propter negotij magnitudinem, vt ipse in Samariam iret, quæ dicebatur recepisse verbum Dei: sicuti Consiliarij dicuntur mittere regem ad bellum, vel ad hanc vel illam prouinciam, vbi iudicant eius præsentiam esse necessariam, aut multùm vtilem futuram. 81

Ad Confirmationẽ Respondetur, Multos quidem ex Iudæis etiã conuersis fuisse, qui existimarent gratiam Euangelicam nõ esse ad gentes extendendam, & tales aliquos ibi disceptasse cum Petro super eâ re: quæ disputatio aut disceptatio non aduersatur Superioritati Petri: nam etiam statim à Petro 82

Petro melius edocti tacuerunt: & acquieuerunt, vt eodem cap. dicitur.

83 PROBATVR Tertiò principaliter Primatus Petri ex illis Scripturis, quæ indicant diuersas prærogatiuas Petri præ alijs Apostolis; quarum vna significatur Marci 3. Lucæ 6. & Ioannis cap. 1. vbi Dominus mutat nomen eius, & dicit: *Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas:* mutatio enim nominis diuinitus facta semper indicat particularem excellentiam personæ, & occultiora includit mysteria, vt notat D. Chrysostomus in citatum locum Ioannis. Ita Genes. cap. 17. Abrahamum Patriarcham cum diceretur prius Abram voluit posteà appellari Abraham, id est, patrem multitudinis, vt huius nominis impositione significaret hominē illū qui iam senex erat, & vxorem anum & sterilem habebat, tamen sic prole fœcundandum, vt fieret pater plurimorum filiorum; imò multarum gentium & populorum. Duplex itaq; in hâc nominis mutatione, dum qui Simon vocabatur, appellatur Cephas seu Petra, potest considerari illius personæ præeminentia. Vna est, quod soli Petro ex omnibus Apostolis nomen mutatum sit: nam etsi Marci capite 3. Zebedæi filij nominati sint Boanerges, tamen fuit illud potius cognomen, quàm proprium nomen. Itaque nusquam postea ab Euangelistis vocantur Boanerges: sed tantum vocantur Iacobus & Ioannes, vt antea vocabantur. At Petrus deinceps ferè semper appellatur Petrus: Et Paulus ad Galatas secundo Petrum sæpe nominat, & nunquam aliter, quàm Petrum aut Cepham, quod idem est. Ioannem autem sæpe quidem nominat, sed Ioannem perpetuò, nunquam Boanerges. Altera est, quod nomen Cephas ei dederit: nam Syriacè Cephas significat Petram, vt nos supra docuimus, & Hieronymus testatur in cap. 2. epistolæ ad Galat: Græcè autem significat caput, vt lib. 2. contra Parmenianum annotauit Optatus. Petra autē, vnum est ex celeberrimis Christi nominibus: nihil enim frequentius in Scripturis Christus appellatur quam Petra. vide Isai. c. 8. & 28. Daniel 2. Psal. 117. Matth. 21. Rom. 9. 1. Corinth. 10. Ephes. 2. 1. Pet. 2. & alibi. Christus ergo cum solo Petro suum ipsius nomen communicans, & nomen illud quo ipse significatur, vt fundamentū & Caput Ecclesiæ vniuersæ, quid aliud indicare voluit, quam se facere Petrum fundamentum & Caput Ecclesiæ loco suo? Itaque rectè B. Leo epistola 89. ad Episcopos Viennensis Prouinciæ: Hunc, inquit, in consortium indiuiduæ vnitatis assumptū, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo; Tu es Petrus &c. Et sermone tertio de Anniuersario assumptionis suę ad Pontificatum, ita Christum loquentem ad Petrum introducit: Sicut meus Pater tibi manifestauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, id est, cum ego sum inuiolabilis Petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque Petra es, quia meâ virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.

Secunda prærogatiua habetur ex omnibus illis Scripturis, vbi Petrus cum cęteris Apostolis enumeratur, siue cum omnibus simul, siue cum aliquibus tantum: estque in eo ita, quod is perpetuò constituatur primo loco in ordine, & in enumeratione: quod sine dubio indicat & importat Petrum alijs Apostolis fuisse maiorem, & inter eos primum habitum: Mat. 10. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus, Simon, qui dicitur Petrus,* &c. Similiter cum omnibus enumeratur, & ponitur primo loco, Marci 3. Lucæ 6. & Actorum cap. 1. Item inter aliquos vbi non omnes enumerantur, ponitur primo loco Marci. 5. & Lucæ 8. *Non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum & Iacobum & Ioannem.* Lucæ 22. *Misit Petrum & Ioannem.* Marci 13. *Interrogabant eum Petrus, Iacobus, Ioannes & Andreas.* Similia habentur Matth. 17. & Ioannis vltimo. Quamuis autem ordo aliorum Apostolorum sæpius inter ipsos mutetur, semper tamen Petrus primo loco nominatur. 84

Vt verò hanc pręrogatiuā minuere possint hęretici & extenuare, ne inde argumentum pro principatu Petri sumatur, dicunt eum sic primo loco positum, vel quia primò fuerit ad Apostolatum vocatus, vel quia omnium esset senior, aut certè ita casu accidisse: debet enim quispiam ex omnibus primò enumerari. 85

Sed quod non propter primam illam causam, patet quia manifestum est ex c. 1. Ioannis, Andream prius vocatum & secutū fuisse Christum, quàm Petrum: *Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum. Inuenit hic primùm fratrem suum Simonem, & adduxit eum ad* IESVM. Similiter neque propter secundam, quia tradunt veteres Andream seniorem fuisse Petro: Diuus Epiphanius Hæresi quinquagesima prima: Occursus Andreæ (inquit) primus contigit, cum esset Petrus minor tempore ætatis. Ipsi quoque Magdeburgenses Centuria prima libro 1. capite 10. agnoscunt, 86

Andream verisimiliter Petro seniorem.

87 Quod denique id casu non sit factum, colligitur primò ex eo, quod perpetuò tam varijs locis enumeretur primus: quod si absque ratione ordo contexeretur, haud dubiè sicut alij non semper eodem inter se ordine cohærent, sic nec Petrus semper primo loco constitueretur. Deinde non tantum semper primo loco ponitur, sed etiam Matth. 10. expressè additur, quod primus esset Simon qui dicitur Petrus: quod apertè significat non casualiter eum primo loco enumerari, sed ratione alicuius dignitatis & excellentiæ præ cæteris. Tertiò, non tantùm primo loco ponitur, & primus fuisse dicitur: sed etiam sic de illo Scriptura loquitur, vt suo loquendi modo significet eum Ducem & Caput reliquorum: nam quemadmodum Apocalipsis 12. dicitur: *Diabolus & Angeli eius:* Item *Michaël & Angeli eius:* quo sermone indicatur Michaël Dux fuisse cæterorum Angelorum, de quibus fit mentio: Similiter & Diabolus fuisse Dux Angelorum sibi adhærentium qui cum eo ceciderunt: Ita quoque Marci 1. capite de Petro dicitur: *Et prosecutus est eum Simon, & qui cum eo erant:* Item Lucæ 8. *Dixit Petrus, & qui cum illo erant.* Act. 2. *Stans Petrus cum vndecim.* Act. 5 *Petrus & Apostoli dixerunt:* 1. ad Cor. 9. *Nunquid non habemus potestatem Sororem mulierculam circumducendi sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas:* non igitur casu ponitur Petrus primo loco; sed quia Dux & Caput erat cæterorum Apostolorum. Alioquin quare peculiariter ipse semper exprimitur, si tantùm cum cæteris fuerit par & æqualis Apostolus. Huc etiam accedit quod Petrus ferè semper nomine omnium loquatur: Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia:* Lucæ 12. *Ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes.* Ioannis 6. *Domine, ad quem ibimus, verba vitæ habes* &c. in quem locum ita scribit Cyrill. Per vnum qui præerat, omnes respondent.

88 Sed Contra hanc prærogatiuam potest opponi, quòd 2. cap. ad Gal. Iacobus numeretur ante Cepham, seu Petrum: *Cum cognouissent gratiam quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes* &c. ergo ex eo quod aliàs Petrus ponatur primo loco, non potest statui aliqua particularis eius prærogatiua. Respondetur Neg. Consequentiam. nam inprimis dubium est, an Paulus eo ordine tres illos Apostolos ibi enumerauerit; Amb. enim, Hieron. & August. circa istum locum, & in textu, & in commentario legunt hoc ordine: Petrus, Iacobus, & Ioannes &c. Similiter Chrys. in commentario: Petrus (inquit) Iacobus & Ioannes: vnde credibile est, sic à Paulo fuisse scriptum. Deinde esto, quod sic scripserit prout nos legimus, non tamen debet id, quod semel non habitâ ordinis ratione factum est, censeri derogare ordini tam constanter alibi semper in Scripturis obseruato. Ansel. autem, & D. Thomas existimant Iacobum hic fuisse antepositum; quia erat Episcopus Hierosolymis, vbi tunc Apostoli illi erant de quibus loquitur Paulus. Quod nihilominus habuerit Petrum maiorem alijs Apostolis, significat satis in eadem epistola cap. 1. *Deinde (inquit) post annos tres veni Hierosolimam videre Petrum:* non dicit videre Iacobum, etsi ille quoque Hierosolymis esset: & 1. ad Cor. 1. gradatim ascendendo, Petrum proximè sub Christo constituit: *Vnusquisque dicit, ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego Christi.*

Tertia prærogatiua Petri est, Quod in diuersis occasionibus voluerit Christus Petrum peculariter habere secum communicationem & consortium: sic Petrus solus vnà cum Domino ambulat super aquas Marci 14. de quà re sic scribit D. Bernard. lib. 2. de Consideratione: Instar Domini (inquit) gradiens super aquas vnicum se Christi Vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet: siquidem aquæ multæ, populi multi. Quò etiam refert idem Bernard. ibidem illud Petri factum Ioannis 21. vbi cæteris discipulis in nauiculâ ad Dominum qui in littore exspectabat, venientibus Petrus se misit in mare: de quo sic ille: Quid istud? nempe signum singularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quisque suam, sed sæculum susceperit gubernandum: mare enim sæculum est, naues, Ecclesiæ. Matth. 17. iubet Dominus tributum solui pro se & Petro: *Da eis (inquit) pro me & te:* ex quibus verbis cæteros Apostolos collegisse Petrum omnibus alijs præponi, scribunt Origines, Chrysostomus, Hieronymus in cap. 16. Matth. Et Auctor quæstionum veteris & noui testamenti apud August. quæst. 73. dicit Christũ soluisse duo didrachmata: vnum pro se, & alterum pro Petro; quia sicut in Christo, sic & in Petro omnes continebantur: ipsum enim constituit esse caput eorum (ait) vt Pastor esset gregis dominici. 89

Quartam Petri prærogatiuam indicat Lucas cap. 5. & Ioannes 21. vbi explicantur duo miracula edita in piscatione ex nauiculâ Petri; quorum primum iuxta Augustinum tractatu 122. in Ioannem, designat Ecclesiam militantem, & alterum Ecclesiam triumphantem: nam idcirco primum factum est ante resurrectionem Iesv Christi: Secundum post resurrectionem. 90

ctionem. Deinde in primo dixit Christus generaliter: *Laxate retia in capturam*, quia scilicet ad fidem vocantur boni & mali, electi & reprobi. In secundo dixit, vt mitterent retia in dextrã: quia soli electi colliguntur ad regnum. Sic etiã in primo absq; aliquo determinato numero expresso capiuntur pisces; & rumpitur rete: in secundo autem certus numerus piscium legitur comprehensus; & rete non fuisse ruptum commemoratur. Insignis itaque Petri prærogatiua est: quod ipse vtrobique semper principalis & quasi Dux reperiatur: nam Lucæ 5. cum vidisset Dominus plures nauiculas, intrauit in vnam quæ erat Simonis: & ex ea docebat, vt intelligeremus scilicet in eã tantum Ecclesiã Christum esse, & docere, cuius Gubernator est Petrus. Vnde Ambrosius serm. 11. Hanc (inquit) solam Ecclesiæ nauem ascendit Dominus, in quâ Petrus magister est constitutus. Ibidem, Soli Petro dicitur: *Duc in altum*: vbi tanquam supremus nauclerus iubetur ducere alios in altum mare, siue sæculum ad piscandum scilicet homines: quod mysticè Dominus significat, & Petro exponit, dicens illi: *Noli timere: ex hoc eris homines capiens*: & Ioannis 21. *Ascendit Simon Petrus & traxit rete in terram*: quibus figuris non aliud indicatur, quàm Petrum esse qui homines de mundo ad fidem & Ecclesiam militantem adducit, & qui eorum curam gerens ad triumphantem perducit.

91 Quinta prærogatiua desumitur ex capite 22. Lucæ, & 21. Ioannis: vbi priori loco Christus peculiariter pro Petro rogat, vt fides eius non deficiat, eidemque demandat, vt post lapsum quem ei prædicit, confirmet ipse fratres suos: quibus apertè significat ei curam cæterorum cõmittendam. Vnde Leo serm. 3. de Anniuersario Assumptionis suæ: Pro fide Petri (inquit) supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. Posteriori autem loco Christus peculiariter Petro prædixit mortem, & quidem conformem cum morte ipsius Christi: Ita vt sicut ei nomen suum Petræ donauerat, & officium suum imposuerat, ita & in mortis genere voluerit habere illum consortem.

92 Sexta & vltima à nobis hic recitanda prærogatiua habetur ex diuersis locis libri Actorum estque in eo sita, quod Petrus ostendatur in conuentibus Apostolorum semper se gerere ad modũ Patris familias, siue Rectoris & Capitis: sic 1. c. Ipse exsurgens in medio fratrum dixit: oportere vnũ ex viris istis testem resurrectionis eius nobiscum fieri, cap. 2. post acceptum Spiritum Sanctum, Petrus primò omnium loquitur & promulgat Euangelium Christi, & primâ illâ concione tria millia hominum conuertit. In quem locum ita scribit Diuus Chrysostomus: Petrus omnium erat os, sed adstabant illi vndecim testimonio suo comprobantes, quæ ab illo dicebantur. Act. 3. cap. Ipse facit primum miraculum in testimonium fidei, dicens Claudo: *Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine* IESV *Christi Nazareni, surge & ambula*. Act. 5. cap. tanquam supremus Iudex diuinitus agnouit & damnauit hypocrisim & fraudem Ananiæ & Saphyræ. Act. 9. de illo dicitur: *Factum est, cum Petrus transiret per omnes* &c. Scilicet quemadmodum Dux in exercitu obambulans considerabat (vt ibidem docet Diuus Chrysostomus) quæ pars sit coadunata, quæ suo aduentu egeat; vide illum (inquit) vbique circumcursare, & primum inueniri. Act. 10. Petrus omnium primus incipit prædicare gentilibus, sicut ipse omnium primus prædicauerat Iudæis: ac illi soli fit visio, quâ significabatur tempus gentibus prædicandi Euangelium aduenisse.

Posset tamen quis contra opponere, quod Act. cap. 8. legatur Philip. instruxisse & conuertisse Æthiopem Eunuchũ, & cap. 9. Legatur Paulus loquutus & disputasse cum Græcis: vnde apparet quòd Petrus non fuerit primus qui gentibus prædicauerit Christum.

Respondetur Negando Consequentiã: Quia quod ad Eunuchum illum attinet, 93
quamuis natione esset gentilis, tamen professione & religione erat iam ante Iudæus & proselitus. Quod patet, quia venerat is adorare in Hierusalem, vt ibidem dicitur: & legebat Isaiam Prophetam; quare ille cum Iudæis venit numerandus. Vnde Act. cap. 11. adhuc expressè dicitur, eos qui dispersi fuerant à tribulatione quæ facta erat sub Stephano, perambulasse varias regiones euangelizando, nemini autem loquentes verbum nisi solis Iudæis. Quod itaque allegatur etiam de Paulo, quòd egerit cum Græcis, ad hoc dicendum est, ibi per Græcos intelligi Iudæos, qui in Græcia fuerant nati, & Græcè loquebantur, & inde Hierosolymam redierant, vt indicant ibidem Chrysostomus & Oecumenius: aut si quis existimet de Græcis gentilibus sermonem esse, dicendum erit: quòd Paulus non ex professo eis Euangelium prædicauerit, sed loquutus sit & disputauerit cum illis respondendo duntaxat eorum calumnijs, quas contra fidem iactabant, & quibus Iudæos magis à fide auertebant: atque ita illa disputatio

principaliter tendebat ad conuerſionem Iudæorum.

94 Act. 15. Petrus in Concilio primus loquitur & ſententiam eius Iacobus, & omnes alij ſequuntur vt docet Hieronymus in epiſtola ad Auguſtinum, quæ eſt 11. inter epiſtolas Auguſt. Huc etiam accedit, quod Actor. cap. 12. oratio fiat ſine intermiſſione ab Eccleſiâ pro Petro: quod neque pro Stephano antea lapidato, neque pro Iacobo prius in carcere etiam conſtituto & occiſo, legitur factum fuiſſe: ſed peculiariter pro Petro; quia corpus magis pro capite, quam pro cæteris membris ſolet eſſe ſollicitum.

95 Plures alias Petri prærogatiuas eſt colligere, tum ex Scripturis, tum ex Sanctorum libris, quas videre licet latiùs explicatas apud Bellarminum de Romano Pontifice lib. 1. cap. 23. quibus comprobandis adiungi poſſint plurima adhuc veterum teſtimonia: ſed ſatis multa ex occaſione circa Scripturarum allegatarum ſenſum & intellectum explicandum, adducta fuerunt. Ex quibus omnibus clarè conſtat, Petrum fuiſſe à Chriſto Domino ſupra reliquos Apoſtolos conſtitutum Prępoſitum, ac totius Eccleſiæ vniuerſalem Rectorem & Principem.

96 Verùm præter obiectiones aduerſariorum ſupra ex occaſione propoſitas & diſſolutas, reſtat adhuc vna atque altera proponenda: ac inprimis

Opponit Lutherus lib. de Poteſtate Papæ: Quòd Iacobus fuerit Petro maior, quod probat: quia Chriſtus fuit Epiſcopus Hieroſolymæ, non Romæ, ergo Iacobus qui poſt Chriſti paſſionem, Epiſcopatum Hieroſolymæ ſortitus eſt, Chriſto debet dici ſuccedere, aut dici eius eſſe generalis Vicarius, non Petrus. Deinde Hieruſalem eſt mater omnium Eccleſiarum: quia Iſaiæ cap. 2. dicitur: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem:* ergò &c. Quibus addi poteſt, quod Clemens apud Euſebium lib. 2. Hiſtor. cap. 1. legatur ita ſcripſiſſe: Petrus, Iacobus, & Ioannes poſt aſſumptionem Saluatoris, quamuis ab ipſo omnibus pænè fuerint prælati, tamen non ſibi vendicabant Primatus gloriam; ſed Iacobum qui dicebatur Iuſtus, Apoſtolorum Epiſcopum ſtatuunt: Item quod habet D. Chryſoſtomus hom. 3. in Acta: Vide Iacobi modeſtiam (inquit) acceperat Hieroſolymis Epiſcopi munus, & tamen hic nihil loquitur: conſidera autem & aliorum diſcipulorum ſingularem modeſtiam, quo pacto concedunt ei ſolium, nec amplius ambigunt diſceptantes inter ſe.

97 Reſpondetur Negando Aſſumptum: Et ad primam probationem dicitur, quod Chriſtus non fuerit Epiſcopus alicuius particularis vrbis, ſed fuerit Pontifex, non ſolius Hieroſolymæ, neque particularis Epiſcopus illius; ſed totius Eccleſiæ: neque quempiam illi ſuccedere, cum ſemper viuat & perſeueret Pontifex in æternum: Verùm quia viſibiliter cum Eccleſiâ non conuerſatur, propterea conſtituiſſe Vicarium generalem in terris: quem diximus fuiſſe Petrum, ad explenda ſcilicet ea quę neceſſaria ſunt ad temporale & viſibile Eccleſiæ regimen, eiuſque ſtatum: cui tamen ipſe inuiſibiliter pręſidet tanquam Caput ſupremum & principale. Neque ſequitur quòd Hieroſolymorum Epiſcopo debuerit hic generalis Vicariatus deferri: nam hoc inprimis ex liberâ Chriſti diſpoſitione dependebat. Deinde videbatur id ipſum minus conuenire, quia ſicut per Chriſti aduentum mutabantur Lex & Sacerdotium; ſic quoque conueniebat, vt locus Summi Sacerdotis transferretur.

Ad Secundam probationem Reſpondetur, Hieroſolymorum quidem Eccleſiam poſſe certis rationibus & reſpectibus dici matrem omnium Eccleſiarum: inprimis quia Euangelica prædicatio Hieroſolymis ſuam cæpit originem, ibidemque Chriſtus ipſe, Petrus, & cæteri Apoſtoli primum annuntiarunt Euangelium: idque eſt quod prædicitur apud Iſaiam loco & verbis allegatis. Secundò etiam mater dici poteſt, quia myſteria redemptionis noſtræ eo loco perfecta & conſummata ſunt. Non tamen eſt mater omnium Eccleſiarum ſuperioritate, & iuriſdictione; ſed eo modo & iure mater eſt illa Eccleſia, cuius Epiſcopatui adiunctus eſt Pontificatus Supremus ex liberâ Chriſti voluntate primitus collatus Petro: & ideò Veteres omnes Cathedram Petri tanquam Eccleſiarum omnium matricem, & magiſtram ſemper recognouerunt. 98

Ad ea autem, quæ tanquam Clementis allegantur ex Euſebio, reſpondetur locum illum Euſebij corruptè citari: quamuis enim ſic legatur in Codice Baſilienſi verſionis Rufini, tamen in Codice Colonienſi ab homine Catholico verſo, & edito, non habetur nomen Primatus; & pro illis verbis (Apoſtolorum Epiſcopum) habetur, Hieroſolymorum Epiſcopum: quæ Lectio cohæret cum Nicephoro ita hunc locum allegante, & cum ſententiâ ipſius Euſebij, qui in eodem libro 2. capite 14. ſcribit Petrum fuiſſe Apoſtolorum maximum, & primorum Principē: atq; ita iuxta hanc lectionē idem erit ſenſus Clementis, qui & Chryſ. ſcilicet quod Apoſtoli etiam præci- 99

præcipui non quæsierint propriam gloriam, & ideo non sibi assumpserint Episcopatum Hierosolimitanum, qui pro eo tempore erat omnium æstimatus nobilissimus ob rationes isti loco singulares, & iam à nobis explicatas: sed Iacobo minori eum detulerunt, eiusdemque Ecclesiæ Solium seu Cathedram illi concesserunt: & propterea commendat Chrysostomus Apostolorum modestiam, qnod iam non amplius ambitiosè contenderint pro primo loco, vel pro primis dignitatibus: sicuti ante passionem Christi. Verùm hæc non derogant Primatui Petri, qui ex iustis rationibus, non Hierosolymis, licet multis alioquin titulis iam nobilitatis præ cæteris locis; sed alibi Sedem suam locauit.

100 Quodq; D. Chrysostomus Petrum prętulerit Iacobo, patet euidenter ex homilia vltima in Ioannem, ad illa verba Christi, *Sequere me*: quibus verbis (inquit) iterum curam, & familiarem in eum affectum ostendit. Quod si quis percunctaretur, quomodo Iacobus Sedem Hierosolymis accepit? Responderem, inquit, hunc Petrũ totius orbis magistrũ constituisse. Vbi fatetur Chrysost. Iacobum à Petro tanquam totius orbis magistro in Sede Hierosolymitanâ constitutum.

101 Obijciunt Secundò: Quòd Paulus solet per Anthonomasiam vocari Apostolus: videtur ergo ipse potius dicendus Primas ac Princeps Apostolorum, quàm Petrus. Et confirmari potest, quia in antiquis sigillis, quibus diplomata Summi Pontificis aliquando obsignata fuerunt, reperiuntur Imagines Petri & Pauli: sed huius à dextris, illius autem à sinistris: ergo &c.

102 Respondetur Negando Consequẽtiam; Ex alijs namq; rationibus Paulum per Anthonomasiam nomine Apostoli designari, docet D. Augustinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. breuiter his verbis: Apostolus cum dicitur, si non exprimatur quis Apostolus, non intelligitur nisi Paulus: & rationem addit: Quia pluribus est epistolis notior; & plus omnibus alijs laborauit: Ipse enim fidem Christi plantauit ab Hierusalem vsque ad IlIiricum, prout indicat ad Rom. cap. 15. nec ibi tantùm, sed etiam à mari rubro vsque ad oceanum prædicauit Euangelium, vt testatur Hieronymus in cap. 5. Amos ad illa Prophetæ verba: *Qui vocat aquas maris & effundit eas super faciem terræ.* Propterea ergo, quia sic excelluit in scribendi munere, & Apostolicis laboribus, hinc ita singulariter nomine Apostoli intelligitur compellari; non quod potestatem aut superioritatem in alios habuerit. Vnde etiam fit, quod sicuti Petrus dicitur Princeps Apostolorum, quia institutus est caput & pastor ouium, ita etiam Paulus Princeps appellari possit, sed alia de causa: quia scilicet excellentissimè munus Apostolicum expleuit.

Ad Confirmationem Respondetur, non hoc esse perpetuum in antiquis Imaginibus, quod Paulus sit à dextris: nam in ijs quæ nunc Romæ exstant, vt in quibusdam tenet Paulus dextram, ita non in paucioribus alijs cernitur ad sinistram, vt habet Bellarminus libro supra citato cap. 27. quod consultò Veteres potuerunt fecisse ad significandum, quòd ipsi noluerint inter eos quoad vitæ præstantiam, & merita in Ecclesiam dijudicare: quamuis enim in authoritate Petrus excelluerit, tamen in laboribus & doctrinâ videtur excelluisse Paulus. In honoribus autem qui post mortem deferuntur Sanctis, non tam attenditur dignitas potestatis Ecclesiasticæ quâ præfulserunt, quàm Sanctimonia & labores ac merita. Hinc in Litanijs præponitur Laurentius Sixto, sicuti & in celebritate officij, licet hic fuerit Pontifex, ille autem tantùm Diaconus. Accedit non esse quoq; vniuersale & perpetuum, quòd locus dexter semper, & vbique fuerit habitus, & habeatur honoratior, vt ex alijs notat etiam Bellarminus. Denique non incongruam eius rei rationem reddit Petrus Damianus: cur Paulus fuerit sic locatus à dextris: puta scilicet, quia Beniamin à Patre dictus fuit filius dextræ: In Beniamin autem typicè expressus fuit Paulus, vt docet Augustinus serm. 14. de Sanctis, vbi ratione Pauli qui fuit de tribu Beniamin, docet in benedictionibus Iacob Genes. cap. 49. prædictum fuisse: *Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vesperę diuidet spolia*, quod ipse ibidem D. Paulo accommodat. 103

DVBIVM II.

Vtrùm Petrus habeat successorem aliquem in Primatu Ecclesiæ ex Christi institutione, & quisnam ille sit?

NEgant hæretici, non tantùm Petri Primatum, sed contendunt quòd etiam illo posito, nihilominus consequens non sit, de post in illâ dignitate & potestate vniuersali supra totam Ecclesiam, quempiam illi succedere: quandoquidem neque in Apostolatu, neque in donis miraculorum, neque in alijs multis habeat aliquem successorem. Quod enim vni particulariter est concessum, non debet mox ad alios extendi. Sed contra eos sit 104

105 CONCLVSIO Prima: Primatus, siue vniuersalis & suprema Pontificia potestas, quam Petrus habuit in totam Ecclesiam non fuit temporanea, vt cum vitâ Petri finiretur: sed sic fuit data & instituta, vt perpetuò quamdiu Ecclesia hic militabit, ipse perseueret, & semper aliquis in illo primatu siue summo Pontificatu succedat, qui toti ouili Christi, & omnibus reliquis Pastoribus ex officio præsit & imperet. Est fidei, vt patet ex Concilio Constantiensi: vbi inter alios articulos Ioannis Hus damnatur iste, qui est 27. Non est scintilla apparentiæ, quod oporteat esse vnum Caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsâ militante Ecclesia conuersetur & conseruetur. Probatur autem Primò: Quia quæ fuit ratio instituendi ab initio hunc principatum, & conferendi illum Petro, eadem subsistit & durat toto decursu Ecclesiæ militantis; ergo semper erit aliquis Petro in illâ præfecturâ substituendus. Confirmatur: Quia non instituit Christus, neque Petro contulit istam potestatem, vt tantùm eleuaret & honoraret Petrum præ reliquis; vtque ipse pro suo tempore dominaretur in Clero: sed vt Ecclesię suę & fidelibus omnibus quàm optimè prouideret.

106 Et propterea dicit August. in Psal. 108. Illam Christi promissionem, *Tibi dabo claues Regni Cælorum* &c. non habere illustrem intellectum, nisi cùm refertur ad Ecclesiam, id est, nisi quando intelligitur non ad personale priuilegium & honorem Petri tantummodo pertinere, sed intelligitur spectare ad perpetuum Ecclesiæ regimen, eiusque vtilitatem & fructum, sicuti suprà latius hoc explicuimus. Neque enim post mortem Petri minùs indiget Ecclesia eiusmodi Christi vicario & generali Pastore in terris, quàm in vita eius: Imo ampliùs, tum propter maiorem fidelium multitudinem, quæ propter ingeniorum diuersitatem, difficilius in vno sensu fidei continetur, tum quia fideles modò non tam sunt perfecti & feruentes in fide, ac in fidei legibus obseruandis, quàm erant primi Christiani: tum denique, quia Apostoli reliqui non æque indigebant instructione & directione Petri, ac modò indigent Episcopi, vtpote multò imperfectiores, qui tamen Apostolis quoad munus Episcopale succedunt.

107 Probatur Secundò: Quia Matth. 16. vbi promittitur Petro primatus Ecclesiæ, ibi sub nomine fundamenti metaphoricè exprimitur ille Primatus: atqui fundamentum super quo struitur ædificium, debet esse paris durationis cum ipso ædificio; ergo Primatus ille debet esse tam perpetuus, quàm Ecclesia quæ desuper ædificatur. Deinde ibidem addit Christus: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*; debet ergo fundamentum illud cui tam solidè innititur Ecclesia semper permanere, quamdiu à portis inferi illa oppugnatur. Hinc Leo serm. 2. de Anniuersario suæ Assumptionis: Sicut permanet (inquit) id quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit: Item, Manet dispositio veritatis, & Beatus Petrus in acceptâ fortitudine Petræ perseuerans, susceptâ Ecclesiæ gubernacula non reliquit: quia scilicet eius dignitas etiam in indigno hærede non deficit, vt infrà loquitur idem Leo.

Probatur Tertiò: Quia Ioannis 21. vbi Petro cura agnorum, ouicularum, & ouiũ committitur, ibi instituitur vniuersalis Pastor ouilis Christi, non debet autem officium Pastoris cessare, quamdiu ouile & oues subsistunt.

CONCLVSIO Secunda: Petri successor in primatu & generali regimine totius Ecclesiæ est Romanus Pontifex. Est etiam certa de fide. Et Probatur primò ex Conciliis: ac inprimis ex Concilio Nicęno quod fuit primum generale, cuius Sextus Canon sic habet, prout refertur in Concilio Calcedonensi Actione 16. Ecclesia Romana semper habuit primatum: mos autem antiquus perduret in Ægypto, Lybiâ & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omniũ habeat potestatem; quoniam & Episcopo Romano ea est consuetudo. Dixi, vt refertur in Concilio Calced. quia in Tomis Conciliorum, vbi Concilium Nicænum per se exstat, non habetur illud initium huius Canonis, Ecclesia Romana semper habuit primatum. Sed hoc non ita mirandum est, quia acta illius Concilij admodum mutilatè habentur, eò quòd Arriani passim exemplaria exusserint, mutilarint, & corruperint præsertim in Ecclesijs Gręcanicis, vt constat ex Athanasio epistola ad omnes Orthodoxos; sic vt ipse, licet Concilium Nicęæ in Græciâ esset celebratum, putauerit tamen eius acta seu Canones ex vrbe Romanâ petendos. 108

Deinde vt absit illud initium, potest tamen colligi primatus Romani Pontificis ex vltimis illis verbis: Quoniam quidem & Romano Episcopo ea est consuetudo, scilicet quod ipse permittat & concedat Episcopo Alexandrino præesse omnibus Episcopis & Ecclesijs istorum locorum, vti intellexerunt hunc Canonem Nicolaus primus in epistola ad Michaëlem Imperatorem, Leo primus ad Marcianum Augustum, & alij quos citant Turrianus & Bellar. Huc accedit, quod ista Synodus de- 109

creta

greta sua petierit à Siluestro Papa Romano confirmari, & ab eodem fuerint confirmata, vt refert Turrianus lib. 3. pro Epistolis Pontificum c. 8. & alium addit Canonem eiusdē Concilij ex codice Arabico, qui sic habet: Qui Sedem Romæ tenet, superior est, & Princeps omnium Patriarcharum: siquidem ipse est primus, vt Petrus cui datus est principatus, &c. Et sine dubio temporibus illis, quando erant tot Græci Episcopi Arriani studentes ad abolitionem Synodi Nicænæ, potuerunt faciliùs acta illius Concilij conseruari in sua integritate in linguâ aliquâ peregrinâ, quàm in Græca: vnde Canones illi ex alijs Codicibus quam Græcis collecti etiam suam merentur fidem.

110 Similiter Concilium Secundum generale Constantinopoli celebratum in epistola ad Damasum, quæ habetur apud Theodoretum lib. 5. Historiarum cap. 9. scribit, se conuenisse Constantinopol in ipsius Damasi iussu; & ibidem Patres fatentur Romanam Ecclesiam Caput esse; se autem membra. Estque illud Concilium etiam à Damaso Pontifice Romano confirmatum, vt refert Phocius Patriarcha de septem Concilijs Oecumenicis. Tertium Concilium generale Ephesi habitum, dicit se deponere Nestoreum ex mandato literarum Cælestini Papæ Romani, vt est apud Euagrium lib. 1. Historiarum cap. 4. & in epistola ad eundem Cælestinū scribit, se causam Ioannis Patriarchæ Antiocheni, quæ magis dubia erat, quàm Nestorei, non fuisse ausum iudicare: sed reseruasse iudicio ipsius Cælestini: cuius etiam Vicarius, scilicet Cyrillus, & alij submissi tres Legati Arcadius, Proiectus, & Philippus Præsbiter primatum Apostolicæ Sedis sacro approbante Concilio, & verbis & factis professi sunt.

111 Quartum Concilium generale, quod est Calcedonense Actione 1. 2. 3. passim vocat Leonem Ecclesiæ vniuersalis Pontificem, & in epistola ad eundem sic scribit: Et post hæc omnia, insuper & cōtra ipsum cui vineæ custodia à Saluatore commissa est, extendit, (Eutiches) insaniam, id est, inquit Concilium, contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem; quibus apertè Synodus fatetur Romano Pontifici custodiam vineæ Christi, quæ est Ecclesia tota, à Saluatore commendatam & commissam esse. In Conc Constantinop. 2. Actione 4. sic legitur: Apostolicam sedē sequimur & obedimus, & ipsius communicatores, communicatores habemus, & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus. Si autem totum Conc. sequatur & obediat Apostolicę Sedi, ergo eam agnoscit Ducem & Superiorem.

Concilium Nicænum secundum Actione secunda recipit & approbat epistolam Adriani Papæ ad Tharasium, in qua inter cætera habentur hæc verba: Cuius fides per totum terrarum orbem prim. tum obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Dei caput existit &c. Similia habentur cap. 5. in Concilio Lateranensi celebrato sub Innocentio III. Romana Ecclesia disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpote mater vniuersorum Christi fidelium, & magistra. Conc. Lugdunense sub Gregorio X. & habetur in 6. decretalium, de Electione, Capitulo Vbi periculum; vocat Pontificem Vicarium Iesv Christi, Successorem Petri, Rectorem vniuersalis Ecclesiæ, gregis Dominici Directorem. Denique Concilium Flor. sub Eugenio IV. Ita habet: Definimus Sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in vniuersum orbē tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorē existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesv Christo plenam potestatem traditam esse. Atque ita habemus hic nouem Concilia, quibus Græci & Latini interfuerunt, quæ simul attestantur, & approbarunt hanc catholicā doctrinam. 112

Præter ista autem, sunt & alia Concilia generalia, sed quibus non interfuerunt Græci, vt Constantiense in quo Sess. 8. damnatur iste articulus Ioannis Wiclef. Nō est de necessitate salutis credere Romanā Ecclesiam esse supremā inter omnes alias Ecclesias. Conc. Lugdunense 1. sub Innocentio IV. & habetur in 6. De homicidio, capitulo 1. vbi ponit hæc tria: Primum, quod Dominus ascensurus in cœlum post resurrectionem, ne Ecclesiam suam sine Pastore relinqueret, ipsius curam Beato Petro Apostolo commiserit, vt sua stabilitate fidei, cæteros in Christianâ religione firmaret. Alterum quod Pontifex Rom. sit eiusdem Apostoli successor. Tertium, quod ipse teneat locum Redemptoris in terris. Idem indicat diuersis locis Conc. Trid. vt Sess. 6. cap. 1. De reformatione: & Sess. 14. cap. 7. vbi sic ait: Vnde merito Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in vniuersa Ecclesia tradita, causas aliquas grauiores suo potuerunt peculiari iudicio reseruare. 113

Probatur Secundò ex Summis Pontificibus, qui in epistolis suis decretalium eandem veritatem, & supponunt, & atte- 114

ftantur? De quibus, quia diuersimodè de diuersis sentiunt hæretici, rectè eos distribuit Bell. lib. 2. cap. 14. de Pontifice in tres classes: quarum prima contineat Pontifices, qui sederunt, & huiusmodi litteras ediderunt primis trecentis annis: inter quos primus est Clemens, qui epistolâ sua prima Primatum huius Sedis Romanæ agnoscit, & docet. Idem facit Anacletus epistola 3. Euaristus epistola prima. Alexander epistola 1. Pius epistolâ 2. Anacetus epistola 1. Victor epistola 1. Sepherinus epistola 1. Calixtus epistola 2. & Melchiades epistola 1.

115 Quoad hos fatentur hæretici in epistolis allegatis astrui Primatum Romani Pōtificis, ac etiam illos fuisse veros & Sanctos Pontifices Romanos. Vnde ad hæc tantum respondent litteras illas esse recenter confictas, & falsò illis Pontificibus ascriptas. Sed contrà facit, quod eas esse antiquissimas constet ex antiquis auctoribus, qui harum faciunt mentionem: nam meminit earum Isidorus in Proœmio sui Collectanei Sacrorum Canonum. Item Conc. Vasense citat epistolas Clementis, sicut nunc exstant, quod fuit celebratum tempore Leonis 1. & sic trecentis quinquaginta annis ante Carolum magnum: ante cuius tempora volunt Magdeburgenses, à nullo auctore alicuius momenti eas litteras fuisse allegatas. Item Rufinus, qui quadringentis annis præcessit, in præfatione in Recognitiones Clementis à se conuersas ex Græco, meminit epistolæ Clementis ad Iacobum. Quare etiā eo admisso, quod aliqui errores aut mendæ irrepserint in dictas epistolas Pontificū (quod non omnino vult negare Bell.) nihilominus tamen in eo puncto, in quo omnes sic conueniunt, fidem suam merentur: nec possunt cum ratione aliquā haberi suspectæ, quasi illud in omnibus sit confictum & supposititiè adiectum. Vide Turrianum in Opere suo pro his epistolis: vbi eas rectè defendit.

116 Secunda classis continet eos Pontifices, qui floruerunt ab anno trecentesimo vsque ad 600. & similiter expresserunt Romanæ sedis præeminentiam & authoritatem in omnes alias Ecclesias; vt Iulius 1. in epistola ad Orientales, quę exstat in Apologiā secundā Athanasij: Damasus in epistola ad omnes Episcopos Orientales, quam Theodoretus recitat lib. 5. Historiarum, cap. 10. Item epistola 4. ad Episcopos Numidiæ; Cuncta (inquit) quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos tanquam Caput, vt semper fuit consuetudo, deferre nō desinatis. Syricius in epistola ad Hymericum Episcopum Tarraconensem. Zosymus in epistola ad Hesichium Solonitanum Episcopum: Sciet (inquit) si quis hoc postposita Patrum & Apostolicæ Sedis authoritate neglexerit, à nobis districtius vindicandum. Innocentius in epistola 22. ad Episcopos Macedoniæ: Aduerti, inquit, Sedi Apostolicæ ad quam, relatio quasi ad Caput Ecclesiarum missa currebat, fieri iniuriam &c. & in epistola ad Concilium Cartaginense quæ est 91. inter epistolas Augustini, dicit Romanam sedem esse fontem & Caput omnium Ecclesiarum. Leo idem docet pluribus locis, & ex ipso constat Romanum Pontificem, non tantum in Occidentales; sed etiam in Græciam, Asiā, Ægyptum, & Africam exercuisse Iurisdictionem: vt videre est ex epistola 84. ad Anastasium Episcopum Tessalonicensem: ex epistola 46. ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum, & ex epistola 81. ad Dioscorum Patriarcham Alexandrinū. Quod à Patribus nostris, inquit, propensiore curà nouimus esse seruatum, à vobis quoque volumus custodiri. Vbi Leo imperat Patriarchæ totius Ægypti & Lybiæ. Vide eundem in epistola 87. ad Episcopos Africæ: Denique serm. 1. de Natali Apostolorum, his verbis Romam alloquitur: Per Sacram Beati Petri Sedem, Caput orbis effecta latius pręsides religione diuinâ, quàm Dominatione terrenâ: quamuis multis aucta victorijs ius Imperij tui terrâ mariq; protuleris, minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit. Idem docet Gelasius in epistola ad Episcopos Dardaniæ; & in epistola ad Anastasium Imperatorem; fueruntque omnes hi Pontifices Sancti. Item Ioannes Secundus in epistola ad Iustinianum Seniorem Augustum, quæ habetur in Codice: Tit. primo, scribit, quod & Patrum regulæ, & Principum Statuta declarent Sedem Romanam esse verè omnium Ecclesiarum Caput. Gelasius Secundus epistola 1. ad Episcopos Orientis: Romana Sedes (inquit) instituente Domino Caput est omnium Ecclesiarum. Denique Greg. Mag. lib. 4. epist. 56. Pallium (inquit) Ioanni fratri nostro Corinthiorum Episcopo nos transmisisse cognoscite: cui vos magnopere conuenit obedire: vbi elucet Gregorij authoritas in Episcopos Græcos, qui pallij transmissione Corinthiorum Episcopum creat Archiepiscopum: & monet cæteros illius Prouinciæ Episcopos, quod habeant illi obedire: & lib. 7. epistola 63. ad Ioannem Episcopum Syracusanum: Nam de Constantinopolitanâ Ecclesiâ (inquit) quis eam dubitet Apostolicæ Sedi esse subiectam: quod & Dominus Pijssimus Imperator, & frater noster

Eusebius

Eusebius eiusdem Ciuitatis Episcopus assiduè profitentur: & lib. 11. epistola 42. ad Ioannem Panormitanum Episcopum: Illud admonemus, vt Apostolicæ Sedis reuerentia, nullâ præsumptione turbetur: tunc enim status membrorum integer manet, si Caput fidei nulla pulset iniuria.

117 Ad horum autem Pontificum testimonia quod attinet, neque audent hæretici negare ea esse ipsorum scripta, neque illos fuisse veros Pontifices: Sed fere dupliciter ad ea respondent: Primò arguunt, quosdam nimiæ ambitionis & cupiditatis dominandi in alios: & notanter D. Leonem sic insimulat Caluin. lib. 4. Institut. cap. 7. Verùm fuerunt isti semper ab Ecclesiâ habiti viri boni, & pene omnes Sancti: Neque D. Leo ante Lutherum & Caluinum fuit ab alijs superbiæ, aut ambitionis notatus: Sed è contra in diuersis Literis Conciliorũ & Imperatorum ad ipsum Leonem, ac præsertim in epistolis Episcoporum Galliæ valde pietas eius & authoritas commendantur. Secundò respondent, licet Pontifices Romani sese interposuerint causis & difficultatibus aliorum Episcoporum, quod tamen non ex authoritate & potestate id egerint, sed tantum studuerint componendis dissidijs & pacificandis, quantum lex & ratio Ecclesiasticæ communicationis patiebantur.

118 Verùm duæ istæ responsiones parum cohęrent, si enim ita sit, quod tantùm fraternè & quantum permittit ratio Ecclesiasticæ communicationis sese negotijs aliorum componendis immiscuerint, certè non debent idcirco argui ambitionis, aut cupiditatis dominandi, cum illud sit præstare officium charitatis. Sed frustra id cõfingunt hæretici: quandoquidem modus scribendi, & verba Pontificum prædictorum nimis manifestè declarant, quod non tantum fraternè moneant & hortentur cęteros quoscumque Episcopos, Archiepiscopos, aut Patriarchas, sed quod cum illis agant ex authoritate, tanquam veri ipsorum superiores qui habeant potestatem iudicandi & puniendi.

119 Tertia classis complectitur Pontifices eos, qui suis epistolis eundem Primatum Sedis Apostolicæ attestantur, & sederunt ab anno 600. vsque ad nostra tempora, qui plurimi etiam sunt. Quod ad hos attinet, admittunt facile hæretici eos sic docuisse; sed dicunt non esse fide dignos, & fuisse Pseudo-Pontifices, non veros. Sed responsio ista non nisi manifestam continet calumniam, & Christi Ecclesiam iam à mille annis defecisse & exstinctam arguit: neque enim poterunt remonstrare, vllibi locorum fuisse aliquam Christiani populi congregationem habitam tanquam veram Christi Ecclesiam, quæ Sedi Romanę non communicauerit: & proinde, si ab eo tempore Romanus Pontifex fuerit Pseudo-Pontifex, & Romana Ecclesia à veritate fidei & Euangelij aberrauerit, consequens est, quòd toto illo tempore nusquam vera Christi Ecclesia extiterit.

Probatur Tertiò: Ex alijs antiquis Patribus, tum Græcis, tum Latinis: Irenęus 120
lib. 3. cap. 3. Ad hanc enim Ecclesiam (loquitur de Romanâ) propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam: hoc est, eos (inquit) qui sunt vndique fideles; in quâ semper ab his qui sunt vndique, conseruata est ea quæ ab Apostolis est traditio. Vbi Irenęus docet, nos posse confundere omnes hæreticos ex doctrinâ Romanæ Ecclesiæ: quia in eâ semper conseruata est Apostolica traditio, & proinde ad eam, tanquam quæ principatum obtinet, semper esse recurrendum ab omnibus alijs Ecclesijs. Epiphan. hæresi 68. Vrsacius & Valens (inquit) pœnitentiam agentes, vnà cum libellis profecti ad Beatum Iulium Romanum Episcopum, pro ratione reddenda de suo errore ac delicto. Erant isti sanè Episcopi, non igitur fuit cur à Romano Pontifice peterent delicti sui veniam, nisi quia ipsum omnium Episcoporum Iudicem, & Caput agnoscerent. Athanas. in Apologia 2. declarat, prædictos Episcopos à Beato Iulio veniam sui erroris rogasse: & in epistolâ ad Fœlicem Papam: Ob id (inquit) vos prædecessoresque vestros, Apostolicos videlicet Præsules, in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere præcipit, vt nobis succurratis &c. Vide eundem lib. de Sententiâ Dionysij Alexandrini Episcopi, vbi significat eum accusatum fuisse à bonis viris apud Romanum Pontificem, haud dubiè apud hunc tanquam cognitum & habitum communẽ omnium Episcoporum ac etiam Patriarcharum Iudicem. Basilius epistola 52. ad Athanas. Visum est (inquit) consentaneum scribere ad Episcopum Romanum, vt videat res nostras, & iudicij sui decretum interponat: vbi & plura alia adiungit, quæ ad supremam potestatem Romani Pontificis pertinent. Chrys. epistola 1. ad Innocentium: Obsecro (inquit) vt scribas, quod hæc tam iniquè facta non habeant robur: illi autem qui iniquè egerunt, pœnæ Ecclesiasticarum legum subiaceant: Hic petit Chrys. per Romanum Pontificem declarari irritam sententiam contra se à Theophilo Episcopo Alexandrino in multorum Episcoporum Concilio iniquè latam; ac ipsum Theophilum cum suis iuxta leges Ecclesi-

Ecclesiasticas puniri: Agnoscit igitur Chrys. Romanum Pontificem habere potestatem & iurisdictionem etiam in Episcopos Græciæ. Theodoretus in epistola ad Leonem: Ego Apostolicæ vestræ Sedis exspecto sententiam, & supplico & obsecro vestram Sanctitatem, vt mihi opem ferat, iustum vestrum & rectum appellanti Iudicium &c. Sozomenus lib. 3. cap. 9. Cum propter sedis propriæ dignitatē cura omnium ad ipsum spectaret, singulis Ecclesiam suam restituit. Vbi loquitur de Iulio 1. quem dicit reddidisse Episcopatum Athanasio Alexandrinum, & Paulo, Constantinopolitanum. Iustinianus quoq; Senior Augustus in epistola ad Ioannem, quæ habetur in Cod. Titulo 1. Nec enim patimur quidquam (inquit) quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quod non etiam vestrę innotescat Sanctitati quę Caput est omnium Sanctarum Ecclesiarum.

121 Idem constanter docent PP. Latini: D. Cyp. lib. 1. epistola 8. Deus vnus est, inquit, & Christus vnus, & Ecclesia vna, & Cathedra vna super Petrū Domini voce fundata: Aliud Altare constitui, aut Sacerdotium nouum fieri præter vnum altare aut Sacerdotium, non potest: quisquis alibi collegerit, spargit. Hic Cypr. docet, quod sicut Deus vnus est, & vna Ecclesia, ita etiam esse Cathedram vnam, scilicet primam & principalem, quæ omnes alias Ecclesias contineat, regat, & doceat; eamque Cathedram esse Cathedram Petri, fundatam voce Domini. Item eodem lib. epistola 3. ad Corneliū, vbi loquens de Schismate Nouatianorum qui nolebant Cornelium Pontificem agnoscere, ita scribit: Neque enim aliunde hæreses obortę sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur: cui si secundum magisteria diuina, obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersus Sacerdotum Collegium quidquam moueret: lib. 4. epistola 8. Ecclesiam Romanam vocat radicem, & matricem Ecclesiæ Catholicæ: & lib. de Vnitate Ecclesiæ dicit: Inde nasci hæreses, quòd ad veritatis originem non redeatur, neque quæratur Caput, nec magistri cœlestis doctrina seruetur: & statim post explicat, vbi illa veritatis origo, & Caput, & doctrina cœlestis magistri sint inquirenda: Probatio (inquit) est ad finem facilis compendio veritatis: loquitur Dominus ad Petrum Matth. 16. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues Regni Cælorum* &c. Idem, inquit, post resurrectionem dicit Ioannis 21. *Pasce oues meas:* ac deinde paulò infrà addit; Vt vnitatem manifestaret, vnā Cathedram instituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit: quibus manifestè declarat ex Cathedra Petri, vnitatis originem pendere, eamque esse Caput & continere doctrinam cœlestis magistri.

Sed his non obstantibus contendunt hæretici Cyprianū à parte sua stare, eumq; non agnoscere Romanum Pontificem habere potestatem in totam Ecclesiam: & allegant primò ex lib. eius de Vnitate Ecclesiæ, vbi scribit: Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur: ergo inquiunt, non est vnus Episcopus totius Ecclesiæ; sed vnius Episcopatus, qui totam Ecclesiam respicit, existunt plures Episcopi: qui singuli eius partem vnam in solidum tenent & administrant. 122

Pro pleniori horum verborum intelligentiâ, Aduertendum est, scopum Cypriani eo loco esse declarare omnes eos, qui per hæresim vel schisma Ecclesiæ vnitatem, & Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia (vt in antecedentibus loquitur) deserunt, non posse, nec debere exspectare promissa à Christo Ecclesiæ, eiusque filijs præmia: sed eos fore bonorum Christi extorres: idque ad eum finem ostendit, ne forsitan aliqui fallaciter sibi abblandientes existiment, quod quamuis à corpore Ecclesiæ se seiungant, tamen quia Christi nomen & religionem in suis quoque conuenticulis iuxta suum sensum profitentur, quod idcirco ipsi non fraudarentur Christi meritis & beneficijs. Ad hoc autem ostendendum, docet Ecclesiam esse vnam, & vnum atque indiuisum esse Episcopatum: idque probat primò, quia super vnum ædificat Christus Ecclesiam, scilicet super illum cui dictum est: *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:* vnde, inquit, ideo Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstretur. Secundò idem demonstrat ex cap. 6. Cantici Canticorum, vbi Spiritus Sanctus ex personâ Domini, designat vnam esse eius Ecclesiam: his verbis: *Vna est columba mea, perfecta mea*, &c. Huius autem vnius Episcopatus admittit esse plures partes, sed quæ debeant à singulis teneri in solidum, id est, absque scissione & diuisione à toto. 123

His præmissis Respondetur Negando Consequent. in ordine ad priorem partem consequentis: quia possunt simul consistere, quod illius Episcopatus totius sit vnus Episcopus vniuersalis, & quod singularum eius partium sint singuli Episcopi, qui teneant vnam partem in toto non distru- 124

disruptam, aut diuulsam, sed cohærentem & coniunctam Episcopatui toti: quemadmodum totius gubernaculi v. g. Belgij potest esse vnus Gubernator generalis, & tamen à pluribus teneri pars aliqua eius in solidum absque separatione ab vno gubernaculo; quatenus singularum prouinciarum sunt quoque singuli Gubernatores eidem generali gubernaculo cohærentes.

125 Debet autem pars illa Episcopatus sic à singulis teneri in solidum absque separatione, vt si quis eam separet, hoc ipso amittat rationem & statum Episcopatus: quod pulchrè D. Cypr. ibidem declarat, quia scilicet Episcopatus hic vnus est, & Ecclesia vna, ita tamen vt in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extendatur; Quomodo, inquit, Solis multi radij, sed lumen vnum, & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum; & sicuti de fonte vno riui plurimi defluunt, sed vnitas in origine seruatur. Quemadmodum igitur radius Solis à corpore auelli non potest, quia diuisionem lucis vnitas non capit, & sicut ab arbore præcisus ramus germinare non potest, inquit, & riuus à fonte præcisus arescit; sic quoque nulla pars Episcopatus huius, neque vlla pars Ecclesiæ à corpore separata potest in sua ratione subsistere: quamuis enim longè lateque partes Ecclesiæ & Episcopatus eius sint extensi, tamen, inquit Cyprianus, caput vnum est, & origo vna, & mater fæcunditate successibus copiosa: & propterea fallitur quicumque putat se posse partem vnam auellere, & particularem Christi Ecclesiam constituere diuulsam à reliquo corpore: quia hoc ipso quo à capite, quod vnum est, quo ab origine quæ vna est, separatur, mox necesse est emori, nec fructum posse germinare: sed arescere, vt ex similitudinibus à D. Cypr. allegatis comprobatur.

126 Sed dicet aliquis: Cypr. docet huius Episcopatus qui vnus est, partem in solidum teneri à singulis: ergo etiam à Romano Episcopo pars tenetur, & proinde non totum. Respondetur verum esse, quòd à Romano Pontifice teneatur etiam pars aliqua illius Episcopatus, quatenus specialiter est Episcopus Romanæ Sedis: sed non sequitur inde, quod non teneat etiam totum: quemadmodum à singulis Belgij gubernatoribus pars aliqua tenetur in solidum, quatenus singulæ Prouinciæ suum habet gubernatorem, & tamen vnus etiam tenet Gubernaculum totum, quatenus generalis Gubernator sibi reseruat gubernationem particularem vnius Prouinciæ. Sic quoque igitur qui præficitur huic parti, quæ est particularis Ecclesia Romana, simul accipit regimen vniuersale Episcopatus totius Ecclesiæ; quia hæc pars quæ illi regenda committitur, eum habet locum in Ecclesiâ quem habet radix in arbore, caput in corpore, & fons in aquarum riuulis: & proinde eius potestas sese ad omnes alias partes extendit. Dixi autem in responsione primâ ad argumentum, negandam esse consequentia in ordine ad priorem partem consequentis: non autem in ordine ad partem posteriorem; quia verum est quod magni illius Episcopatus, de quo loquitur Cyprianus, sint plures veri Episcopi, qui singuli teneant vnā eius partem: nam particularis quilibet Episcopus alicuius Ecclesiæ est verus Episcopus, non Vicarius Pontificis.

Obijciunt Secundò, ex eodem Cypriano: quod in Concilio Carthag. existens sic ad Confratres suos locutus fuerit: Neq; enim quisquam nostrûm Episcopum se esse Episcoporum constituit: Item quod vnus ab alio tam iudicari non possit, quàm vnus alterum non potest iudicare: sed vniuersi exspectent iudicium Domini nostri IESV Christi, qui vnus & solus habet potestatem de actu nostro, inquit, iudicandi, vt refert D. Aug. lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 3. & lib. 6. cap. 6. ergo &c. 127

Respondetur D. Cypr. tantùm loqui de Episcopis in Prouinciali Concilio Carthag. congregatis, de quibus rectè & meritò dixit: quod nullus ex istis se Episcopum Episcoporum constitueret; nam reuera nullus ex illis talis erat: sed hoc non præiudicare Romano Pontifici, qui ibi non aderat, neque in numero illo includebatur. Ad illud verò quod ibidem addit, Dominum nostrum IESVM Christum vnum & solum habere potestatem de actu illorum iudicandi, Respondetur: hoc limitatè intelligi secundum rationem subiectæ materiæ, in quâ illic Cyp. versabatur: vt scilicet sensus sit, quod dum in Concilio aliquo examinatur res obscura, & controuersa, tum pro veritatis securiori & certiori indagine licere vnicuique Episcopo liberè dicere eâ de re suam opinionem absque eo, quod idcirco debeat timere alicuius iudicium, aut Ecclesiasticam censuram: sed quod quoad actū illum, an bene, an malè, siue an sincerè, an dolosè in eo versetur, relinquatur Domino iudicandus. Sic intelligit Aug. lib. 3. cap. 3. supra citatis, vbi postquàm prædicta Cypriani verba recitasset, subiungit: Opinor vtique in his quæstionibus, quæ nondum eliquatissimâ perspectione discussæ sunt: nouerat enim quātam scripturæ profunditatem tunc omnis Ecclesia varia disputatione versabat (scilicet, an baptismus ab hęreticis collatus esset vali- 128

validus) liberumque faciebat quærendi arbitrium, vt examinata veritas panderetur: nam quòd alioquin Episcopus hæreticus aut schismaticus ex sententiâ Cypriani possit iudicari de crimine suo, ac ob illud deponi etiam à Romano Pontifice, constat manifestè ex epistolâ eius ad Stephanum lib. 3. epistola 13. vbi eum monet & hortatur, vt iubeat Marcianum in Gallijs Episcopum Arelatensem deponi, & alium in eius locum constitui: Dirigantur, inquit, in Prouinciam & ad plebem Arelatæ consistentem à te litteræ, quibus abstento Marciano (id est, semoto aut deposito) alius in locum eius substituatur. Amb. in cap. 3. 1. ad Timoth. Cum totus mundus Dei sit, tamen domus eius dicitur, cuius hodie Rector est Damasus. Vide eundem lib. 3. de Sacramentis cap. 1. vbi profitetur, quod in omnibus cupiat typum & formam Ecclesiæ Romanæ sequi.

129 Dices, addit ibidem Amb. Sed tamen & nos homines sensum habemus: ideo quod alibi rectiùs seruatur (scilicet quam Romæ) & nos rectè custodimus: ergo non putabat Amb. sibi absolutè per Ecclesiam Rom. posse præiudicari. Respondetur, quod quo ad ea quæ vt necessaria ad salutem ab Ecclesiâ Rom. tradebantur aut seruabantur, haud dubiè Amb. permiserit sibi in omnibus istis præiudicari, & præscribi per doctrinam aut traditionem Ecclesiæ Rom. Sed in minoribus quibusdam, quæ liberè apud diuersos diuersimodè obseruabantur, non existimabat se adstringi ad vsum & consuetudinem Ecclesiæ Romanæ: Verùm si in eo genere videretur alibi aliquid rectiùs aut decentiùs fieri, quàm Romæ, quod possit illud magis sequi, quàm quod Romæ fieret. De quo genere erat cęremonia lauandi pedes baptizatis, de quâ ibi Amb. agit.

130 Optatus Mileuitanus lib. contra Parm. cap. 3. ponit quinque Ecclesiæ Catholicæ dotes: ac primam dicit esse vnicam ac singularem Petri Cathedram, in quâ ab omnibus seruari debet vnitas: illam autem Cathedram singularem non tantum Petri fuisse; sed etiam successorum esse ostendit enumerando Rom. Pontifices vsque ad Syricium, vt suprà retulimus. D. Hieron. epistola ad Geronsiam de monogamia: Ante annos plurimos, inquit, cum in chartis Ecclesiasticis iuuarem Damasum Romæ vrbis Episcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis cōsultationibus responderem &c. Vnde liquet, quod ex vniuerso orbe ab omnibus Ecclesijs, tam Orientis, quàm Occidentis recurrebatur in quæstionibus & difficultatibus ad Sedem Romanam & ab illâ petebantur responsa & determinationes. Item in epistola ad Damasum: De nomine Hypostasis, quāquam tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas: à Pastore præsidium ouis peto, cum successore Piscatoris & discipulo Crucis loquor: ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri (inquit) consocior: quicumque extra hanc domum, agnum comederit, prophanus est: Et paulò infrà: Non noui Vitalem, Miletium respuo, ignoro Paulinum: quicumque tecum non colligit, spargit &c.

Vbi aduerte primò, Hieronymum etsi foret Præsbiter Antiochenus, eiusque Episcopus esset Paulinus, tamen se computare ouem Damasi. Secundò Damasum dici à Hieronimo successorem Piscatoris, siue Petri. Tertiò, Hieronymum velle adhærere Damaso, etiam postpositis Episcopis omnibus Palestinæ, sub quibus ipse degebat. Quartò, cum omnes prophanos habere, qui extra hanc domum cuius Damasus Rector erat siue extra Ecclesiam quæ Damaso adhæreret: agnum comederent: id est, Sacramenta perciperent aut administrarent. 131

Sed Obijciunt hęretici ex epistola eiusdem Hieron. ad Euagrium, vbi scribit: Si authoritas quæritur, orbis maior est vrbis: quid mihi profers vnius vrbis consuetudinem: vbicumque fuerit Episcopus siue Romæ, siue Eugubij, siue Alexandriæ, siue Thanis eiusdem meriti est, & eiusdem Sacerdotij: potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas sublimiorem vel inferiorem Episcopum nō facit: ergo D. Hier. neque Ecclesiam Romanam, neque Romanum Pontificem existimauit Caput reliquarum Ecclesiarum, aut Episcoporum. 132

Respondetur Neg. Conf. Contrarium enim satis clarè testatum reliquit in locis allegatis: quare ad obiecta respondetur, Ad primū quidem, quod ibi agat de quâdam particulari consuetudine, seu abusu quem Romę introducebant Diaconi: quod scilicet inciperent se æquare, vel etiam pręponere Præsbiteris, & inter eos sedere: idq; quia pauciores ipsi erant, & præessent thesauris & prouentibus Ecclesię, eorumque dispensationi: vnde ipsi se eleuare, & alij illos colere cœperunt, prout circa rei pecuniariæ administratores etiā hoc tempore fieri consueuit. Hoc itaque D. Hier. indignè accepit: vnde addit: Quid patitur mensarum & viduarum minister, vt supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus, sanguisque conficitur. Hanc igitur cœptam consuetudinem in Romanâ Ecclesiâ, ipse reprehendit: & rectè quidem, quia antiquus vsus conformis 133

formis & proportionatus dignitati & statui singulorum ordinum habebat, vt Præsbyteris cum Episcopo sedentibus, Diaconi astarent, & non sederent. In talibus autem moribus & factis quæ à Superioribus non sunt approbata, sed abusiuè per ambitionem vel auaritiam introducuntur ab aliquibus, maior est authoritas orbis quam Vrbis: Cui conformis est doctrina D. Ambrosij, quam modò explicuimus. Quod autem Pontifex illud ipsum non approbarit, indicat idem Hier. quando scribit, se in Ecclesiâ Romanâ vidisse Diaconum inter Præsbyteros sedere; sed absente Episcopo: Præsumebant itaque in absentiâ Pontificis, quod in præsentiâ non ausi fuissent factitare.

134 Ad alterum verò, quod dicit omnes Episcopos esse eiusdem meriti & Sacerdotij, Respondetur, id Hier. intelligere, respiciendo scilicet & Episcopatum æstimando ex dignitate & potestate ordinis; sic enim sunt omnes eiusdem meriti seu dignitatis, & eiusdem Sacerdotij: non autē secundum rationem iurisdictionis: nouerat enim ampliorem habuisse iurisdictionem Patriarcham Alexandrinum, quàm Episcopum Thanensem, quos tamē inter se comparat, cum ille præesset tribus magnis Prouincijs, & hic tantū vni oppidulo: quo nomine haud dubiè isti quoq; debebatur ac deferebatur maior honor, & respectus. Sed Hier. hic attendit tantùm ad illud, quod in Episcopo principalius & dignius est, videlicet ad Sacramentum Ordinis.

135 D. Aug. epistola 126. In Romanâ Ecclesiâ semper Apostolicę Sedis viguit Principatus. Item epist. 92. ad Innocentium: Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in Sede Apostolicâ collocauit, talemq; nostris temporibus præstitit, vt nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam veneratione͂, quæ pro Ecclesiâ suggerenda sunt, tacuerimus &c. vbi Aug. cum toto Conc. Mileuitano rogat, vt Innocentius Papa curam Pastoralē adhibere dignetur Ecclesiæ; scilicet coërcendo Pelagianos qui Palæstinam, & Africam inficiebant. Quod ab eo sanè non peteret, nisi credidisset illum etiā Palæstinæ & Africę Pastorem, atq; adeo eius authoritatem ibi quoque plus valere, quàm cuiuscumq; alterius istorum locorum Episcopi, aut Patriarchæ. Vide eundem lib. 1. ad Bonifaciū c. 1. Prosper l. 2. de Vocatione gentium c. 6. Roma per Sacerdotij Principatum amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis. Cui similem sententiam supra ex D. Leone adduximus.

136 Omissis tandem multis, sit vltimus D. Bernardus (quem Caluin. etiam pro se adducit & Sanctum appellat) qui lib. 2. de Consideratione ad Eugenium, sic scribit: Age, indagemus adhuc diligentius, quis sis, quam geras pro tempore personam in Ecclesiâ Dei, quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum: & paulò infrà; Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt: sunt quidem & alij cœli ianitores, gregumq; pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius vtrumque præ cæteris nomē hæreditasti. Quod sic pergit explicare. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi vniuersi crediti, vni vnus; nec modo ouium, sed & Pastorum tu vnus omniū Pastor. Et plura infrà.

Obijcit autem Caluin. multa quę scribit idem Bernardus eodem opere de Consideratione, contra abusus & vitia Curię Rom. 137
Sed ista correctione & emēdatione egent, non solutione: nam vt docet idē Bernard. serm. 66. in Cantica: Mali mores Prælatorum nō impediunt, quo minus ipsi Pręlati sint, & nos obedire teneamur: cum Dominus dicat Matth. 23. Quæ dicunt, facite, secundum opera eorum nolite facere.

Probatur denique ratione: Primò, quia nullus vnquam fuit Episcopus, qui se asseruerit Petri successorem in Primatu, & 138
generali curâ Ecclesiæ, vel qui pro tali habitus fuerit, pręter Episcopum Romanū: nam licet Antiochenus Episcopus fuerit cognitus successor Petri quoad particularē Episcopatū Antiochensis Ecclesiæ, vbi Petrus primùm resederat, nunquam tamen existimauit aliquis Episcopum Antiochenum successisse Petro, quoad vniuersalem Pontificatum Ecclesiæ; quia dum Petrus Sedem Antiochenam relinqueret, & alius ei succederet, non relinquebat vniuersale Ecclesię regimen & curam. Vnde etiam in Concilio Nicæno Canone 6. Episcopus Antiochenus declaratur tantum tertius Patriarcha: neq; Episcopi Antiocheni pręetenderunt altiorem locum siue ordinem: atqui dubio præcedenti ostendimus Pontificatum Petri non fuisse temporaneū pro vitâ eius, sed successione perpetuum: ergò &c. Confirmatur: quia nullū potest designari tempus, quo incæperit primatus Ecclesiæ attribui Episcopo Rom. quin possit demonstrari ab anteriori tempore fuisse in Romano Episcopo Primatum agnitum vsque ad Apostolū Petrum; ergo necesse est dicere Romanum Episcopū simul successisse Petro in Episcopatum Romanum, & in vniuersalem Pontificatū, siue totius Ecclesię Primatum. Quare rectè D. Greg. l. 6. epist. 37. ad Eulogium. Ipse (scilicet Petrus) sublimauit Sedem in quâ etiā quiescere, & præsentē vitam finire dignatus est.

139 Probatur Secundò, Ratione desumptâ ex authoritate, quam semper exercuerunt Romani Pontifices in totius orbis Episcopos quoad institutionem, depositionem, & restitutionem. Sic in Concil. Calced. actione 7. Legitur Maximus Episcopus Antiochenfis confirmatus à Leone: & de Confirmatione Episcopi Constantinopolitani sic scribit idem Leo epistolâ 54. ad Marcianum: Scitis quòd vestræ pietatis auxilio & mei fauoris assensu Episcopatum tantæ vrbis obtinuit: Plura exempla recursus ad Sedem Romanam pro depositione, aut restitutione licet ex supra citatis sententijs Pontificum & Sanctorum Patrum colligere.

140 Probatur Tertiò, Ex authoritate ferendi leges & decreta, ac dispensandi & puniendi, quam Romani Pontifices semper exercuerunt in omnes vbiuis Ecclesiæ filios, quantumuis magnos & longè dissitos. Sic cùm Pius primus decreuisset, vt Pascha non celebraretur cum Iudæis die 14. primi mensis: sed die Dominica sequenti, & Asiani nollent acquiescere, eos omnes Victor I. excommunicauit; vt scribit Eusebius lib. 5. Historiarum cap. 24.

141 Neque proposito nostro obstat, quod opponit Caluin. scilicet, quod Irenæus & alij nonnulli reprehenderint Victorem in illo facto: quia non reprehenderunt, quasi fecisset aliquid, cuius faciendi non haberet potestatem; vel quasi potestatem exercuisset in eos qui non essent illi subditi; sed quod non consultò & prudenter ad Ecclesiæ vtilitatem, illud factum fuisset. Vnde sic eâ de re scribit Eusebius: Exstant etiam ipsorum litteræ, quibus asperiùs obiurgant Victorem, velut inutiliter Ecclesiæ commodis consulentem: existimarunt ergo illi Victorem quidem fecisse, quod poterat, sed non quod secundum prudentiam vt illi sapebant, deberet. Interim habebat ille rationes ob quas etiã prudenter id fecit, licet eas alij ignorarẽt: Nam incipiebat eo tempore quidam Blastus latenter introducere Iudaismum, docens Pascha non aliter custodiendum esse, quàm secundum legem Moysis die 14. mensis, vt habet Tertull. lib. de Præscriptionibus: idque Romæ seminabat, vt refert Eusebius supra cap. 15. Quare ad huic malo magis obuiandum, meritò existimauit Victor legem Pij prædecessoris sui, de non celebrando Paschate cum Iudæis, fortiùs esse vrgendam, & executioni vbique mandandam.

142 Innocentius I. excommunicauit Arcadium Imperatorẽ Constantinopoli agentem, & vxorem eius propter exilium Chrysostomi, vt patet ex epistola eiusdem Innocentij apud Nycephorum lib. 13. Historiarum cap. 34. Nicolaus I. minatus est excommunicationem Lothario Regi, & de facto excommunicauit Concubinam eius, & Archiepiscopos Coloniensem & Treuirensem. Leo primus epistola 1. quatuor imponit leges omnibus Episcopis per Campaniam & Pycenum, vel Tusciam, & per vniuersas Prouincias constitutis; & tandem addit: Vt si quis contra fecerit, quod sciat se ab officio suo submouendum. Similiter epistola 81. Dioscoro Patriarchę Alexandrię duo imponit mandata, & addit, se velle ab eo hæc custodiri. Idem sæpe fecit Greg. primus, vt patet ex eius epistolis: qui etiam dispensauit cum Anglis in gradibus prohibitis, quando primùm erant conuersi, vt patet ex epistola 31. lib. 12. Registri.

Quarta ratio sumitur ex appellationibus interpositis ex toto orbe ab Episcopis & Ecclesijs alijs ad Romanum Pontificẽ: Ita vt ad eum ab aliorum iudicio semper licuerit appellationem instituere: ab eius autẽ sententiâ ad alios minimè: quod manifestissimum Primatus eius in totâ Ecclesiâ est indicium. Quod appellandi ius confirmatum existit etiam in Concilio generali Sardicensi celebrato proximè post Nycænum, cum quo quasi vnum computatur, quia easdem tractat materias, & tantum explicatiùs eas definit & determinat: vnde inter generalia Concilia non enumeratur, vt distinctum ab isto. Canone autem 4. sic habet: Quod si quis Episcopus fuerit depositus, & proclamauerit sibi agendi negotium in vrbe Romanâ, non debere alium in eius Cathedrâ ordinari, nisi causa prius iudicio Episcopi Romani fuerit determinata. Sic Athanasius depositus ab Episcopis Orientalibus appellauit ad Iulium primum, qui etiam illum restituit, vt refert Sozomenus lib. 3. Historiarum cap. 7. idque accidit ante Concilium Sardicense, ne quis forsitan existimet tantùm ex concessione Concilij, ius illud Romano Pontifici competijsse. Chrysostomus depositus à Theophylo Alexandriæ Patriarchâ, ad Innocentium I. appellauit, vt patet ex duabus eius epistolis ad Innocentium. Fortunatus & Fœlix in Africâ depositi à Cypriano, & alijs Coëpiscopis appellarũt ad Cornelium Papam, vt patet ex epistola 3. eiusdem Cypriani lib. 1. Item Basilides depositus in Hispanijs appellauit ad Stephanum, teste eodem Cypr. lib. 1. epist. 4. 143

Neque refert quod epistola 3. citatâ, sicut & epistola 4. reprehendat eos qui ad Romanum Pontificem appellauerant: non enim reprehendit eos quasi ius non esset appellandi ad Romanam Sedem: sed in 144

eo repre-

eo reprehendit illos, quòd postquàm iuxta Synodalia Statuta, causa eorum esset in proprijs locis examinata, atque crimina eorum essent manifestè detecta, sic vt etiam ex propriâ confessione constarent, vt refert de Basilide, quòd nihilominus ad vrbem circumcursarent; haud dubiè non alio fine, aut spe, quàm quod possent Romano Pontifici longiùs distanti imponere, & Episcopos, à quibus erant iudicati, diuexare & molestias adferre. Atque adeò sicut ibidem loquitur Cyprianus vt Episcoporum concordiam cohærentem suâ subdolâ & fallaci temeritate collidant.

145 Non aliud autem velle Cyprianum, manifestè colligitur ex epistola 4. citata: vbi postquam reprehendit Basilidem eâ de causa, mox addit: Neque enim tam culpandus est ille (scilicet Stephanus Papa) cui negligenter obreptum est, quàm hic execrandus qui fraudulenter obrepsit. Vbi licet nonnihil videatur culpare in Stephano, quod forsitan non satis diligenter attenderit, vtrùm Basilidis causa esset talis, quæ mereretur admitti & in iudicio Romano audiri, atque ita negligenter ei obreptum esset: non tamen arguit, quod ad se causam deferri permiserit: quod sine dubio vel maximè reprehendisset, si persuasum sibi habuisset Romanum Pontificem ius non habere ad audiendos in suis causis & appellationibus Episcopos aliarum Ecclesiarum, idque in vsu non fuisse: nam ea fuisset intolerabilis Romani Episcopi præsumptio & temeritas.

146 Dices, Cyprianus ibidem epistola 3. videtur in eo reprehendere istos appellantes, quod id faciendo ostendant minorem apud eos reputari authoritatem Episcoporum, in Africa constitutorum scilicet, quàm Episcopi Romani: ergò &c. Respondetur Cyprianum in eis reprehendere, quod minorem videantur existimare authoritatem Episcoporum Africę, non quàm Pontificis Romani (hoc enim non addit) sed quàm quæ sufficiat ad causam illorum dijudicandam: quod meritò reprehendit, quia causa eorum erat clara & euidens; nec difficultatem habebat, vt diximus. Vnde opus non erat altiori potestate vel authoritate, sed planè sufficiebat ad tam manifestam causam authoritas Episcoporum in Africa constitutorum.

147 Quinta ratio inde sumitur: Quia Romani Pontifices habuerunt passim in alijs locis suos Vicarios: Ita tamen, vt causas grauiores ad se vellent deferri: vnde patet eos habuisse potestatem in totam Ecclesiam. Sic Leo primus habuit Anastasium Episcopum Tessalonicensem Vicarium per Orientem, vt patet ex epistola 84. Hormista Papa habuit Salustium per Hispaniam, vt patet ex eius epistola ad Salustium. Similiter Greg. habuit Episcopum Arelatensem per Gallias, vt patet ex epistola 52. lib. 4. & Gelasius Episcopum Constantinopolitanum, vt patet ex eiusdem epistola ad Episcopos Dardaniæ.

Sexta & vltima ratio sit: Quia Episcopus Romanus non potest à quoquam iudicari, vt patet ex Concilio Sinuessano, quod dicit primam Sedem à nemine iudicari, vt refert Nicolaus primus in epistola ad Michaëlem Imperatorem. Item ex Concilio Romano sub Siluestro Can. 18. qui sic habet: Nemo iudicabit primam Sedem, quoniam omnes sedes à primâ Sede iustitiam desiderant temperari: neq; ab Augusto, neque à Rege, neque ab omni Clero, neque à populo iudicabitur Iudex. Cuius Canonis etiam meminit Nicolaus I. suprà. Similia habentur in Concilio Romano sub Adriano, cuius Concilij verba referuntur in 8. Synodo generali, actione 7. Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus, inquit: de eo verò quemquam iudicasse non legimus. 148

Neq; refert quod Dioscorus Patriarcha Alexandrinus aliquando in primam Sedē præsumpserit sententiam ferre, excommunicando scilicet Pontificem Romanum: quia Conc. Calced. tum propter alias causas, tum maximè ob hanc damnauit eundē Dioscorum, vt patet ex epistola eiusdem Conc. ad Leonem I. & habetur actione 3. 149

Et ratio fundamentalis est, quia verus superior & Princeps totius Ecclesiæ habet potestatem non ab Ecclesia, sed immediatè à Christo Domino. Vnde etiam Ecclesia tota simul nullam habet in ipsum authoritatem, & multo minùs Principes sæculares; quia horum est ea per se curare, quæ pertinent ad externam & temporalē tranquillitatem Reipublicæ, quæ tota ordinatur ad bonum spirituale tanquam ad suum finem. Cuius boni ac finis procuratio ad Pontificem pertinet tanquam Summum Principem ac Regem Sacrorum. 150

Quare etiam, cum iuxta Philosophum 1. Ethic. c. 1. ita subordinentur artes & facultates, quemadmodum inter se subordinantur earum fines, idque lumine naturali notum sit, consequens omnino est, etiam sæcularem & terrenam potestatem, ac Reges & Principes eâ præfulgentes proindè suo modo subordinari spirituali & cœlesti potestati, ita scilicet vt leges Ciuiles contra finem sublimiorem militantes per Canones corrigantur, & si Principes peruicaciùs authoritate suâ abutantur contra bonum spirituale, & in perni- 151

 ciem

ciem salutis animarum, possint à potestate spirituali pœnis conuenientibus coërceri. Hanc subordinationẽ recognouit D. Gregorius lib. 12. epist. 32. quando post diuersa præuilegia monasterio S. Medardi concessa decernit authoritate diuinâ, vice B. Petri Apostolorum Principis, vt nullus ea infringat: & in fine subiungit: Si quis Regum, Antistitum, Iudicum, vel quarumcumque sæcularium personarum, huius Apostolicæ authoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit, cuiuscumque dignitatis vel sublimitatis sit, honore priuetur. Hanc agnouerunt & proceres Francorum, qui Zachariæ Pontifici supplicarunt, quatenus Childericum Regem cuius supina socordiâ aut stupiditate omnia sacra & prophana miscebantur, sic vt Cathedrales Ecclesię à Laicis & Publicanis possiderentur (quâ de re grauiter conqueritur S. Bonifacius Episcopus Moguntinus & Martyr in Epistola ad præfatum Pontificem) permitteret Regio titulo priuari, & in Pipinum, qui negotia Regni fœliciùs administrabat, transferri: vt patet ex Cedreno in vita Leonis Isauri; Paulo Diacono l. 6. c. 5. de Gestis Longobardorum, & ex S. Bonifacio in epistola allegata. Vsus fuit & Leo III. hâc potestate, quando Imperium, quod Græci in Occidente possidebant, dum non possent Ecclesiæ ibidem laboranti auxilium debitum præbere & suppetias ferre, transtulit illud in Carolum Magnum & in Successores eius: in illo quasi instituens Sacri olei inunctione Imperium nouum & magis diuinum. Vnde & Sacrum Imperium appellatur: à quo deinceps Romani Imperij successio, ad alios deriuaretur. Horum & quorundã aliorum suorum prædecessorum vestigijs insistens Innocentius IV. sic approbante Generali Conc. Lugdunensi cōtra Fred. II. Imperatorem procedit: Nos super præmissis & pluribus alijs eius (scilicet Frederici Imperatoris) nefandis excessibus, cum fratribus nostris deliberatione præhabitâ diligenti, cùm IESV Christi vices licet immeritò teneamus in terris, nobisque in B. Petri personâ sit dictum: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis*, memoratum Principem, qui se Imperio & Regnis, omnique honore & dignitate reddidit indignum suis ligatum peccatis, omnique honore & dignitate priuatum denuntiamus, & sententiando priuamus: omnesque qui ei fidelitatis iuramento tenentur obstricti, à iuramento eiusmodi perpetuò absoluentes, authoritate Apostolicâ firmiter inhibemus, ne quisquam de cætero sibi tanquam Imperatori pareat &c. E contra verò, cū inferiores artes & facultates non præscribant superioribus, quæ finẽ respiciunt altiorem & magis vniuersalem, consequenter sæcularis & terrena potestas non debet, nec legitimè potest de Ecclesiasticâ & spirituali potestate iudicare. Quod bene perpendens Constantinus Magnus, apertè professus est, de Episcopis se iudicare non posse, vt qui Dij quidam sint: sed è contrà potiùs eorum se stare subiectum iudicio, vt scribit Ruffinus l. 1. Histor. c. 2.

Verùm contra antè dicta obijcitur Primò, D. Gregor. epistola 32. lib. 4. valdè reprehendit nomen Episcopi vniuersalis, & dicit esse nomen blasphemiæ: & alibi esse prophanum ac Sacrilegum, atque prędecessores suos nō voluisse acceptare nec vti nomine illo, tametsi à Concilio Calc. ob honorem D. Petri fuisset eis oblatum: Pro explicatione D. Gregorij, 151

Notandum est, hoc nomen, Episcopus vniuersalis, posse duobus modis intelligi: Vno modo, vt excludat ab omnibus alijs Episcopis veram rationem Episcopi, ita vt censeantur sortiri tantùm officium & rationem Vicarij eius, qui Episcopus vniuersalis existit, aut dicitur; non autem sint veri Episcopi suarum Ecclesiarum: quemadmodum Nuntij vel Legati Apostolici in locis in quibus Legatione funguntur, vices Pontificis agunt, nō autem sunt istorum locorum Episcopi. Alio modo dici potest Episcopus vniuersalis ille, qui habet curam totius Ecclesiæ, sed generalem & altioris cuiusdam ordinis, sic vt non excludat particulares Episcopos particularium Ecclesiarum: sicuti Rex Hispaniarum est vniuersalis Dominus Belgij, qui Supremam Dominij rationem in totum Belgium habet: quæ tamen non excludit quo minus multi Duces & Comites sint veri quoque particulares Domini certorum locorum in Belgio.

Respondetur itaque Diuum Gregoriũ duriùs loqui de nomine Episcopi vniuersalis, neque illud sustinere velle: sed iuxta priorem eius acceptionem intellectum, secundum quam reuera nulli competit; nec tolerandum quod alicui sic attribuatur: eo autem sensu de illo nomine Gregorium loqui patet; primò ex illâ ipsâ epistolâ, quando dicit: Sed absit à cordibus Christianorum nomen istud blasphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab vno sibi dementer arrogatur: & ex epistola 34. vbi sic scribit: Triste est, vt patienter feratur, quatenus despectis omnibus prædictus frater & Coëpiscopus iners solus conetur appellari Episcopus: & epistola 36. eodem semper lib. 4. Si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, 152

dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur: & lib. 7. epistola 69. Si vnus vniuersalis est, restat vt vos Episcopi non sitis: accepit ergo D. Greg. illud nomen eo sensu, quo alios verâ ratione Episcopi priuet, quando illud ita arguit.

153 Quod verò in acceptione posteriori secundum quam nos loquimur, Romano Pontifici tribui possit etiam ex mente D. Greg. demonstratur ex eiusdem scriptis: Primò, quia in eadē epistolā scribit, Cunctis Euangelium scientibus liquere, quod & voce Dominicâ, Sancto & omniū Apostolorum Principi Apostolo Petro totius Ecclesiæ cura commissa est: Ipsi quippe dicitur Io. 21. *Petre amas me? pasce oues meas*: ipsi dicitur Luc. 22. Ecce Satanas expetijt cribrare: ipsi dicitur Mat. 16. *Tu es Petrus & super hanc Petram* &c. ecce, inquit, claues regni cœlestis accipit, Mat. 16. potestas ligandi & soluendi tribuitur: Cura ei totius Ecclesiæ & Principatus committitur; & tamen vniuersalis Episcopus non vocatur. Vbi manifestè significatum illius nominis in posteriori acceptione admittit Petro competere (non enim aliud nomine Episcopi vniuersalis intelligimus, quàm illum qui totius Ecclesiæ habeat curam & principatum absque exclusione aliorum particularium à vera ratione Episcopi) licet interim addat eum Episcopum vniuersalem non esse vocatum, scilicet secundum eam rationem quâ hoc nomen alios à verâ ratione Episcopi excluderet.

154 Secundò, quia fatetur ibidem Synodum Calced. quam veram & Catholicam ipse passim agnoscit, prout & fuit, attribuisse nomen illud Romano Episcopo pro beati Petri Apostolorum Principis honore: nec tamen Synodum reprehendit, quamuis cōmendet prædicessores suos qui illo vsi nō fuerunt: ergo intellexit bene nomen istud certâ ratione conuenire & posse Romano Episcopo attribui: quamuis ob diuersas cōsiderationes noluerint illud assumere.

155 Tertiò, quamuis Romani Pontifices nō se vocauerunt Episcopos vniuersales, vt rectè D. Greg. notat, tamen se vocauerunt Episcopos Ecclesiæ vniuersalis: quod quoad rem coincidit prout nos de illo nomine loquimur. Constat illud ex epist. 2. Sixti I. epistola 1. Victoris primi, & ex 54. 62. & 65. Leonis.

156 Verùm quæret aliquis si nomen istud admittat commodum sensum, quare D. Greg. sic illud reijciat, ac detestetur? Respondetur inprimis propter nominis ambiguitatem; & quia erat in Ecclesia nouum, ac inusitatum; apprehendebaturq; passim ab omnibus in priori significatione: vnde nascebantur summæ difficultates, & contradictiones apud omnes Episcopos, dum Episcopus Constantinopolitanus vellet sibi nomen hoc temerè & arroganter assumere. Quâ de re sic in eadem epistola scribit: Ecce omnes hâc de re scandalum patiuntur. Deinde quia de isto nomine agebatur in ordine ad personam cui nullo modo, aut sensu conueniebat: quare tum ad sedandam commotionem aliorum Episcoporum ortam ex nouitate istius Episcopi Constantinopolitani, tum ad faciliùs deprimendam huius arrogantiam & temeritatem, putauit D. Greg. nomen illud omninò eliminandum, sic vt ne ipse quidem voluerit illud assumere, quamuis veris rationibus potuisset; sed maluit se cunctorum Sacerdotum seruum dicere, prout ibidem se vocat.

Obijcitur Secundò: D. Aug. epist. 162. scribit Causam Cæciliani iudicatā à Pontifice, & quibusdam alijs iussu Imperatoris: & deinde secundo iudicatam ab Episcopo Arelatensi, eodem Imperatore sic volente, & tertiò fuisse iudicatam ab ipso Imperatore: ergo Pontifex non est Supremus Princeps & Iudex Ecclesiæ. Confirmatur, quia non ex se, sed ex iussu Imperatoris iudicat in ea causa, quæ planè erat Ecclesiastica, vtpote quæ versabatur circa depositionem Episcopi. Deinde quia si ipse esset Supremus & Summus, non potuisset post eius iudicium deferri causa. ad Episcopum Arelatensem; nec tandem iudicari ab Imperatore. Respondetur Neg. Conf. ad ea verò quæ in confirmationem adducuntur, dicendum est, Pontificem non iudicasse nisi quando Imperator ordinauit; quia Donatistæ qui causam contra Cæcilianum agebant, non detulerāt primò eam ad Pontificem, vti debuissent; sed hæreticorum ac schismaticorum more, iudicium Pontificis subterfugientes, negotiū ad Imperatorem detulerant: in quo eos malefecisse ibidem docet August. & addit, Constantinum ordinatiùs egisse, qui causam ad se primò delatam non ausus fuerit iudicare. His addo Pontificem permisisse secum sedere & iudicare istos alios ab Imperatore assignatos, vt satisfieret Donatistis, qui alioquin Pontificis iudicium habebant suspectum. Dico tertio, post Pontificem, iterum iudicasse Episcopum Arelatensem, & postea Imperatorem, non quia necesse erat, aut ita oporteret, vt ibidem August. ait: sed vt plenissimè Donatistis satisfieret, & omninò eorum os obstrueretur. Vnde etiam Imperator veniā petiturus ab Episcopis causam illā inuitùs cognouit, vt in eadē epistolā testatur Aug. Ex quibus liquet factum illud nihil contra Primatum Rom. Sedis facere. 157

158 Obijcitur Tertiò: Pontifex poteſt iudicari, & deponi ab Eccleſiâ ſaltem in caſu hæreſis: ergo non eſt ſupra totam Eccleſiam. Probatur Antecedens primò ratione Caietani, qui illud tenet: quia cœtus Cardinalium poteſt eligere Papam, & eſſe cauſa cur Papatus huic perſonæ applicetur: ergo ſi Papa fieret hæreticus, poſſet etiam Principatũ & Papatum ab hâc perſona ſeparare, & illum deponere. Probatur Secundò: quia alioquin poterit aliquando Eccleſia pro Capite ſuo habere hominem hæreticum, quod abſurdum videtur: non enim credibile eſt, Chriſtum velle eum retinere Vicarium, qui falſam tenet & fouet doctrinam; ac proinde verum pabulum cœleſtis doctrinæ gregi fidelium non ſubminiſtrat.

159 Reſpondetur Neg. Antecedens: Quod ad priorem probationem attinet.

Reſpondetur Neg. Conſequent. Quando enim Papa eligitur, nondum eſt eorum Superior: vnde Electores non exercent poteſtatem in Superiorem: ſed tantum deſignant perſonam, cui Chriſtus conferat Superioritatem & ſupremam poteſtatem. Deinde Electio non eſt actus Iuriſdictionis in eum qui eligitur, neque exercetur neceſſariò circa inferiorem: ſed etiam poteſt exerceri circa æqualem aut Superiorem. Si verò ijdem Papam deponerẽ, iam deberent exercere poteſtatem in Superiorem, quia ille nunc Superior eſt, & quidẽ toto tempore & omni momento antequã depoſitus ſit, ſiue priuatus. Præterea deponere eſt quoddam punire: non conuenit autem Inferioribus punire Superiorẽ: ſed è contra: fatetur autem Caiet. Eccleſiam non eſſe ſupra Pontificem: vnde ſequitur euidenter, quod eum deponere non poſſit: Ex his itaq; patet diuerſitatis ratio: & cur argumentum non procedat.

160 Ad alteram probationem Reſpondetur Neg. Aſſumptum, ſi loquamur de hæretico homine manifeſto: & ratio eſt, quia Papa hoc ipſo quo fieret hæreticus manifeſtus, licet ab Eccleſiâ non deponatur, tamen per ſe deſineret eſſe Papa, & Caput Eccleſiæ, ſicuti definit eſſe Catholicus, & Eccleſiæ membrum ſiue pars: quia neque internâ neque externâ coniunctione aliquâ manet Eccleſiæ corpori vnitus, aut cohærens: nam vt rectè D. Hier. ad illa verba Pauli ad Titum cap. 3. *Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita*: ſcribit: Alij peccatores per ſententiam excommunicationis excluduntur ab Eccleſia; hæretici autem per ſe diſcedunt & præſcinduntur à Corpore Chriſti. Similiter alij Patres docent paſſim hæreticum manifeſtum non eſſe Chriſtianum. Ita Cypr. lib. 4. epiſtola 2. Athan. ſermone 2. contra Arianos, Auguſt. de Gratia Chriſti cap. 20. & alij. Si igitur Papa per hæreſim manifeſtam deſinat eſſe Chriſtianus, & Eccleſiæ membrum, conſequenter neceſſe eſt, vt deſinat eſſe Caput & Pontifex.

Dixi loquendo de hæretico manifeſto, quia alia eſt ratio de occulto: Nam verius eſt, Papam per hæreſim internam & occultam etſi in illam incideret (quod an fieri poſſit diſputatur, de quo infra) non amittere Papatũ, nec deſinere eſſe Eccleſiæ Caput: quia hic ſaltem externa fidei profeſſione Eccleſię cohæret, eiuſque ſuo modo membrum manet. Et quandoquidem Eccleſia non innititur eius internis ſenſibus, ſed externis doctrinis, hinc occulta eius hæreſis non adferret Eccleſiæ præiudicium quoad veram fidei doctrinam & profeſſionem. Quamuis autem videatur aliquo modo incommodũ & quaſi violentum, quod talis ſuſtineat Cathedrã & profeſſionem veritatis fidei Chriſtianę, tamen minus hoc Eccleſiæ obeſſe poteſt, quàm ſi ob internam hæreſim, aut occultam exiſteret Pontificatu priuatus, tum propter multas calumnias quæ hac occaſione contra Pontificem excogitari & ſtrui poſſent non ſine magnę perturbationis & ſchiſmàtum periculis; tum etiam quia Eccleſia ſæpius de ſuo Capite hęreret dubia & incerta. 161

Aduertendum itaque eſt, ſi Concilium declararet Pontificem hæreſi eſſe obnoxium, non idcirco deberet cenſeri deponere Pontificem: ſed poſitâ Concilij declaratione tanquam conditione ſine quâ non, ſi aliàs euidentia facti non eſſet eius hæreſis notoria, priuaretur ab ipſo Chriſto, ſiue Chriſti inſtitutione: ac ſic ſine alicuius hominis accedente authoritate iudiciariâ in depoſitione, deſineret ipſe Pontifex & Caput Eccleſię eſſe. 162

DVBIVM III.

Quo iure Romanus Epiſcopus ſit ſucceſſor Petri in Primatu Eccleſiæ?

RÉſpondeo & Dico Primò: Iure diuino, ſiue Chriſti inſtitutione ordinatum fuit, dum Petro Chriſtus conferret vniuerſalis Eccleſiæ Pontificatũ, vt perpetuis futuris temporibus eſſet in eodem habiturus aliquem ſucceſſorem. Conſtat ſufficienter ex dictis dubio præcedenti circa primam potiſſimùm concluſionem. 163

Dico Secundò: Non videtur ſimul eodem tempore à Chriſto definitum, quod Petro ſuccederet in Primatu futurus Epiſco- 164

piscopus huius aut illius particularis & determinatæ Ecclesiæ fundandæ, & per ipsum Petrum vt particularem Episcopum regendæ. Probatur, quia videtur Petro liberum fuisse nullam Sedem particularem sibi vnquam eligere: quia primis quinque annis nullam assumpsit. Deinde ei liberum fuisse apparet assumere indifferenter, siue hanc Ecclesiam, siue illam. Vnde primò sedit in Ecclesiâ Antiochenâ, & postmodum mutauit: atqui si contigisset illis temporibus mori Petrum antequam Cathedram suam instituisset & fixisset Romæ, non successisset in Primatum Episcopus huius determinatæ Ecclesiæ Romanæ, qui modo succedit: sed vel ille quem Ecclesia delegisset, aut certè Episcopus Antiochenus, si in hac Sede obijsset: ergo Christus ab initio quo Primatum cum futura successione instituit, non statim simul determinauit succedendi rationem aut certum successorem Episcopum alicuius determinatæ Ecclesiæ.

165 Dico Tertiò: Ex facto Petri habet initium successio, quâ Romanus Episcopus potius succedat in Pontificatum vniuersalem, quàm Antiochenus, aut quilibet alius: quia scilicet Petrus Cathedram Antiochenam reliquit, & Sedem suam Romæ fixit, illiusque Ecclesiæ particularem Episcopatum sibi delegit, & ad mortem vsque tenuit. Ita communiter sentiunt omnes DD. Et SS. Patres Romanam Sedem agnoscunt primam tanquam Sedem & Cathedram Petri.

166 Dico Quartò: Non videtur tamen id Petrus fecisse pro suâ tantum voluntate; sed ex Christi Domini intimatione, & mandato eidem factis, qui sic Episcopatui Romano voluit in perpetuum fore annexum vniuersalis Ecclesię Pontificatum: atque ita iure diuino Rom. Episcopus potest dici Petri Successor in Primatu. Non est quidem hæc Conclusio omnino certa de fide: sed tamen probabilissima & diuinæ prouidentię valde consentanea, vt docent Driedo lib. 4. cap. 3. parte 3. de Ecclesiasticis dogmatibus & Scripturis, & Bellar. lib. 4. cap. 4. de Pontifice. Probatur primò, quia Marcellus Papa & Martyr epistola ad Episcopos Antiochenos scribit, Petrum iubente Domino Romam Sedem suam ex Antiochiâ transtulisse. Testantur idem D. Athanas. in Apologia 2. pro sua fuga, & D. Ambr. in Oratione de tradendis Basilicis: vbi referunt Christum omnino voluisse, vt Petrus Romæ moreretur: & addit Ambr. idcirco ei fugienti occurrisse ac dixisse: Venio Romam iterum crucifigi, quod manifestum est signũ Deum voluisse per Petri mortem firmari Romæ eius Sedem & Pontificatum. Quod etiam significat S. Leo in serm. 1. de Natali Apostolorum Petri & Pauli, dum sic scribit: Trophæum Crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quò te diuinis præordinationibus anteibant & honor potestatis, & gloria passionis.

Probatur Secundò: Quia Sancti Patres significant non posse ad Rom. Ecclesiam vnquam perfidiam habere accessum: hoc autem non fit nisi ratione Pontificatus, & quia eius Episcopus est Petri successor, pro quo Dominus rogauit: ergo existimãt etiam Pontificatum nunquam ab illâ Ecclesiâ posse separari. D. Cyp. lib. 1. epistola 3. Nauigare audent ad Petri Cathedram, & Ecclesiam principalem &c. nec cogitare eos esse Romanos ad quos perfidia non potest habere accessum. Hier. lib. 3. Apologiæ contra Rufinum: Scito Romanam Sedem Apostolica voce laudatam eiusmodi præstigias non recipere: etsi Angelus aliter annunciet, quàm semel prædicatum est, Pauli authoritate munitam non posse mutari. Nazians. in Carmine de vita suâ. Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & semper eam retinet, sicut decet vrbem, quæ toti orbi præsidet, semper de Deo integram fidem habere. Quare etiam meritò creditur, quod populus & Clerus Romanus nunquam possit totus simul à fide deficere, vt nulli sint in Ecclesiâ Romanâ fideles, & Pontifici adhærentes. 167

Probatur Tertiò: Quia plurimæ & grauissimæ difficultates occurrerunt Romæ Pontificibus, sic vt vrgentissimæ fuerint rationes Apostolicam & primam Sedem aliò transferendi, & tamen nunquam Primatum ad aliam Ecclesiã Pontifices transtulerunt: ergo existimarunt secundum diuinam ordinationem id fieri non debere. Antecedens patet: nam inprimis Imperatores Ethnici per annos 300. grauissimas mouerunt persecutiones contra Dei Sacerdotes & Pontifices: ita quod omnes pænè occiderint, aut in exilium deportari curauerint: ægerrimè enim ferebant Romæ Sedem Sacerdotis collocari; ita vt scribat D. Cypr. lib. 4. epistola 2. quod multò patientius & tolerabilius Imperatores audirent leuari aduersus se æmulum Principem, quàm Romæ constitui Dei Sacerdotem. Secundò, quia Gothi per plurimos quoque annos Romam vexarunt, & vastarunt sæpius, vt patet ex epistola Hier. ad Principiam de obitu Marcellæ, & ex alijs historijs. Longobardi quoque per plures annos Romam infestarunt. Tertiò ipse populus Romanus per multos annos fuit Pontifici infestissimus, vt patet ex 168

epistolis Bernardi 242. ad populum Romanum, & 243. ad Imperatorem, & ex alijs historijs. Denique per septuaginta annos resederunt Pontifices in Gallijs, nunquam tamen Pontificatum separarunt ab Ecclesia Romana; ergò &c.

169 Probatur denique Conclusio, quia hâc ratione fit, vt continuâ & perpetuâ successione Summi Sacerdotis in vnâ Cathedrâ reddantur fideles omnes certiores & securiores de Ecclesiæ Capite: adeoque Caput ipsum sic euadit illustrius, & magis conspicuum vniuerso mundo; quàm si per temporum varietates in diuersis Cathedris subsisteret: ergo videtur hoc ad diuinam prouidentiã pertinuisse vt pro maiori Ecclesiæ profectu & soliditate ordinaret ac institueret, quod Primatus Ecclesiæ perpetuò vniendus esset vni certæ & determinatæ Cathedræ, cuius Episcopatus in Pontificatum vniuersalẽ eueheretur. Quare id ex Christi mandato sic à Petro factũ esse, omnino est existimandum.

170 Quæret aliquis: à quo potestatem suam accipiat nouus Pontifex? Respondetur breuiter accipere immediatè à Christo Domino, cuius est Vicarius primus & generalis in Ecclesia militante. Ita docent communiter D D. Theologi & Canonistæ. Et ratio est, quia potestas omnis vel datur à Superiore vel à multitudine quæ [illegible] regendi in hoc genere habet ius & authoritatem: Pontifex autem non habet alium Superiorem, quàm Christum; à multitudine autem hanc potestatem non accipit, sicuti ordinariè Reges & Imperatores à Rep. accipere solent: quia non potest communitas dare potestatem quæ originaliter in ipsa non resideat: manifestum autem est quod potestas illa Spiritualis Regendi Ecclesiam Dei non sit ab origine in populo, sed tantùm à Christo dependens: & proinde ab eo conferenda sit. Neque refert, quòd à Collegio Cardinalium Pontifex eligatur, quia eligendo tantùm personam designant, cui Christus vices suas tunc committit & authoritatẽ gubernandi Ecclesiam tribuit, quemadmodum ante diximus: sicuti quando Canonici eligunt Decanum, vel Clerus Episcopum, non ipsi electores tribuunt eis regendi & administrandi potestatem: sed Superior qui eos iam electos instituit, aut confirmat.

DVBIVM IV.

Vtrùm Petri Successor, siue Pontifex Romanus sit Supremus Iudex in controuersijs fidei & morum dijudicandis?

Respondetur affirmatiue, & probatur primò ex Scripturis: Deutro. enim c. 17. clarè docetur, quod dubia de religione exorta ad Summum Pontificem debeant referri dijudicanda: *Si difficile & ambiguum iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, inter causam & causam, lepram & lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotem* &c. & infra: *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel.* 171

Vbi obseruandum est duas personas in illo textu distingui Pontificis, & Iudicis siue Principis: & quidem Sacerdoti iudicium de causa: Principi autem executionem demandari. 2. Paral. cap. 19. Omnis quæstio de lege, de mandato, de cæremonijs & iustificationibus remittitur ad Leuitas & Sacerdotes, & additur; *Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit*: Ioannis 21. dicitur Petro: *Simon Ioannis pasce oues meas.* Vbi Petrus constituitur vniuersalis Pastor totius Ecclesiæ, & in ipso omnes eius successores, vt supra demonstratum est dubio primo & secundo: atqui Pastoris est discernere & dijudicare inter pascua ouili suo commoda, & perniciosa: ergo &c. Hinc D. Hier. vir doctissimus in quæstione & controuersiâ de tribus Hypostasibus nec eruditioni propriæ, nec Orientalium Episcoporum sententię, nec etiã sui proprij Episcopi Paulini Patriarchæ Antiocheni satis fidens authoritati, sic scribit ad Damasum Papam: A Pastore præsidium ouis flagito, discerne si placet: non timebo tres Hypostases dicere, si iubebis. Vbi manifestè Hieronym. supremum Iudicem in genere fidei agnoscit Romanum Pontificem. Similiter Theodoretus etiam vir eruditissimus inter Gręcos, scribit ad Leonem I. in hæc verba: Si Paulus præco veritatis, tuba Sanctissimi Spiritus ad magnum Petrum cucurrit, vt ijs qui Antiochię de institutis Legalibus contendebant, ab ipso afferet solutionem, multò magis nos qui abiecti sumus & pusilli ad Apostolicam vestram Sedem currimus, vt Ecclesiarum vlceribus medicinam à vobis accipiamus. Prosper in Chronico anni 410. Concilio, inquit, apud Carthaginẽ habito 172

ducento-

ducentorum sedecim Episcoporũ, ad Pontificem Sozimum Synodalia decreta perlata sunt; quibus probatis per totum mundum Hæresis Pelagiana damnata est.

173 Ex quibus patet, quòd semper Episcopi & Patres detulerunt Supremum & vltimum iudicium in controuersijs fidei Romanæ Sedi. D. Greg. qui omnium iudicio fuit vir modestissimus, & nihil arroganter sibi assumens, ita scribit epistola 52. lib. 4. ad omnes Episcopos Galliæ: Si quam verò contentionem (quod longè faciat diuina potentia) de fidei causâ euenire contigerit, aut negotium emerserit, cuius vehemens sit dubietas, & pro sui magnitudine, iudicio Sedis Apostolicæ indigeat, examinatâ diligenter veritate, relatione sua ad nostram studeant perducere notionem, quatenus valeat à nobis congruâ fine dubio sententiâ terminari.

174 Probatur denique ratione Theologicâ: quia iam supra ostensum est, Rom. Pontificem esse Petri Successorem in Primatu vniuersalis Ecclesiæ, atque adeo ipsum esse Pastorem & Caput totius Ecclesiæ: atqui euidens est ad supremum Principem cuiuscumq; Reip. aut Communitatis pertinere supremum & vltimum iudicium omnium controuersiarum, quæ statum talis Reip. concernunt: ergo hoc ipsum de Rom. Pontifice dicendum est in controuersijs fidei & morum dijudicandis: idque tanto magis, quòd non à multitudine siue ab Ecclesia, sed immediatè à Deo suam accipiat potestatem & supremum Pontificatum.

DVBIVM V.

Vtrùm Pontificis iudicium in controuersijs fidei & morùm dijudicandis sit certum & infallibile?

175 PRo resolutione, Sit Conclusio prima: Iudicium Romani Pontificis cum Cõcilio generali in definiendis fidei controuersijs, aut quæstionibus morum omnino infallibile & certissimum est. Ita sentiunt omnes Catholici: estque Conclusio certa de fide contra hæreticos nostri temporis, vt Lutherum in lib. de Concilijs, & Calvinum lib. 4. Institutionum c. 9. & alios eorum asseclas; qui contendunt Pontificem etiam cum toto Cõcilio generali posse errare, & hæresim docere, ac definire: & ita volunt de facto aliquando accidisse. Quare nullam Ecclesiæ doctrinam existimant vnquam ita certam esse habendam, quin liceat semper eam reuocare iterum ad incudem, & ad Dei verbum, vt loquitur Arminus, tanquam ad Lydium lapidem examinare: atque ita iuxta vniuscuiusque stolidum cerebrũ licebit omnem doctrinam à maioribus traditam, & acceptã repudiare: ac noua figmenta & somnia obtrudere.

Vnde futurum est, quod nullius omnino sententiæ aut Conclusionis fidei vlla erit certitudo, nequidem etsi verbotenus in Scripturis Sanctis exprimatur: quia vnicuique licebit sensum eius in dubium reuocare, & ad alia Scripturæ loca iterum conferre & examinare: non obstante quod planus eius sensus hactenus ab Apostolis & Apostolicis viris satis manifestè fuerit Ecclesiæ traditus & explicatus, vel etiam vnanimi consensu Ecclesiæ definitus. Quæ doctrina in se absurdissima est, & satis se ipsam confutat: sed veritas Conclusionis magis confirmabitur ex dicendis, tum in Conclusionibus sequentibus, tum in Tractatu de Ecclesia quem subiungemus. Vnde amplius. 176

Dico & sit Conclusio Secunda: Pontificis iudicium in quæstionibus fidei determinandis non tantùm cum Conc. generali, sed etiam quandocumque ex Cathedrâ loquitur, & Ecclesiam totam docet cum obligatione ad ita credendum & docendum, est prorsus certum & infallibile. Est hæc assertio non tantùm contra hæreticos, sed etiam contra Catholicos nonnullos, vt contra Gersonem & Almainum de potestate Ecclesiæ; contra Alphonsum à Castro lib. 1. cap. secundo & quarto aduersus hæreses, Adrianum in 4. quæst. de Confirmatione ad secundum principale circa finem. Tenetur autem cõmuniter ab alijs Catholicis, ita vt opposita sententia habeatur improbabilis. Sic tenent S. Tho. hic art. 10. Waldensis lib. 2. doctrinæ fidei cap. 47. & 48. Ioannes de Turrecremata lib. 2. Summæ cap. 109. & sequentibus. Driedo lib. 4. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 3. parte 3. Caiet. in Opusculo de potestate Papæ & Concilij. Estkius lib. 1. de Primatu Petri cap. 18. Ioannes à Louanio de perpetua Cathedræ Petri protectione & firmitate cap. 11. Petrus Soto in Apologiâ suâ parte 1. cap. 83. & sequentibus. Melchior Canus lib. 6. de Locis Theologicis cap. 3. & recentiores passim omnes. 177

Probatur Primò ex Scripturis: Matth. 16. Petrus pronuntiatur Petra super quâ sit ædificanda Ecclesia, aduersus quam portæ inferi nunquam sint præualituræ: quod non Petro tantùm pro suo tempore, sed in ipso omnibus eius Successoribus promissum esse à Christo, supra ostensum est: ergo nunquam Petri Successor siue Rom. Pontifex deficere potest in sustentando 178

tando

tando Ecclesiæ ædificio: nam labefactato fundamento & in suo officio deficiente, mox ædificium inclinari & corruere necesse est: atque ita portæ inferi aduersus Ecclesiam præualerent: atqui si Pontifex vt vniuersalis Pastor & ex Cathedra Ecclesiam docens traderet, & proponeret ei erroneas doctrinas, ac hæreses tenendas ac credendas, iam manifestè deficeret in ratione fundamenti & sustentationis Ecclesiæ: quia iam non sustineret eam, sed in ruinam inclinaret & corruere faceret: ergò omnino dicendum est, id prorsus fieri non posse.

179 Dicet aliquis: Pontifex est Petra & fundamentum Ecclesiæ, ac sanæ fidei: sed adhibendo simul ipsam Ecclesiam siue Conc. generale. Verum contra facit, quod sic fundamentum non præberet soliditatem ædificio; sed ab ædificio soliditatem acciperet, quod est contra omnem rationem. Lucæ 22. *Simon Simon, ecce Sathanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos:* hic Dominus primò rogat vt Petrus quantumcumque à Diabolo tentaretur, à fide non excideret: quod docet Aug. lib. de Correptione & Gratia cap. 8. Quando rogauit (inquit) vt non deficeret fides eius, rogauit vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimam voluntatem. Et Chrys. hom. 83. in Mattheum: Non dixit, inquit, non negabis, sed vt non deficiat fides: curâ enim ipsius & fauore factum est ne omnino Petri fides euanesceret. Similia habet Theophyl. in cap. 22. Lucæ: Non rogauit autem hoc loco Dominus tantum pro Petro, sed etiam pro alijs Apostolis, saltem mediatè, quod colligitur primò ex orationis causa quam præmittit, scilicet Sathan expetiuit, vt cribraret vos, non dicit Petrum tantùm, sed vos. Deinde ex eo quod addit Dominus: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos quo significat se impetrasse vt quantumuis Petrus in fidei confessione foret perturbandus, quod tamen ex fide seruatâ iterum ad pænitentiam esset conuertendus: quodque sic mediante Petri firmitate, etiam cæteri Apostoli postmodum essent in fide confirmandi.

180 Atque ita duas dotes hic Petro Christus impetrauit, fidei scilicet indefectibilitatem pro particulari eius personâ; quod significant Patres supra citati, & infallibilem firmitatem in rectè instruendis & confirmandis fratribus in sanâ fide: quod ei conuenit quatenus futurus erat Primas ac Princeps inter Apostolos confratres suos, quos Christus voluit à Petro firmari.

Vtrum autem prior ista dos transeat ad eius successorem dubitatur, qua de re infra aliquid dicemus: sed quia posterior non tam in gratiam Petri, quàm in vtilitatem confratrum & Coëpiscoporum, ac omniũ fidelium fuit ei impetrata, dubitari non potest, quin hæc ad successores eius quoque pertineat; ijsdemque Christus in Ecclesiæ fauorem suâ istâ oratione eam impetrauerit. Vnde & Almainus admittit hac oratione impetratũ esse, vt fides Ecclesiæ nunquam deficiat; sed vult quòd Christus proximè & immediatè orauerit pro Ecclesia vniuersali, siue pro Petro, vt totius Ecclesiæ figuram gerebat. 181

Verùm omnes circumstantiæ textus apertè indicant Dominum peculiariter orasse pro Petro, & pro successoribus: pro reliquis autem, vt per Petrum acciperent quod ipsis pro soliditate conueniebat. Nam inprimis Petrum bis compellat nomine proprio Simon Simon. Deinde cum dixisset: *Sathanas expetiuit vos* (id est Apostolos omnes & in ipsis Ecclesiam totam) subitò mutauit formam sermonis pluralis: & dixit: *Ego rogaui pro te:* certe si proximè rogasset pro totâ Ecclesiâ, debuisset dicere potius: Ego rogaui pro vobis: nulla enim poterat subesse causa mutandi sermonis. Similiter non dicit etiam, vt non deficiat fides vestra, quod potuisset intelligi dictũ toti Ecclesiæ simul congregatæ: *Sed vt non deficiat fides tua.* Tertiò, quia additur: *Et tu aliquando conuersus*, hoc enim non potest accommodari toti Ecclesiæ, nisi velimus dicere, quòd Ecclesia aliquando tota cadat, saltem à perpetua sua dote sanctitatis, vt postea iterum conuertantur. Quartò, quia pro illo proximè rogatur, cui dicitur: *Confirma fratres tuos:* sed Ecclesia vniuersalis fratres non habet, quos possit aut debeat confirmare; ergò immediatè pro Petro tanquam Pastore Ecclesiæ vniuersalis eiusque in ea functione successoribus Christus rogauit, eisdemque impetrauit infallibilem firmitatẽ, vt sine errore possint perpetuò fratres docere, & confirmare in ijs quæ sunt sanæ fidei. 182

Confirmatur tandem hic sensus dictæ Scripturæ, & simul ipsa Conclusio authoritate Sanctorum Pontificum & Patrum. Lucius I. Papa & Martyr epistola 1. ad Episcopos Hispaniæ & Galliæ: Ecclesia Romana, inquit, Apostolica est, & mater omnium Ecclesiarum, quæ à tramite Apostolicæ traditionis nunquam probatur defecisse, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit secundum ipsius Domini pollicitationem, dicentis: *Ego rogaui pro te* &c. Fœlix I. in epistola ad Benignum loquens de Romana Ecclesiâ, ait: vt in exordio 183

ordio fidei Christianę percepit ab authoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata manet iuxta illud: *Ego rogaui pro te*, &c. Leo serm. 3. de sua Assumptione: Specialis cura Petri à Domino suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro igitur fortitudo omnium munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis cæteris conferatur. Vbi D. Leo vtramque dotem, quam diximus hic Petro impetratam agnoscit: priorem, quando dicit: Si mens Principis victa non fuerit: & posteriorem, quando addit: In Petro igitur fortitudo omnium munitur, vt firmitas per Petrum Apostolis cæteris conferatur. Agatho Papa in epistola ad Constantinum: Dictum est Petro: *Simon Simon, ecce Sathanas*, &c. *Ego autem rogaui pro te*: hic Dominus fidem Petro non defecturam, inquit, promisit; & confirmare eum fratres suos admonuit: quod Apostolicos Pontifices meç exiguitatis prædecessores cõfidenter fecisse semper cunctis est agnitum. Nicolaus I. in epistola ad Michaëlem: Priueligia istius Sedis (scilicet Romanæ) perpetua sunt, diuinitus radicata atque plantata: & infrà rationem addens: Nam, inquit, & inter cætera is per quem nobis præcipuè ista sunt priuilegia collata: *Tu aliquando conuersus*, audiuit à Domino, *confirma fratres tuos*. Leo IX. in epistola ad Petrum Antiochenum: Nimirum solus est pro quo ne deficeret fides eius, Dominus & Saluator asseruit se rogasse &c. quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecerit, nec defectura creditur in trono illius. Innocent. III. Capitulo maiores: de Baptismo & eius effectu: Maiores, inquit, Ecclesiæ causas præsertim articulos fidei contingentes ad Petri Sedem referendas intelligit, qui nouit pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides eius. D. August. siue quicumque author est quæstionum noui & veteris testamenti, quæst. 75. Rogans pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur: semper enim in Prępositò populus aut corripitur, aut laudatur. Vbi inprimis manifestè supponitur quod Petrus sit Præpositus omnium. Deinde significatur quod pro eo etiã in qualitate Præpositi Dominus rogauerit: quia ad omniũ vtilitatem, vt scilicet ipse reliquos confirmaret. Theophylactus in hunc locum: Quia te habeo Principem discipulorum, confirma cęteros; hoc enim decet te, qui post me Ecclesiæ Petra & fundamentum es. D. Bernardus epistola 190. quæ est ad Innocentium: Oportet ad vestrum, inquit, referri Apostolatum pericula quæque & scandala regni Dei; ea præsertim quæ de fide contingunt: dignũ namque arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum: Cui enim alteri Sedi dictum est aliquando: Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua?

Probatur denique Conclusio ratione Theologicâ: Quia Rom. Pontifex est vniuersalis Pastor & Doctor totius Ecclesiæ, vtpote cui dictum est Ioannis 21. *Pasce agnos meos, pasce oues meas*, sicut supra latius fuit explicatum: ergo Ecclesia tota debet eum audire & sequi; oues enim sequi debent Pastorem suum. Si posset igitur iste errare in docendo ea quæ fidei sunt, consequenter fieret, quod Ecclesia tota in fide erraret. 184

Dicet forsitan aliquis, Ecclesiam debere illum audire, si tamen rectè doceat: alioquin magis Deum, quam homines audiendos. Sed ab illo opponente pro responsione quærendum est: quisnam iudicabit, vtrùm benè an malè doceat Pontifex? cùm Christiani non agnoscant alium maiorem Iudicem, aut Doctorem sibi diuinitus datum, ad quem recurrere possint, vt ex supra allegatis verbis D. Hieronymi, & aliorum Patrum manifestum est. Dicet forsitan, posse recurri ad Concilium generale. Contra hoc autem facit inprimis: quia si loquatur de Concilio generali absque Rom. Pontifice, constat eiusmodi Concilium errare posse: atque adeo quædam de facto errasse, vt Ephesinum secundum, Ariminense, & alia quædam: si autem sermo sit de Concil. generali cum Pontifice, Contra facit primo: quod Dominus soli Petro dixerit: *Rogaui pro te* &c. rursùm; *Pasce agnos meos, pasce oues meas*. Item quod Petrum solum dixerit Petram, super quâ fundanda ædificandaque sit Ecclesia: quæ omnia iam ante latius deduximus. Quare non plus certitudinis & firmitatis in toto Concilio quam in Pontifice constituendum venit: vtpote quod firmitatem suam à Pontifice recipit. Deinde si Pontifex & reliquum corpus Concilij inter se dissentirent, quis tunc iudicabit? 185

Accedit sæpe fieri, quod non possit Concilium generale cogi seu congregari, siue propter persecutores, siue propter alios Ecclesiæ perturbatores: & tamen frequenter oriuntur controuersiæ graues in negotijs fidei. Sic primis 300. annis non potuerunt cogi Concilia generalia propter varias persecutiones; & tamen diuersæ fuerunt exortæ quęstiones quæ necessariò terminari debuerunt, ne fides syncera inficeretur: 186

ficeretur: quia hæreticorum sermo vt cancer serpit. Vnde si oporteret semper exspectare Conc. generale antequam aliquid certi determinari ac definiri possit, plurima incommoda Ecclesię obuenirent.

187 Probatur Secundò ratione, quia plurimi Rom. Pontifices damnarunt varios errores tanquam hæreses sine Concilio generali: qui postea ab Ecclesiâ vniuersâ pro hæresi sunt habiti: sic errores Pelagij damnarunt Innocentius, Sosimus, Cœlestinus sine generali Concil. vt patet ex Prospero contra Collatorem. Idem constat factum à Sixto in damnandis reliquijs Pelagianorum. Errores Prisciallinistarum dãnauit Leo I. vt patet ex eius epistola 93. Victor II. Nicolaus II. & Gregorius VII. damnarunt errores Berengarij. Item Innocentius II. errores Petri Abailardi: vt patet ex epistola 194. inter epistolas Bernardi. Sic alij Pontifices alios errores diuersos damnarunt. Ita quoque plurima Concilia particularia celebrata sunt Romæ, & alibi in quibus varij errores sunt damnati, quæ à Pontificibus sunt confirmata: & exinde definitiones ab Ecclesiâ habentur pro determinationibus fidei, & oppositum quod damnarunt tanquam hęresis reijcitur.:

188 Dicet forsitã aliquis: definitiones eiusmodi ratas fuisse, quia ab Eccl. vniuersali receptæ sunt. Sed contra, quia nunquam visum est tale iudicium Rom. Pontificis reijci, aut ab Ecclesiâ de eo dubitari, sed dogmata sic damnata semper quoque ab omnibus Catholicis fuisse reiecta; ergo non ideo debent istæ determinationes dici haberi certæ ac infallibiles, quia Catholica Ecclesia eas accipit; sed contra, ideo Ecclesia eas accipit, & semper recipit; quia à Summo Pastore quem agnoscit fundamentum & pro cuius stabilitate nouit orasse Christum, proficiscuntur. Vnde Concilia particularia sine Pontifice celebrata semper curarunt sua decreta quæ fidem concernunt, à Rom. Pontificibus approbari: quia sine eâ, rata ac certa minime habenda apud alios nouerant: illâ vero accedente ab omnibus è contra approbanda & recipienda credebant.

189 Sed quæret aliquis: Vtrũ definitio Pontificis in difficultatibus fidei sit quoque certa & infallibilis si per se solum, etiam absque Concilio Cardinalium & Doctorum virorum illam edat & Ecclesiæ proponat? Respondetur omnẽ omnino Pontificis determinationem in dubijs quęstionibus fidei semper esse certam & infallibilem, quandocumque ex Cathedrâ loquitur & definit, ac sub Anathemate proponit ab omnibus fidelibus ita tenendum & credendum esse, etsi desuper Concil. Prouinciale non conuocauerit, neque Concilium Cardinalium aut aliorum adhibuerit.

Dices: Omnes docent Pontificem in talibus negotijs prudenter & maturè pro rei aut quæstionis grauitate debere procedere: ergo si secus fecerit, non erit eius iudicium certum &. infallibile habendum. Respondetur verũ esse quod debeat prudenter & maturè agere & procedere: sed omnino tenendum & præsupponendum est, eum quandocumque ex Cathedrâ definit & Ecclesię toti pręponit credendum sub anathemate, nunquam temerè procedere: verùm semper tunc maturitatem & prudentiam debitam adhibere: hoc enim omnino de Christo Domino confidere & credere oportet, quod sicuti promisit, & suâ oratione impetrauit Petro, vt fratres suos infallibiliter docendo confirmaret, sic quoque nunquam ei defuturum in medijs necessarijs adhibendis ad finem illum consequendum: atque adeo ita perpetuò directurum illum, qui in Petri Cathedrâ sedebit, vt nihil vnquam prætermittat quod sit requisitum ad certitudinem & infallibilitatẽ doctrinæ ex Cathedrâ procedentis: alioquin de omni definitione Pontificis, saltem extra Concilium generale pronuntiatâ, moueri posset dubitatio: vtrum satis grauiter & prudenter in tali determinatione processisset. 190

Quin & similis quæstio semper moueri posset etiam de rebus definitis per ipsum Concilium generale cum Pontifice. Quare licet Pontifices nunquam soleant quęstiones fidei determinare, nisi adhabitis Concilijs saltem Cardinalium, & aliorum doctorum virorum, qui in lege Domini maximè sint versati; idque ordinariè facere teneatur, quia Deus regit & docet Ecclesiam suam secundum ordinariam legem, concurrentibus etiam humanâ sollicitudine, diligentiâ, & doctrinâ, tamen si contingeret Pontificem ex Cathedrâ determinare quæstionem aliquam per se solum, non idcirco illa definitio habenda esset temeraria, aut imprudens: sed potius præsupponendum, quod non requireret ampliorem indaginem, vel quod peculiari instructione & instinctu Spiritus SanctiPõtifex sic sapienter processerit & rem definierit. 191

Conclvsio Tertia: Similiter Romani Pontificis iudicium in decretis morum, quæ toti Ecclesiæ præscribit, est quoque omnino certum & infallibile: sic vt fieri non possit quod lege vniversali, quæ totam Ecclesiam concernat, mandet quippiam per se malum, aut saluti contrarium, vel prohi- 192

prohibeat aliquid quod est ad salutem necessarium: verbi gratia, vt mandet circumcisionem, aut interdicat vsum baptismi, aut Sacramenti pœnitentiæ: quæ sic explico, quia alioquin non est inconueniens dicere posse Pontificem in aliquibus legibus ferendis errores aliquos committere, verbi gratia, quod condat legem aliquã superfluam, aut minus vtilem, vel apponat grauiorem pœnam, quàm mereatur transgressio: quanquam non sit subditorum de talibus iudicare. Probatur nunc Conclusio, Primò: Quia si Pontifex in lege circa mores per se bonos aut malos aberraret, consequenter etiam erraret circa fidem: nam fides Catholica docet omne vitium malum esse, & fugiendum, & è contrà omnem virtutem esse bonam, & tempori & loco amplectendam: si autem virtutes prohiberet, & vitia præciperet, deberet Ecclesia credere illas esse malas, & hæc esse bona, nisi vellet contra conscientiam operari. Deinde hoc etiam impediret Ecclesiæ sanctitatem, ad quam spectat quod eius professio & leges sanctæ sint: & in nullo rectæ rationi aduersentur. Similiter si aliqua alia contra salutem ordinaret, grauissimè læderetur Ecclesia tota, & erraret in rebus necessarijs, quod diuinæ prouidentiæ minimè est consentaneum:& aduersatur promissioni Christi Ioannis 16. Cum venerit Spiritus ille veritatis docebit vos omnem veritatem. Sed contra Conclusiones

193 Objicitur Primò: Si Pontificis iudicium in quæstionibus fidei determinandis, & in decretis morum edendis sit modis explicatis certum & infallibile, ergo frustra aliquando conuocantur Concilia, aut certè minimè necessaria sunt. Respondetur Negando Consequentiam: nam inprimis etsi Pontifici infallibiliter Spiritus Sanctus assistat in eiusmodi negotijs dijudicandis, nihilominus tamen non debet is negligere media ordinaria, quibus deueniri potest & solet ad veram rei cognitionem de quâ agitur: nam per hæc sæpius facit Spiritus Sanctus innotescere veritatem primitùs reuelatam, & in sinu Ecclesiæ depositam, licet postmodum fuerit nonnihil obscurata. Vnde & Spiritus Sanctus Pontificem ad ea adbibenda mouet, quando per ea vult illum in difficultatibus propositis instruere: vnum autem principalius ex istis ordinarijs est Concilium maius aut minus pro grauitate negotij de quo agitur: est enim obuia & facilis ratio cognoscendi depositas apud Ecclesiam veritates, quod in vnum ex omnibus aut pluribus Prouincijs conueniant Episcopi & singuli referant sensum & consuetudinem Ecclesiæ suæ circa res controuersas.

Vnde etiam Apostoli Actorum 15. Conuocarunt Concilium, licet dubium non sit, quin Petrus haberet infallibilem Spiritus Sancti assistentiam in doctrinâ fidei Ecclesiæ proponendâ & edocendâ: nec ille tantum, sed etiam Paulus & alij Apostoli iam Spiritu Sancto omnino repleti, qui in omni occasione doceret eos omnem veritatem. Accedit quod Concilia insuper vtilissima sint, vt decreta citiùs vbique innotescant, & suauiùs per totam Ecclesiam recipiantur: siquidem aliàs nonnulli ignorantiam prętexere possent: alij conqueri quod ad eiusmodi definitiones non sint vocati: alij tandem etiã suggillare & dicere, potuisse Pontificem errare quando generale Cõcilium non adhibuit: quæ omnia cessant, quando ex omnibus Prouincijs Episcopi vocati sunt, & subscripserunt. Et quidem illa tanti sunt momenti, vt ijs de causis, plures antiqui sic loquantur: de Concilijs etiam generalibus quasi forent aliquando necessaria ad sinceram fidẽ & sanum regimen Ecclesiæ intertenenda: Aug. l. 4. contrà duas epist. Pelagianorum c. 12. & l. 1. de Bapt. c. 7. Isidorus in præfatione Conciliorum. Constantinus quoque refertur scripsisse, Non posse Christianã Religionem in tuto collocari, nisi vel omnes Episcopi, vel maxima eorum pars in vnũ conuenissent: non quod sint simpliciter necessaria, sed quia propter allegatas rationes tã sint vtilia, nõ obstante certâ definitione Pontificis, vt quodãmodo iudicari possint aliquando necessaria. 194

Objicitur Secundò: Diuus Cyprianus pertinaciter restitit Stephano Papæ definienti baptizatos ab hæreticis non esse rebaptizandos: vt patet ex eius epistola ad Pompeum: & tamen non fuit idcirco hæreticus habitus, aut ab Ecclesia separatus: ergò definitio Pontificis non est habenda certa & infallibilis tanquam dogma fidei. Confirmatur ex Diuo Augustino qui libro 2. contra Donatistas capite 7. & sequentibus docet diuersos diuersimodè de quæstione illâ inter Stephanum & Diuum Cyprianum agitatâ, fuisse locutos, & sensisse: ac potuisse Diuum Cyprianũ & alios saluâ charitate inter se dissentire, quando non accesserat generalis Concilij definitio. Respõdetur, Cyprianũ non fuisse hæreticũ, tùm quia Stephanus non definierat tanquam de fide, quod hæretici non essent rebaptizandi: sed tantum mandauerat quod antiqua consuetudo Ecclesiæ non rebaptizandi, obseruaretur ab omnibus: noluit enim summus Pontifex rem absolutè definire sine 195

Concilio Generali, vnde post obitum D. Cypriani demum, & ante D. Augustini natiuitatem, fuit ea quæstio in Concilio Generali determinata ac definita, vt docet Diuus Augustinus suprà libro 2. de Baptismo capite 8. & hinc patet responsio ad confirmationem ex D. Augustino factam.

196 Dices: Augustinus libro de vnico baptismo cap. 14. scribit, Quod Stephanus non rebaptizaret hæreticos: verùm etiam hoc facientes, vel vt fieret decernentes excommunicandos esse censeret: ergo videtur quod absolutè Stephanus quæstionem illam definiuerit. Respondetur Negando Consequentiam: quia non dicit Augustinus quod eos excommunicauerit; sed solùm quod excommunicandos censuerit, id est, dignos qui excommunicentur, vel quod eis excommunicationem comminatus fuerit. Quod autem non absolutè damnauerit illos cum authoritate, patet ex eodem Diuo Augustino, qui ibidem dicit, Quòd cum Stephano Cyprianus in vnitatis pace permansit,& quod duo erant eminentissimi Episcopi, ambo in vnitatę Catholicâ constituti.

197 Objicitur Tertiò: Concilium Africanum in epistolâ ad Cœlestinum Papam, indicat minùs posse errare Conciliũ Prouinciale, quàm Romanum Pontificem: Ita enim scribit. Nisi fortè quisquam est, qui credat vnicuique posse Deum nostrûm examinis inspirare iustitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare: atqui certum est Concilium Prouinciale posse errare, ergo &c. Respondetur Concilium istud non agere ibi de iudicio fidei, sed de iudicio facti, id est, de causis Episcoporum & Præsbyterorum, qui de crimine aliquo accusabantur: cuiusmodi iudicium existimabant Patres illius Concilij posse suauiùs & certiùs ferri ab Episcopis istorum locorum, vbi erant crimina commissa, quàm à Romano Pontifice, qui propter locorum distantiam non poterat ita rectè & certò informari: quique proinde multis modis poterat ab impostoribus circumueniri, & decipi. Vnde non ita bene ferebant, quod Romani viderentur esse faciliores in admittendis appellationibus Criminosorum à iudicio, non tantum sui Episcopi; sed totius Synodi Prouincialis. Accedit quod illa epistola non contineat determinationes, sed tãtùm opinionem & sensum Episcoporum illius Prouinciæ, declaret & explicet. Vnde sit

198 Conclusio Quarta: Potest tamen Pontifex non tantùm vt priuata persona, sed etiam vt publica: non tantùm sine Concilio, sed etiam cum Concilio errare in iudicio super particularibus quæstionibus & controuersijs facti, quarum determinatio tantùm pendet ex hominum depositionibus & testimonijs, ad generalitatem autem morum non pertinet. Item errare potest vt priuatus Doctor in quæstionibus Iuris vniuersalis tam fidei, quam morum ex ignorantia, sicut alijs Doctoribus accidit. Est hæc Conclusio secundum vtramque partem communis omnium Catholicorum, & eandem hæretici libenter admittunt qui volunt eum etiam in quæstionibus fidei ex Cathedrâ posse errare, vt dictum fuit, & è contrà reprobatum. Sic itaque iuxta conclusionem potest errare Pontifex, v.g. in deponendo Episcopo ex crimine, quod ab aduersarijs illi falsò opponitur. Similiter in illo absoluendo à crimine, quasi non esset eius reus, quod tamẽ verè illi objicitur: atque ita potest dici errasse Synodus 6. in damnatione Honorij, quem ex malis informationibus, aut eius scriptis non bene intellectis existimauit fuisse Monotelitam hęreticum; cum tamen non fuerit, vt infrà explicabitur latiùs. Sic quoq; Ioan. XXII. vt particularis Doctor, errauit in generali quæstione, quando tenuit animas Iustorum defunctorum non visuras Deum ante diem Iudicij, qui tamen ob id non fuit Hæreticus, quia pro illo tempore res ista determinata nondum erat.

Et quamuis aliquando propenderit ipse ad definitionem ex Sede ferendam, non tamen ad effectum deduxit: quia dum esset in præparatione & in consultationibus, morbo & morte superuenientibus, fuit impeditus. Vnde Ioannes Villanus libro 11. Histor. capite 19. refert Ioannem Papam pridie ante mortem priuatim se explicuisse, & priuatim reuocasse opinionem suam: ac inprimis declarasse, Quod nunquam in animo habuisset definire istam difficultatem, quando de illâ disputauit: sed voluisset tantum veritatem inuestigare. Deinde addidisse, & si alteram opinionem tenuisset, quod mutatâ tamen tunc opinione suâ, existimaret oppositam esse probabiliorem & veriorem. Ita quoque errauit Cœlestinus, quando existimauit Matrimonium fidelium solui per hæresim, sic vt liceret illi coniugem aliam accipere, cuius prior in hæresim prolapsus fuerit. Sed neque cum pertinaciâ ita sensisse constat, neque ex Cathedrâ rem sic habere definiuit. 199

Dicet aliquis, illam Cœlestini sententiam olim exstitisse in Decretalibus, prout se vidisse testatur Alphonsus à Castro libro 200

libro 1. de hæresibus, capite 4. ergo videtur Cœlestinus definiuisse propositionem erroneam in fide. Item Alexander III. Capitulo: Licet, de Sponsâ duorum, cùm definiuisset matrimonium ratũ cum vnâ non solui per subsequens matrimonium consumatum cum alterâ, adiungit: Quamuis aliter à quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando iudicatum: ergo quidam Pontifices videntur aliquando definiuisse errores. Respondetur: quidquid sit ea de re, vtrum illa Cœlestini resolutio, siue sententia fuerit aliquando in Decretalibus, an non; nihilominus negandam esse consequentiam: quia non omnia rescripta & responsa Pontificum, quæ in Iure Canonico recensentur, sunt habenda tanquam quæ ex Cathedrâ sint prolata. Vnde nec omnia faciunt rem illam fidei, super quâ dantur.

201 Quod inprimis satis manifestè indicat Innocentius III. Capitulo Quanto: de Diuortijs, de hâc ipsâ Cœlestini responsione, de quâ sic scribit: In eodem casu, licet quidam prædecessor noster, sensisse aliter videatur. In eo namque quod dicit quendam suum prędecessorem aliter sensisse, & non dicat aliter definiuisse aut determinasse, satis declarat quod prędecessor ille tantùm secundum suam particularem sententiam, vt doctor priuatus responderit: quemadmodum & idem Innocentius ibidem ex suâ priuatâ sententiâ contrarium resoluit dum sic scribit: Si verò alter fidelium coniugum vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus quod in hoc casu is qui relinquitur, viuente altero possit ad secundas nuptias conuolare. Quod enim non ex Cathedrâ respondeat satis patet: eò quòd opinatiuè tantum dicat: Non credimus &c. Vnde à nonnullis assignantur quædam veluti Regulæ, quibus dignosci possit, quando eiusmodi Pontificum responsa non habeant rationem & vim definitionis ex Cathedrâ: quarum prima sit:

202 Quandocumque Pontifex non omnino asseueranter loquitur, sed tantum per modum opinantis, aut cum aliquâ dubitatione, certum est signum, quod non intendat rem definire ex Cathedrâ. Vt quando dicit, Quantum apparet, aut Sic sentimus, aut Opinamur, vel aliquid simile. Secunda est: Quando Pontifex in suis responsis addit aliquid præter illud de quo principaliter consulitur, non censetur illa additio pertinere ad definitionem quam facit; sed tantum ex particulari eius opinione procedere: quemadmodũ quando Nicolaus Papa respondens ad consulta Bulgarorum, addidit sententiam suam priuatam de valore baptismi in nomine solius Christi collato. Tertia: Quando Pontifex rescribit tantùm alicui priuatæ personæ, aut particulari alicui Ecclesiæ, & non significat se hoc vniuersaliter toti Ecclesiæ præscribere mandando sub Anathemate, vt sic ab omnibus teneatur, aut addendo secundum Euangelicam vel Apostolicam doctrinam ita esse tenendum, tunc quoque rescriptio non videtur censenda tanquam definitio ex Cathedrâ, quæ rem faciat esse fidei.

Neque hæc mira videri debent, quia multa referuntur ad Summum Pontificem tanquam supremum Iudicem, non quidem semper, vt ipse tanquam Ecclesiæ vniuersalis Doctor ex infallibili Spiritus Sancti assistentiâ illa diiudicet; sed sæpius tantum, vt authoritate supremâ secundum suam sapientiam & prudentiam particularem, desuper dicat iudicium; & difficultatibus quæ in facto sic occurrunt, finem aliquem imponat, saltem donec pleniori examine præmisso, si res sit grauior & ad fidem vel bonos mores tendens, ex Cathedrâ à Pontificibus definiatur. Vnde etiam factum est, quando subinde sic erroneè responderunt Pontifices ex proprijs opinionibus vt particulares Doctores, & responsiones illæ possent cedere in grauius detrimentum, siue fidei siue morum, quod paulò post diuinâ prouidentiâ procurante, per eorum successores rebus melius examinatis, aliter Ecclesia fuerit instructa; sicut patet ex ijs quæ hic obiecta sunt. Quare quod Alexander III. Capitulo: Licet, suprà dicit: Aliter à quibusdam Prædecessoribus suis fuisse aliquando iudicatum, id quoque accipiendum est, processisse ex particularibus eorum opinionibus, sicut modò explicatum fuit de resolutione Cœlestini in altero casu. 203

Conclvsio Sexta & vltima: Omnino nihilominus tenendum est, nunquam Pontificem errare in Sanctorum Canonizatione. Vbi notandum nomine Canonizationis hic intelligi publicum testimonium de verâ sanctitate & gloriâ cœlesti alicuius hominis defuncti; ac iudicium & ordinationem quibus ei decernuntur honores qui conueniunt, & debentur illis qui cum Deo feliciter in Cœlis regnant. Est conclusio communis Theologorum. Diui Thomæ quodlibeto 9. quæstione vltima articulo vltimo. Driedonis libro 4. de Scriptoribus & Ecclesiæ dogmatibus cap. 1. Siluestri verbo Canonizatio, Melchioris Cani lib. 5. de Locis, cap. penultimo: Bell. lib. 1. de Ecclesiâ triumphante, 204

 siue

siue de Cultu Sanctorum capite 9. Et Probatur, quia hæc Canonizatio non est reputanda mera determinatio quæstionis super particulari facto: sed est quid mediū iuxta Diuum Thomam inter determinationes rerum fidei vel bonorum morum, & inter iudiciarias sententias, quæ concernunt tantum particulare factum: quia ex hoc iudicio si erroneum foret, sequerentur grauia inconuenientia per totam Ecclesiam: Valde enim absurdum foret, quod publicis officijs & triumphis honorarentur à toto populo fideli tanquam Ciues & domestici Dei in cœlis: ac simul inuocarentur tanquam Dei amici, vt eorum intercessione desiderata beneficia impetraremus, qui forsitan essent Deo exosi, eius hostes, ac in eum blasphemi, & in inferno sepulti. Rursum, quod tanquam Magistri & exemplaria virtutum proponerentur fidelibus imitandi, qui in peccatis essent mortui. In quæ inconuenientia non est credibile, quod Deus vnquam vniuersaliter permittet Ecclesiam suam prolabi; quando ex parte sua debitam adhibet diligentiam, prout facere consueuit: neque enim Ecclesia leuis est corde, nec statim credit omni Spiritui: sed magnā prouidentiā & circumspectione vtitur in huiusmodi negotio: diligentissime enim totam vitam & conuersationē eius, de cuius Canonizatione agitur, perquirit: preces quoq; & ieiunia indicit & adhibet: nec solet ad effectum procedere, nisi vera & certa miracula deprehendat intercessisse, principaliter à morte: quæ videtur Deus operari in testimonium illius sanctitatis & gloriæ.

205 Sed Obijciunt quidam locum incertum Augustini, vbi dicit: Multorum corpora honorari in terris, quorum animæ torqueantur in gehennā: ergo apparet, quod Pontifex in Canonizatione aberret aliquando. Respondetur, quidquid de illo loco sit, Negando Consequentiam, nam certum inprimis est, non posse dici quod sermo sit de illis qui solemni hoc ritu, de quo agimus, sunt adscripti Sanctorum numero: quia tempore Augustini hæc Canonizatio nondum fuit in vsu: sed videtur cœpisse circa tempora Leonis Papæ Tertij, ante quem dicit Bellarminus se non legisse, quòd aliquis Pontifex Sanctos canonizauerit. Plurimi tamen etiam antè fuerunt, qui non tantum in particularibus prouincijs; sed etiam per totam Ecclesiam haberentur Sancti, & vt tales colerentur: Verùm non tam Lege aliquā aut expresso iudicio siue decreto; quàm piorum votis aut consuetudine, quæ sensim potuerunt obtinuisse vim legis ex approbatione saltem tacitā Summi Pontificis.

Vnde addo Secundò, nequidem etiam in tali consuetudine ab Ecclesiā vniuersaliter receptā, ac iam tacito saltem consensu Pontificis approbatā, fuisse vnquam errorem deprehensum. Quod itaque ad sententiam sub nomine Augustini allegatam attinet, potest illa alios habere sensus: Primò vt intelligatur de impijs, quorum corpora hic honorantur magnificis & superbis sepulchris, cùm tamen animæ sunt in inferno, vel etiam de corporibus non Canonizatorum, qui aliquando à particularibus hominibus, vel particulari aliquo populo erroneè habebantur Sancti, & vt tales colebantur. Ad cuiusmodi particulares abusus tollendos & præcauendos videtur potissimùm instituta solemnis illa Sanctorum Canonizatio, vt sine illā nullus possit à quoquam publicè, & in publicis officijs tanquam Sanctus honorari & coli. Vel denique vt intelligatur de martyribus Donatistarum, qui ab hæreticis Donatistis celebrabantur tanquam Christi Martyres, cùm tamen sine dubio animæ eorum torquerentur in gehennā. 206

DVBIVM VI.

Vtrùm Romanus Pontifex vt priuata persona possit esse hæreticus?

Respondetur: Piè ac Probabiliter credi potest, non posse Romanum Pontificem, etiam vt priuatam personam, fieri absolutè hæreticum: licet oppositum à multis teneatur. Ita docent Pighius libro 4. Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 8. Bellarminus libro 4. de Pontif. capite 6. & plures Recentiores. Probatur Primò: Quia hoc videtur diuinę prouidētiæ, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, magis consentaneum, vt quem constituit ad Ecclesiam suam in sanā doctrinā erudiendam, & confirmandam, sic quoque ei assistat & dirigat, vt nunquam permittat illum pertinaci assensu mentis adhærere doctrinæ alienæ & damnatæ: quia violentum est, aliter animo sentire in tantis negotijs, & aliter voce alios ex authoritate docere. Probatur Secundò: Quia hactenus non est quisquam Pontificum repertus, de quo manifestè & certè constet, quod in hæresim ipse prolapsus fuerit. 207

Obijciunt quidem Sectarij nostri temporis varia contra diuersos Pontifices, quibus ostendere conantur, quod non tantum multi fuerint hæretici: sed etiam 208

quod

quod hæresim professi fuerint, & docuerint. Verùm ad ea satis apposité & solidè à pluribus Catholicis hactenus responsum est. Nos hic tantùm aliquorum causam discutiemus, quos etiam veteres aliqui videntur notare hæreseos. Quorum primus sit Seuerinus: de quo scribit Tertullianus lib. aduersus Praxeam: Episcopum Romanum agnoscentem iam Prophetias Montani, Priscæ & Maximillæ, & ex eâ agnitione pacem Ecclesijs Asiæ & Phrygiæ inferentem, à Praxeâ fuisse persuasum litteras pacis reuocare, quas emiserat. Quibus indicat Romanum Pontificem (qui tunc erat Seuerinus, licet aliqui existiment fuisse Eleuterium) inijsse communicationem, & adhæsisse Montanistis: qui tamen iam antea damnati erant ab Ecclesiâ: quia, vt ibidem Tertullianus indicat, potissimum eâ ratione induxerat Praxeas Pontificem ad reuocandas Litteras pacis, quia prædecessores eius, doctrinam illam Montani damnauerant.

209 Respondetur Primò, non multum hâc in parte tribuendum esse Tertulliano, qui iam tum à fide defecerat ad hęresim Montani: & proinde libenter pro authoritate erroris sui, inducere Romanum Episcopum, tanquam eiusdem sectæ Fautorem & Socium. Addo tamen Tertullianum non dicere, quod Romanus Episcopus fuerit Montanista; sed ex prophetijs siue reuelationibus aliquorum (à parte rei fictis aut illusorijs) restituisse pacem dictis Ecclesijs: non quod erroribus Montani consentiret, aut eos approbaret: at verò quia verisimiliter ipsi à Montanistis persuasum fuerit, doctrinam Montani non esse diuersam à doctrinâ Romanæ Ecclesiæ: ipsum autem fuisse falsò accusatum de erroribus, quos prædecessores Romani Pontificis tanquam sanæ doctrinæ aduersos damnauerant.

210 Solent enim hæretici aliquando vti hoc artificio, vt obscuritate quâdam, vel ambiguitate sermonis occultent errores suos, aut dissimulent apud eos, de quibus timent, ne statim eorum doctrinam damnent, aut supprimant, vel reuocare cogant. Sicuti scribit Rufinus lib. 10. Historiarum cap. 11. Arium vt Constantino Imperatori persuaderet se esse Catholicum, tanto artificio scripsisse fidem suam, vt à Catholicis putaretur Catholica, & à suis agnosceretur qualis erat. Et D. Leo epistola 86. ad Episcopum Aquileensem, monet eundem vt Pelagianos ad Ecclesiam redeuntes, iubeat hæresim apertissimis verbis abiurare, propterea quod soleant plerumque Ecclesiam decipere tam compositâ confessione fidei suæ, vt Catholici videantur, cùm non sint. Quod etiam Pelagium fecisse scribit Augustinus. Simili itaque artificio circumuentus fuit dictus Romanus Episcopus, qui etiam vbi deceptionem deprehendit, mox litteras communicationis & pacis reuocauit: quod apertum signum est, illum nunquam errores & hæresim Montani approbasse, prout etiam nullus alius hoc ei imponit.

Secundus, de quo propter veterũ scripta, ambigi posset, est Liberius Papa: de quo quidem hæc duo certò constant. Primum: quod ab initio Pontificatus sui vsque ad exilium suum, quod pro fide Catholicâ subijt, fuisse acerrimum propugnatorem Ortodoxæ fidei, vt amplè testatur Diuus Athanasius in epistola ad solitariam vitam Colentes, & in vtraque suâ Apologiâ, Hieron. in Chronico, & in Cathalogo Scriptorum in Fortunatio, & plures alij. Alterum est: quod idem, dum rursus post exilium, Pontificatum gessit, fuerit etiam verè ortodoxus, & piè sese gesserit: nam vt refert Socrates libro 4. cap. 11. postquàm redierat ab exilio, noluit ad Ecclesiam recipere Macedonianos, nisi apertè hæresim detestarentur; & post mortem suam habitus fuit Sanctus: quod significat Diuus Ambrosius libro 3. de Virginibus in principio: Tempus est Soror (inquit) Sancta Beatæ memoriæ Liberij præcepta reuoluere, vt quo vir sanctior, eò sermo accedat gratior. Idem indicant Epiphanius hæresi 75. & Basilius epistola 74. ad Episcopos Occidentis. 211

Difficultas autem est de tempore intermedio, quomodo se habuerit, & qualis fuerit. Nam de eo sic scribit Hieronymus suprà in Fortunatio: Liberium Romanæ vrbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem primus sollicitauit (videlicet Fortunatius) ac fregit, & ad subscriptionẽ hæreseos compulit. Et D. Athanasius suprà in epistola ad solitariam vitam colentes: Liberius deinde post exactum in exilio biennium inflexus est, inquit, minisque mortis ad subscriptionem inductus est. Ex quibus nonnulli opinantur Liberium verè Arrianum effectum fuisse, ac hæresim professum, vtpote qui ex allegatis, videtur hæreticis, & hæresi subscripsisse. 212

Et Confirmatur, quia alioquin Fœlix Papa Secundus, qui intermedio tempore sedit, & mortuus est, non fuisset verus vnquam Pontifex, cum non possint esse duo veri Pontifices simul: & quamuis Liberius exularet, non tamen inueniatur deposuisse Pontificatum, & tamen Fœlix in Cathalogo Pontificum, tan- 213

quam verus Pontifex; imò tanquam Sanctus Martyr, ab Ecclesia recipitur & colitur: ergò debet Liberius ratione hæresis intermedio tempore fuisse Pontificatu priuatus.

214 His tamen non obstantibus, verius est, Liberium nunquam verè & ex animo fuisse hæreticum: neque etiam apertè & formaliter fuisse hæresim vnquam professum. Prius satis colligitur ex ipso Athanasio loco citato, vbi sic de illo scribit: Verùm illud ipsum quoque, & eorum violentiam, & Liberij in hæresim odium, & suum pro Athanasio suffragium cum liberos affectus habebat, satis coarguit: quę enim per tormenta contra priorem eius sententiam, extorta sunt, ea iam non metuentium, sed ita cogentium voluntates habendę sunt. Quibus significat Liberiũ, quod tandem ad gratiam Imperatoris subscripserat, non ex animo, sed inuitum fecisse, & proinde verè & ex animo non consensisse hæreticis. Posterius similiter ostenditur, quod scilicet expressè & formaliter non sit hæresim professus: nam quod scribit Athanasius eum inflexum, & mortis minis inductũ ad subscriptionem, id non intelligit de subscriptione quâ approbaret doctrinam & confessionẽ Arrianam; sed de subscriptione quâ approbarat condemnationem & eiectionẽ Athanasij: quod satis colligitur ex eodem Athanasio, qui in epistolâ citatâ, in præcedentibus ita scribit: Profectus igitur Romam Spado primùm incitabat Liberium, vt contra Athanasium subscriberet, & cum Arrianis communicaret: Id enim Imperatorem velle, & pro Imperio iubere: Huic igitur Imperatoris voluntati tandem se accommodauit Liberius.

215 Cæterùm licet hæretici reuerà persequerentur Athanasium propter causam fidei, tamen prætexebant aliam causam eiectionis, diuersa videlicet crimina, quæ Athanasio imponebant: & hinc ista Liberij subscriptio non fuit formalis professio hæresis. Sic quoque ex communicatione quam habuit cum hæreticis Arrianis, non conuincitur formaliter professus hæresim: nam in epistolis suis, ait, se communicasse cum Episcopis Orientalibus, quia inuenit eorum fidem congruere cum Catholicâ, & alienam esse ab Arrianâ perfidiâ: siue interim hoc existimauerit errore deceptus, quod illi hæresim suam verborum ambagibus dissimularent, siue hoc ita voluerit prætexere, vt ostenderet apud Catholicos se hæresi non consentire.

216 Quod igitur D. Hier. scribit Fortunatium primum sollicitasse ac compulisse Liberium ad subscriptionem hæreseos, ita quoque accipiendum est, sicuti verba Athanasij: quod enim addit ad subscriptionem hæreseos, id dicit, quia licet non expressè & formaliter, tamen interpretatiuè censetur hæresim approbasse, & talis approbationis extitisse reus: nam Athanasium damnari permisit & subscripsit, quẽ probè nouerat ipse causâ fidei persecutionem pati, quantumuis aliud prætexeretur. Et quando cum Valente & Vrsatio & alijs Arrianis communicauit, licet ipsi hæresim forsitan dissimularent, non tamen omnino ignorauit ipse, quales isti essent.

Priusquam verò ad Confirmationem respondeamus, aliquantulum latiùs explicanda est historia Pontificatus Fœlicis, de quo etiam tertię loco ambigi potest, an fuerit ipse Pontifex hæreticus? Fœlix II. 217
itaq; erat sub Liberio, quando hic in exiliũ mittebatur Diaconus: quẽ nonnulli Arrianum fuisse volunt, quibus fauere videtur D. Hier. Cathalogo Scriptorum in Acacio: de quo Acacio scribit ibidem, quòd in tantum sub Constantio Imperatore claruerit, vt in Liberij locum, Romæ Fœlicem Arrianum Episcopum constitueret. Sed quidquid eâ de re sit, de quâ mox aliquid dicemus, hoc saltem verum est, quod Fœlix iste studuerit cõplacere Arrianis, & communicatonẽ cum illis habuerit: quo factum est, vt fauore & commendatione Arrianorum, ac inprimis Acacij Episcopi Cæsariensis in Palæstinâ, fuerit in Episcopatum Rom. intrusus, vt ex Hieronimo citato constat, & testantur Rufinus lib. 10. Historiarum cap. 22. vbi dicit in Liberij locum Fœlicem Diaconum eius ab hæreticis subrogari: & Theodor. lib. 2. Historiarum cap. 17. vbi scribit: Successum est Liberio à fideli quodam illius Diacono nomine Fœlice, qui tametsi fidem in Concil. Nicęno expositam ipse seruauit integram, tamen cum illis qui eandem labefactare studebant, liberè communicauit.

Vnde neque Clerus, neq; populus Romanus voluit adhærere Fœlici sic intruso: neq; eum Pontificem agnoscere. Quod indicat Theodoretus, dum addit: Ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in Ecclesiam dum ille initurus erat, ingredi voluit. Et meritò noluerunt Romani eum recipere, tum propter communicationem quam intertenebat cum hæreticis, tum quia Liberius verus Pontifex, tunc adhuc Orthodoxè se exterius habens, ac gerens superstes erat in exilio: quo viuo, alium non admissurum ad Episcopatum iuramẽto se adstrinxerat Rom. Clerus, vt colligitur ex Hier. in Chronico. Sed post biennium, obueniente lapsu Liberij, quod 218
scilicet

scilicet condemnationi Athanasij subscriberet, & cum hæreticis pacem iniret & communicaret, tunc Clerus Rom. ad partes Fœlicis, quem nouerat Catholicum, transiuit. Quod D. Hier. indicat in Chronico, cum ait: Permultos ex Romano Clero pejerasse (id est, iuramentum quod præstiterant de non admittendo alio Episcopo, quamdiu Liberius viueret, non seruasse, in quo tamen verum periurium non fuit) & ad Fœlicem accessisse: & quidem tunc statim, Deo haud dubiè inspirante & cor eius excitante, dum sic pro vero Pontifice acceptaretur, & vt talis ab Ecclesia haberetur, non tantum recessit Fœlix à communicatione Arrianorum, sed etiam coacto Concilio declarauit Imperatorem Constantium & Episcopos Vrsacium & Valentem, cum quibus pacem fecerat Liberius: verè esse hæreticos, & propterea remisso ac redeunte iam Liberio ad Vrbē, Fœlix cum suis ab Arrianis eiectus fuit: & iterum Liberius in eius locum suffectus est: ipse autem Fœlix non diu pòst mortuus est, siue capite cæsus, siue ærumnis confectus fuerit: Id enim non ita certò habetur exploratum.

219 Ab Ecclesiâ autem inter Martyres fuit numeratus. Cùm tamen anno 1582. ambigeretur Romæ, deberetne hic Fœlix in nouo Martyrologio poni, eò quod nonnulli veterum eum in Cathalogo Pontificum inueniantur non recensuisse, vt D. August. epistola 165. tunc casu inuenta est arca marmorea in Basilica Cosmæ & Damiani cum hâc inscriptione in marmore incisâ antiquis characteribus: Hic iacet corpus Sancti Fœlicis Papæ & Martyris, qui Constantium Imperatorem hæreticū damnauit. Vnde sine dubitatione in nouo Martyrologio positus fuit, sicut & in antiquis fuerat repertus. Mortuo autem Fœlice, Liberius iterū sibi reconciliauit Clerum Rom. & se Catholicum præsulem per omnia præstitit, vt supra ostendimus eum fecisse in causâ Macedonianorum. Quare omnium consensu cœpit tunc rursum legitimè sedere, & sedit vsque ad mortem.

220 Ad Confirmationē itaq; quę supra contra Liberium formata est, responderi poterit tametsi Liberius non fuerit ex animo hæreticus, neque etiam expressè & formaliter hæresim fuerit professus, quod tamen propter subscriptionem in condemnationem Athanasij, & propter pacem & communicationē initam cum illis qui noti erant hæretici, & propter similes actus qui continent interpretatiuè professionem hæresis, meritò fuerit ab Ecclesiâ tanquam iuxta externam professionem hæreticus, habitus: nam interiora cordis scrutari non poterat, ideoque & Pontificatu excidisse iudicatus siue declaratus fuit, atque ita cœpit legitimè ab eo tēpore Beatus Fœlix Pontificatum gerere. An verò Fœlix ante tempus illud fuerit Arrianus, posset dubitari ex verbis Diui Hieron. supra allegatis ex Cathalogo Scriptorum in Acacio: sed Rufinus & Theodoretus satis apertè docent eum Arrianum non fuisse, licet cū Arrianis haberet communicationem: quare quod D. Hieron. dicit Fœlicem Arrianum fuisse constitutum in locum Liberij, id dictum intelligere oportet propter cōmunicationem cum Arrianis, vel certè dicendum est illud Arrianum non à D. Hieronymo, sed ab aliquo alio fuisse adiectū, vt ostendit Bellarm. loco supra cit.

Quartus Pontifex, de quo multum disputatur est Honorius I. quem multi existimant fuisse hæreticum Monotelitam, quia 221 scilicet in duabus epistolis ab eo datis ad Sergium videtur approbare doctrinā Monotelitarum: iubet enim quatenus non dicantur duæ operationes in Christo, & dicit eum non duas, sed vnam habere voluntatem. Et Confirmatur, quia in 6. Synodo vbi etiam hæ epistolæ referuntur, vna quidem Actione 12. & altera Actione 13. damnatur Honorius tanquam hæreticus. Similiter in Synodo 7. Actione vltima, totum Conc. dicit Anathema Honorio, Sergio, Cyro & cæteris Monotelitis. Et in Synodo 8. Actione 7. legitur & probatur epistola Concilij Romani sub Adriano II. in quâ dicitur Honorius post mortem fuisse iudicatus tanquam de hæresi suspectus, Deniq; diuersi Scriptores, tum Græci, tum Latini videntur id ipsum testari. Nihilominus tamen è contra pro defensione Honorij, scribunt Albertus Pygius lib. 4. Hierarchiæ Ecclesiasticæ cap. 8. Hosius lib. 2. contra Brentium, Ioannes à Louanio lib. de perpetua Cathedræ Petri Protectione cap. 11. Bellarm. lib. 4. de Pontifice cap. 11. & alij.

Quare ad Obiecta poterit responderi, 222 quod ad epistolas illas attinet: inprimis posse dubitari, an non fuerint ab hæreticis confictæ, sicut constat fuisse fictitias quasdam litteras tanquam Vigilij Papæ Romani, & Mennæ Patriarchæ Constantinopolitani insertas quintę Synodo, quod deprehensum fuit in Synodo 6. dum relegerentur Acta quintæ Synodi. Deinde esto, quod verè sint epistolæ ab Honorio scriptæ, nihil tamen refert: quia si attentè legantur, facile videre erit, quod errorem nullum contineant: nam quod ad rem attinet, satis apertè confitetur Auctor duas in Christo voluntates, diuinam & humanam, & duas operationes: ita enim scribit

G iiij in 2. epi-

in 2. epistola: Vtrasque naturas in vno Christo vnitate naturali copulatas cum alterius communicatione operantes, atque operatrices confiteri debemus: & diuinam quidem, quæ Dei sunt, operantem, & humanam, quæ carnis sunt, exequentem, non diuisè, (scil. ex parte personæ) neque confusè, (scil. ex parte naturarum) aut conuertibiliter Dei naturam in hominem, vel humanā in Deum conuersam edocentes: sed naturarū differentias integras confitentes. Quæ sententia Catholica est, & Monotelitarum hæresim euertens.

223 Prohibentur tamen nomina tum vnius operationi, tum duarum, ab ijsq; abstinere mandatur: idque pro illo tempore prudenter facere potuit Pontifex, quia eò vsque non fuerant in vsu: neque agitata quæstio de illo loquendi modo: sed tum solum incipiebat Syrus Alexandrinus prędicare vnam tantū in Christo operationē; cui se opponēs Sophronius Hierosolimitanus, prædicabat duas in Christo operationes. Sollicitus itaq; Honorius cū ad ipsum deferretur controuersia, ne cōtentio ista in graue schisma abiret (prout accidit) putauit ab initio eam sopire, explicando ea quæ de re ipsa sunt sentienda & confitenda: ac simul mandando quatenus ab his vocabulis vnius operationis, aut duarum abstineretur, vt sic partes vtrinq; faciliùs acquiescerent, dū neutra videretur reportare victoriam. Vnde scribit in epist. 1. abstinendum à nomine vnius operationis, & rursum à vocabulo duarum: Ne (inquit) aut duarum operationū vocabulo offensi Nestorianos sectantes vesana sapere arbitrentur; aut certè, si rursum vnam operationem fatendum esse censuerimus, stultam Eutichanistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur. Et in epistola 2. Auferentes ergo scandalum nouellæ adinuentionis, non vos oportet vnam vel duas operationes definientes prædicare: sed pro vnâ, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos vnum operatorē Christum in vtrisq; naturis veridicè confiteri; & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas in vnâ personâ vnigeniti filij Dei, inconfusè, indiuisè, vt ante explicuimus, atq; inconuertibiliter nobiscum prędicare propria operantes. Vbi licet vocabulum duarum operationū remoueat, tamen manifestè admittit operationes proprias vtriusque naturæ.

224 Sed Dices, paulò infra apertè ponit vnā tantum voluntatem his verbis: Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini nostri Iesv Christi. Respondetur ibi sermonem esse tantùm de voluntate humanæ naturæ, ac Pontificem docere non fuisse in Christo homine duas voluntates pugnantes, vnam carnis, & alteram Spiritus, sicuti in nobis: sed vnam tantum, scilicet Spiritus: quod patet ex ratione adiuncta, quia, inquit, à diuinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profectò quæ ante peccatum creata est, non quæ post præuaricationem vitiata est. Hæc enim ratio bene probat non esse in Christo voluntates illas pugnantes, quæ in nobis sunt: non autem probat in Christo Deo & homine non esse voluntates duas, diuinam & humanam: atque ita Sanctus Maximus in Dialog. contra Pyrrum Monotelitam explicat verba Honorij, quem dicit semper fuisse Catholicum: & confirmat explicationem suam ex testimonio Secretarij ipsius Honorij, qui epistolas ab Honorio dictatas scripserat, & tunc adhuc superstes erat: hic enim asserebat mentem Honorij nunquam fuisse, quod in Christo duas negaret voluntates; sed si quæ verba id præseferant, ea esse intelligenda de duabus contrarijs & pugnantibus in natura eius humanâ, sicuti in nobis quæ ex peccato oriuntur, quod in Christo non fuit.

Ad Sextam itaque Synodum responderi potest primò cum Bellarmino supra, 225
nomen Honorij ibi inter eos qui à Synodo damnantur, postea insertum fuisse ab aliquo æmulo Romanę Ecclesiæ: idque pluribus argumentis declarat: inter quę vnū notabile est, quod post Honorium S. Agatho Papa in epistola prima ad Imperatorem, quæ etiam lecta fuit in ipsâ Synodo, & approbata Actione 8. & 18. significabat: quod sicut Christus Petrum, cuius fidem promisit non defecturam, admonuit cōfirmare fratres, sic Apostolicos suos prædecessores semper fecisse: idque cunctis esse agnitum. Item quod Apostolica Christi Ecclesia (id est Romana) per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errauerit, neque hæreticis nouitatibus deprauata succubuerit. Si enim Honorius fuisset Monotelita, & in illâ ipsâ Synodo tanquam talis damnatus, aut damnandus, quomodo ausus fuisset B. Agatho de hâc ipsâ hæresi pertractans scribere omnes suos prędecessores semper in sanâ fide fratres cōfirmare? idque cunctis omnino constare. Et iterum, quomodo præ cæteris Ecclesijs commaculatis suorum Præsulum erroribus, potuisset commendare Romanā, tanquam quæ sola semper manserit illibata, si tam recenter Honorius fuisset infectus illâ hæresi, de cuius extirpatione tunc agebatur? vel quomodo Synodus illam epistolam

epistolam Agathonis approbasset: Huc etiam facit quod Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem de Romanis Pontificibus scribit: Hos enim nec tenuis saltem rumor aspersit aliquando cum praua sapientibus sapere: quod longè à veritate alienum esset, si in Synodo generali & celeberrimâ sæpius acclamatum sit Honorio tanquam hæretico, Anathema.

226 Secundò potest responderi cum Turrecremata lib. 1. de Ecclesiâ cap. 93. qui damnationem illam Honorij in 6. Synodo admittit: sed dicit ex malâ informatione processisse, scilicet ex falsis de illo rumoribus sparsis, & ex prædictis litteris non bene intellectis: quas melius intellexerant Honorij Successores Ioannes IV. Martinus I. cum frequentissimo Conc. Rom. Agatho & Nicolaus I. sub quibus sæpius causa Monotelitarum fuit discussa: & licet plures nominatim fuerint à Conc. sub Martino damnati, nulla tamen fit mentio Honorij.

227 Sed Petes: si Latini & præsertim Agatho Papa fuerint meliùs informati de causa Honorij, quare igitur Legati Agathonis in 6. Synodo non reclamauerint contra istam Honorij damnationem? Respondetur, supposito eo quod reuerà Honorius in 6. Synodo fuerit condemnatus tanquam qui fuisset Monotelita, id videri prætermissum à Legatis Rom. Sedis ad vitandũ grauius malum: nam periculum erat, si non dissimulasset, vel si voluisset reclamare contra Honorij damnationem, quod impedita fuisset definitio rectæ fidei, & quod non potuisset tolli Schisma quod iam 60. annis durauerat: cõdemnabantur enim in illo Concilio multi Patriarchæ, Constantinopolitani, Alexandrini, & Antiocheni, quorum successores non facilè acquieuissent, nisi etiam Honorius damnaretur, qui cum illis simul accusabatur tanquam qui cum illis sensisset & docuisset.

Ad Synodum Septimam Respondetur Patres illius Concilij sequutos fuisse Synodum sextam, & tantùm repetijsse quod in eâ legerant: & proinde ex illâ deceptos fuisse: quæ vel corrupta fuit, vt diximus, vel per errorem damnauerat Honorium.

Quod attinet ad epistolam Concilij sub Adriano II. Respondetur in eâ non asseri Honorium fuisse hæreticum: sed tantùm fuisse ei dictum Anathema ab Episcopis Orientalibus: quia de hæresi fuerat accusatus. Vbi notanter Concilium videtur dixisse ab Orientalibus fuisse damnatum Honorium; idcirco scilicet, quia sciebat eum ab Occidentalibus, scilicet à Concilio Romano prius habito sub Martino, non fuisse condemnatum. Additur tamen, Orientales non fuisse ausos dicere sententiam in Honorium, nisi Romanæ Sedis consensus præcessisset, qui vt modò ante explicuimus, non fuit nisi quædam tolerãtia ad maiora mala vitanda. Vbi hoc notãdum, istud Concil. sub Adriano etiam ex 6. Synodo præsupponere (sicuti diximus ex eâdem supposuisse Synodum septimã) Honorium in eâ fuisse damnatum. 228

Ad vltimum quod allegatur, diuersos scilicet Authores ita scripsisse de Honorio, Respondetur; Esto, sit ita: sed è contra multi quoque & valde Antiqui aliter scripserunt, & Honorium excusant; quare ex istis potest ostendi quædam rei obscuritas, aut dubietas: nõ potest autem certò probari rei veritas. Vide plures alios Pontifices apud Bellarm. quos lib. 4. cap. 8. & quinque sequentibus, enumera tanquã de erroribus & hæresi accusatos saltem à nostris Sectarijs: sed quos ipse expurgat & defendit. 229

TRACTA-

TRACTATVS DE CONCILIIS ECCLESIASTICIS.

DVBIVM I.

Quid Concilium sit, & Quotuplex?

1 CONCILIVM, secundum nominis latitudinem, potest generaliter definiri, quod sit Conuentus quidam hominum prudentum publicâ authoritate conuocatorum ad pertractandũ & ordinandum communi intentione de rebus necessarijs aut commodis Reip. aut Communitati. Quæ definitio non tantum Concilia Ecclesiastica; sed etiam Politica Comitia complectitur: vtraq; enim Respub. & Spirtualis, & Ciuilis suos celebrat conuentus ad negotia communitatis magis ardua respectiuè ad se pertinentia, pertractanda pro bono & pace ac vtilitate ipsius Reip.

2 Verùm nos, non tam generaliter hic de Concilio disputationem instituimus, sed de Ecclesiastico tantùm: quod in communi sic licebit definire, vt dicatur Conuentus siue congregatio Rectorum ac Præsulum Ecclesiasticorum legitimâ authoritate indicta, ad definienda, statuenda & ordinanda, quæ in grauioribus causis pro Ecclesiæ pace & bono sunt necessaria aut multum vtilia. Vnde Concilium constat quasi materiâ, Rectoribus & Prælatis Ecclesiasticis; pro efficiente sua causa habet legitimam conuocantem potestatem: ad formam eius pertinet quod conuocatio fiat vt de grauioribus Ecclesiæ negotijs ibi fiant ordinationes & decreta: v. g. de fidei dogmatibus, & ritibus notabilibus Ecclesiæ, de disciplinâ & normâ vitæ Christianæ; aliquando etiam de litibus & contentionibus inter Primates Ecclesiæ sopiendis: finis denique est sanæ fidei & bonorum morum conseruatio, & si hæc alicubi mutilata fuerint aut corrupta, eorundem restauratio ac redintegratio.

3 Traxit Ecclesia formulam celebrandi concilia ab ipsis Apostolis, qui Act. 15. conuenerunt, & Concilium celebrarunt ad determinandas quæstiones obortas circa Legalium obseruantias. Vnde non est dicendum, quòd origo huiusmodi conuentus sit merè humanâ & naturali tantùm ratione excogitata, quatenus hæc dictat tales congregationes vtiles ad difficultates, & quæstiones determinandas, vt vult Pyghius lib. 6. Hierachiæ cap. 1. sed magis, quod diuinitùs sit Ecclesiæ suggesta: nam primò dubitari de eo non debet, quin Apostoli iam S. Spiritu repleti, non nisi ipso admouente ac suggerente primũ illud Concilium Ierosolimis celebrauerint. Deinde Concil. Chalcedonense in epistola ad Leonem: Sexta Synodus actione 17. Cœlestinus Papa in epistola ad Concilium Ephesinum, & Concilium Toletanum III. conformiter docent à Christo Concilia fuisse demonstrata in illis verbis: Matth. 18. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio illorum.*

Quod ad Concilij diuisionem attinet, quatuor communiter eius statuuntur genera: alia enim sunt Oecumenica siue Generalia: alia Nationalia, alia Prouincialia: alia Diocœsana. Membrorum trium priorum meminit D. August. lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 3. vbi dicit: Concilia Prouinciarum, vel etiam maiora qualia sunt Regionum, emendari à Concilijs Plenarijs. 4

Concilium itaque Generale siue Plenarium, vt loquitur D. August. est Conuentus Episcoporum ex vniuersâ Ecclesiâ indictus ab eo, qui authoritatem habet legitimam. Quare requiritur inprimis, vt cõuocatio sit generalis, & innotescat omnibus Christianis Prouincijs, saltem maioribus. Secundò, vt nullus Episcopus cum Ecclesia habẽs communionẽ, ab eo excludatur, si ibi comparuerit. Tertiò, vt etiam de facto ex maioribus & principalioribus orbis christiani Prouincijs, aliqui saltem compareant. Vnde Synodus 7. Actione 6. iudicauit Pseudo Conc. illud Constantinop. ab Inoclastis contra Imagines celebratum, non fuisse Generale: quia sonus eius non exierat in orbem terrarum; & 5

quia

quia non habuerat (vt ibidem dicitur) Romanum Papam, neque illius Sacerdotes, nec per Vicarios, nec per Prouinciales litteras: quemadmodum (inquit) in Synodis fieri debet. Nō est autem necesse, quod omnes omnino Episcopi compareant, quāuis ex iuramento teneantur, vt constat ex Capitulo, Ego: extra de Iure iurando, nisi ex causis habeantur excusati: Sed satis fuerit, quod saltem aliqui ex maiori parte Christianarum Prouinciarum conueniant. Hinc, quando in Oriente Concilia fuerunt celebrata, non perinde æquè frequentes aderant Occidentales, sicuti Orientales.

6 Nam semper visum tunc fuit sufficere, quòd ex Prouincijs Orientis interessent plurimi: ex Occidente autem forent aliqui missi à Romano Pontifice, qui reliquorum vices supplerent: vt colligere licet ex quatuor primis Oecumenicis Concilijs, quę omnium iudicio sunt generalia, & semper talia fuerunt habita. Nam in magno illo Concilio Nycæno, ex Occidente tantum fuerunt duo Præsbyteri ex Italia: vnus Episcopus ex Gallia, scilicet Nicasius: vnus ex Africa, & vnus ex Hispania, scilicet Hozius. In secundâ & tertiâ Synodis, nulli leguntur adfuisse Episcopi ex Occidente: Sed Romani Pontifices Damasus & Cœlestinus ista Concilia respectiuè nomine suo, & Occidentalium Antistitum, quos Romæ collegerant, confirmarunt. In 4. Synodo, scilicet Calcedonensi, adfuerunt Legati Leonis, qui etiam submisit consensum aliorum Episcoporum Occidentis ex Hispanijs, Gallijs, Italiâ: qui Concilijs habitis in suis Prouincijs, scripserant Leoni se in omnibus eius sequi sententiam.

7 E contrà verò, Concilijs Occidentalibus pauci interfuerunt Orientales, vt magno Lateranensi sub Innocentio III. Lugdunensi sub Gregorio X. Viennensi sub Clemente V. Tridentino & alijs, quibus Occidentales interfuerunt in magno numero. Concilio tamen Florentino adfuerunt Græci numero satis iusto.

8 Dixi esse conuentum Episcoporum; non autem aliorum Prȩlatorum inferioris ordinis: quia licet ad aliquot posteriora Concilia fuerint etiā vocati Abbates, præsertim exempti, & Generales ordinum: ijdemque quoque subscripserint, tamen non est hoc ex necessitate requisitum ad Concilij generalis rationem. Imò neque ad Nationalis, aut Prouincialis substantiam pertinet: quod inprimis satis colligitur ex omnibus antiquis Concilijs, quibus soli Episcopi subscripserunt. Deinde idem satis apertè docent Cypr. initio epistolæ ad Iubaianum, Hilarius lib. de Synodis, Ambr. epistola 32. August. epistola 119. Leo epistola 19. & sequentibus, Athanasius epistola ad Solitariam vitam agentes; & alij qui passim asserunt Concilia esse Episcoporum. Vnde in Concilio Calcedonensi, cùm ad Martinum Archimandritam mitteretur vt subscriberet, dixit non esse suum, sed Episcoporum tantum subscribere, vt habetur actione 1. & in eodem Concilio cum pro Dioscoro Monachi & Laici essent ingressi, sæpius clamarunt Patres: Mitte foras superfluos: Concilium Episcoporum est. Quod igitur modò alij isti vocentur, & ad suffragium ac ad subscriptionem admittantur, ex quodam priuilegio conceditur, sicut & in quibusdam alijs, Abbates participes facti sunt dignitatis & honoris Episcopalis.

Dicet aliquis: Constat etiam Imperatores & Reges per se, vel suos Oratores consueuisse interesse. Item alios viros doctos: ergo videtur, quod plurium sit conuentus Concilium generale, quam Episcoporum. Respondetur, consueuisse quidem etiam tales interesse, & rectè: non quidem vt sententiam dicant: sed Imperatores & Reges, vt sint Concilij defensores, & vt postmodum promptius cooperentur ad Decretorum executionem & obseruationem, quod natum est fieri, quādo ab initio facti sunt conscij omnium eorum, quæ in Cōcilio ordinata & statuta sunt. Vnde & interdum subscripserunt: sed aliâ formâ quam Episcopi: non enim iudicando, aut definiendo; sed consentiendo, dicunt se subscribere. Similiter vocantur viri docti, sed tantum ad materias examinandas, & ad consultandum; non ad decisiuum suffragium ferendum, quare non essentialiter ad generale Concilium pertinent. 9

Concilium Nationale dicitur, in quo conueniunt Archiepiscopi & Episcopi vnius regni aut regionis legitimâ authoritate ad hoc vocati Eiusmodi sunt multa Concilia Romana, Toletana, Africana. Vbi hoc circa Nationale Concilium obseruandum est, quod licet simpliciter distinguatur ab vniuersali, & Prouinciali, nihilominus tamen aliquando vtriusque nomine compelletur: nam de Romano celebrato sub Symacho, dicitur Symachus Concilio generali præsidens: & tamen aderant tantum Episcopi Italiæ: & in Concil. Toletano 3. capite 18. dicitur: Præcipit hæc Sancta & vniuersalis Synodus; & tamen intererant soli Episcopi Hispaniæ. Idem constat ex Concilio 4. Carthaginensi. Ratio autem eiusmodi cōpellationis reddi potest, quia in tali Concilio 10

cilio attenditur quædam vniuersalitas respectu totius Regni, aut Nationis quæ multitudinẽ notabilem Episcoporum concludit. Dicuntur etiam à Gratiano dist. 3. Canone, Porro: Prouincialia, quia certis Prouincijs eorum vis & authoritas concluduntur, neque se extendunt ad omnes Christianos: sicuti quæ simpliciter sunt generalia.

11 Concilium autem Prouinciale specialiter dictum est, in quo tantum conueniunt Episcopi vnius prouincię, sub vno scilicet Archiepiscopo siue Metropolitano existẽtes. Huius generis reperiuntur multa in Tomis Conciliorum. Denique Concilium Diocœsanum est, in quo conueniunt Prælati & Sacerdotes vnius tantum Diocœsis pręsertim illi qui propinquius in cura animarum & regimine Diocœsis Episcopo subseruiunt & quidem huiusmodi conuentus non ita propriè sortitur rationem Concilij, quia secundum loquendi modum antiquorum importat Concilium cõgregationem Procerum, siue Episcoporum quibus sua debetur Iurisdictio etiam externa: In hac autem congregatione est tantum vnicus talis, scilicet qui illi præsidet.

DVBIVM II.

Cuius sit indicere Concilia, ijsdemque præsidere?

12 Respondetur: & sit CONCLVSIO Prima: Concilium Diocœsanum ab Episcopo: Prouinciale, ab Archiepiscopo siue Metropolitano: & Nationale, à Patriarchâ vel Primate legitimè indicuntur, & conuocantur: quibus & respectiuè incumbit ijsdem præsidere. Est cõmunis: & docet sic August. epistola 217. ad Victorinam. Neque contradicunt hæretici: Tota autem difficultas est de Concilio generali: vnde sit

13 CONCLVSIO Secunda: Solius Romani Pontificis est conuocare Generale Concilium: eidemque præsidere, ita vt omnis generalis congregatio Ecclesiæ facta absque eius iussu, aut saltem consensu, vel quam ipse non ratificauerit, non verum Concilium Ecclesiæ, sed Conciliabulum & Pseudo-concilium habendum sit. Est quoque communis & certa omnium Catholicorum contra hæreticos: ex quibus Protestantes munus hoc deferre volunt Imperatori. Beza autem dicit esse Monarchæ Christiani, si quis sit: si autem sint plures Principes Christiani Supremi nullum agnoscentes superiorem, prout modo sunt, tunc esse omnium illorum simul cum Imperatore & Ciuitatibus liberis.

Sed Probatur Conclusio, quia euidens est, illius esse in omni regno siue communitate, cõuocare Principes aut Proceres ad tractanda regni negotia, qui supremam in eo obtinet authoritatem, quique potest omnibus & singulis mandare, atque adeo compellere ad comparendum: atqui in regno Ecclesiæ solus Pontifex est, qui habet supremam potestatem: quique possit omnibus Ecclesiæ Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis quarumcumque ditionum aut Sedium mandare, eosque cogere ad conueniendum, non autem Imperator aut Rex vllus: ergo &c. Minor propositio quæ sola ab aduersarijs impugnatur, Confirmatur primò, quia Ecclesiæ Prælatis, vt Episcopis, & alijs imperare, & ad Ecclesiæ negotia tractanda vocare est Ecclesiasticę potestatis: atqui hæc non reperitur in Imperatore aut Regibus: quia nec eadem est cum Ciuili, neque Ciuili subdita siue subordinata: non enim temporalia confundenda sunt cum spiritualibus: neque hæc tanquam ordinis inferioris subijcienda sunt istis: sed è contra, vt supra diximus. 14

Secundò confirmatur: Quia nullus Imperatorum aut Regum, nequidem quoad actiones Ciuiles, habuit omnes Prouincias, ad quas se extendit Ecclesia, sibi subiectas; sicuti Pontifex eas habet, quoad actiones spirituales: nam Imperatores latissimè dominati fuerant & dominabantur tempore Leonis & Prosperi: & tamen tunc maior erat orbis Christianus subditus Papæ, quam orbis Romanus subditus Imperatori, quod testatur D. Leo serm. 1. de Sanctis Apostolis Petro & Paulo per sacram Beati Petri Sedem Caput orbis effecta (scilicet vrbs Roma) latius præsidet religione diuinâ, quàm dominatione terrenâ: & Prosper lib. de Ingratis: Sedes Roma Petri quæ Pastoralis honoris facta Caput mundo, quidquid non possidet armis, religione tenet. Si verò dicant conuocationem ideo debere fieri non per vnũ Imperatorem, vt vult Beza, sed per omnes Principes & Respub. superiorem non agnoscentes, iam reddunt celebrationem Concilij vniuersalis moraliter impossibilem: Neque enim moraliter fieri potest quod tot Principes & Respublicæ liberæ tantis inter se difficultatibus ac contentionibus diffidentes, conueniant ad vnum Concilium certo loco indicendum: & tamen volunt hæretici tantam esse necessitatem Concilij generalis: vt absque illo contendant non posse rectam Ecclesiæ gubernationem subsistere aut conseruari. 15

Tertio

16 Tertiò confirmatur: Quia Concilia Prouincialia indicuntur à Metropolitano, & Nationalia à Patriarchâ aut Primate: quod etiam fatentur Caluinus lib. 4. Institut. cap. 7. Illiricus Centuria 4. cap. 7. non à dominis temporalibus locorum, aut principibus regionis: ergò etiam generalia debent indici ab vniuersali pastore Ecclesiæ; & non ab Imperatoribus, aut Monarchis sæcularibus. Quartò confirmatur: Quia Act. cap. 1. D. Petrus exurrexit in medio Fratrum, & curauit ea quę conueniebant fieri in nouella Christi Ecclesiâ, quatenus scilicet substitueretur vnus in locum ministerij & Apostolatus, de quo præuaricatus erat Iudas: & quamuis non fuerit ibi propriè congregatum Concilium, satis tamen inde liquet primam & principalem curam generalium negotiorum Ecclesiæ ad Petrum tanquam pastorem vniuersalem Ecclesiæ pertinuisse: & Act. 15. Licet non expressè habeatur Petrum Concilium illud conuocasse, tamen satis constat de eius consensu & voluntate fuisse congregatum: quandoquidem ipse quoque tanquam principalis Director sit primùm loquutus, & dixerit sententiam super quæstione ibi motâ.

17 Probatur Concl. 2. ex antiquissimo quodam Can. Ecclesiæ qui habet: Præter sententiâ Rom. Pontificis non posse celebrari Concilia. Quem Apostolicum esse scribit Beatus Marcellus Papa in epistola ad Episcopos Antiochenæ prouinciæ. Eundem renouauit Synodus Nycæna prima, vt testatur Synodus Alexandrina in epistola ad Fœlicem. Item Iulius primus in epistola ad Episcopos Orientales; cuius meminerunt Socrates lib. 2. cap. 13. Sosymus lib. 3. cap. 9 & Nicephorus lib. 5. cap. 9. Quod si præter Romani Pontificis sententiam non possit celebrari Concilium, ergo ipsius erit congregare aut saltem consensum præbere vt congregetur.

18 Respondet Caluinus Canonem illum non aliud continere, quâm quod debuerit ad Concilium etiam Romanus Pontifex vocari. Sed si non aliud contineat, iam debuisset aut potuisset fieri similis Canon de Patriarchâ Alexandrino, & Antiocheno: nam & hi erant præcipui Patriarchę, & secundum Caluinum æquales aut maiores Romano Pontifice. Hoc aduertentes alij hæretici conantur aliò diuertere sensum istius Canonis: sed frustrà: nam verus eius sensus clarissimè intelligitur ex epistola Iulij, de quâ suprà, siquidem in eâ Iulius reprehendit Orientales, quod absque suo consensu Concilium Antiochiæ celebrassent, & pro fundamento huius reprehensionis adducit allegatum Canonem: quare intellexit sic ipse Canonem, quod nullum Concilium vniuersale possit sine eius sententiâ celebrari: aut certè admodum impertinenter istum Canonem allegasset.

Neque apparentiam habet sensus ille, quem ex Gręco sermone confingunt, puta quod præter sententiam Romani Pontificis non possint dedicari Ecclesiæ: nullus enim veterum meminit talis decreti: neque fuit vnquam, nec modò est talis vsus, quod non possint templa dedicari absque authoritate aut licentiâ aut concessione Romani Pontificis. 19

Probatur 3. Conclusio ex Conc. Chalcedon. Action. 1. Vbi iubetur Dioscorus Alexandrinus nō sedere inter Episcopos, eò quod Synodum facere ausus fuisset sine authoritate Romanæ Sedis, quod nunquam licuit, vt ibidem dicitur, nunquam factum est. Sic quoque 7 Synodus reiecit Concilium seu potius Conciliabulum Constantinopolitanum illud, de quo supra mentionem fecimus; quia non habuerat Roman. Episcopum cooperarium: & in Concil. Lateranensi vltimo ss. 11. expressè asseritur Concilia generalia indicere, Romani esse Pontificis. Rursum in Concilio Romano 4 Sub Symacho cum dixisset Rex Theodoricus se Synodum conuocasse, vt iudicaretur causa Symachi Pontificis; Responderunt Episcopi omnes non à Rege, sed à Papa debuisse Synodum vocari, etsi causa Papæ ageretur. Quibus eâ demum ratione Rex satisfecit ostendendo se Symachi Pontificis assensu conuentum indixisse, quod & Pontifex præsens ita esse fateretur. 20

Probatur 4. ex antiquis Pontificibus: Leo epistola 93. cap. 17. Dedimus litteras, inquit, ad Fratres & Coëpiscos nostros, eisq; Concilium Synodi generalis indiximus. Pelagius Secundus in epistola 1. ad Orientales: Concilium Synodorum conuocandi authoritas Apostolicæ Sedi Beati Petri, singulari priuilegio tradita est. Sixtus III. in epist. ad Orientales quoque sic scribit: Valentinianus Augustus nostrâ authoritate Synodum conuocauit. Adrianus secundus in epistola ad Basilium Imperatorem: Volumus, inquit, per tuæ pietatis industriam Constantinopoli numerosum conuocari Concilium. Denique refert Sosomenus libro 6. capite 7. Valentinianum Imperatorem cum ab Episcopis rogaretur, vt permitteret eis Concilium celebrare, respondisse: Mihi qui sum in sorte plebis, fas non est, talia curiosiùs perscrutari: Sacerdotes quibus ista curæ sunt, quocumque voluerint loco conueniant. 21

22 Sed contra Obijciunt hæretici, Quod prima Concilia generalia inueniantur passim ab Imperatoribus indicta & conuocata: non autem à Pontificibus. De Cõcilio enim Nycæno primo scribit Solomenus lib. 1. cap. 16. Verùm vbi contrà quam exspectabat, res succederet, & cõtentio reconciliationem concordiæ impediret, potiusque ad pacem faciendam missus re infectâ reuerteretur, Constantinus indicit Concilium Nycęæ vrbis Bythiniç, scribitque ad omnes Ecclesiarũ Prçsides, vt ad diem constitutum adsint. Quod etiam habet Rufinus citatus à Bellarm. lib. 1. de Concil & Eccles. cap. 13. De Constantinopolitano autem primo testatur quoque Theodoretus lib. 5. Historiar. cap. 9. illud à Theodosio seniore indictum fuisse. Similiter Euagrius lib. 1. cap. 2. docet Ephęsinum primum nutu Theodosij iunioris conuenisse. Et Diuus Leo epistola 43. & alibi scribit Chalcedonens. Concilium ab Imperatore Martiano coactum: ergo Imperatoris est, non Pontificis Concilium generale congregare.

23 Confirmatur Primò, Quia Diuus Leo epistola 42. ad Theodosium, rogat vt iubeat Imperator intra Italiam conuocari Concilium. Secundò, Quia etiam Liberius Papa apud Theodoretum lib. 2. cap. 16. hoc concedere videtur, quod Imperatoriæ potestatis sit generale Concilium conuocare. Tertiò, Quia D. Hieronym. lib. 2. Apologię contra Rufinum loquens de quodam Concilio, cuius mentionem fecerat Rufinus, ita scribit: Dic quis Imperator hanc Synodum iusserit conuocari? vbi planè supponit Synodos non nisi ab Imperatoribus conuocari.

24 Respondetur, allegata Concilia fuisse quidem Imperatorum curâ & operâ conuocata: sed non absque Pontificum consensu & authoritate: nam quod ad Nycænum attinet, de eo sic loquuntur Patres 6. Synodi Actione 18. Constantinus semper Augustus, & Syluester laudabilis magnam atque insignem in Nycęa Synodum congregabant, Et cum Rufinus supra dicat, quòd ex Sacerdotum sententiâ Constantinus Concilium conuocarit, omnino fit verisimile illud quod Baronius circa annum Domini 324. in fine annotatum reliquit, vbi ita scribit: Res Romæ gestas à Constantino ante baptismũ, Baptismi tempore, ac postea prosecuti sumus, cum recedens idem Augustus ab Vrbe de his quç spectarent ad Oecumenicum conuocandum Concilium vnâ cum Sancto Syluestro Romano Pontifice, consilio communicato, & quç agenda forent firmiter stabilitis, profectus est in Orientem ciuitatem suo nomine conditurus, consulturus pariter afflictatæ Orientali Ecclesiæ hęresibus, & schismaticis laceratæ.

Quod vt plenius intelligatur, sciendum est, iam antea ad querelas & petitionem Alexandrini Episcopi Siluestrum Pontificem misisse Ozium Cordubensem ad partes Orientales, vt si quâ ratione posset, seditiones & Schismata illic exorta tum propter quæstiones de die Paschatis, tum propter hæresim Arrij: cui & Constantinus ad eundem effectum suas litteras dederat vt testatur Epiphanius hæresi 68. Sed cum iam re infectâ, vt testatur Solomenus supra, redijsset, tunc Constantinum Imperatorem simul cum Siluestro cogitasse de remedio efficaciori adhibendo, atque inter eos tum conuenisse, vt Concil. generale Episcoporum indiceretur: quod anno sequenti videlicet 325. fuit effectuatum. Cui tum Concilio etiam prædictus Ozius & Præsbyteri Romani à Siluestro illuc missi tamquam Apostolicæ Sedis Legati præsederunt: qui & eo nomine inueniuntur primo loco ante omnes Episcopos & Patriarchas Concilio Nycæno subscripsisse: vt licet videre latius deductum apud Baron. circa annum Domini 324. & 325. 25

26 De Concilio Constantinop. primo, prout refert Theodoretus constat non tam Theodosiũ indixisse Concilium illud, quâ litteras Damasi Pontificis misisse ad Episcopos: sic enim apud Theodoretum lib. 5. Histor. cap. 9. leguntur Episcopi congregati scripsisse ad Damasum Papam: Mandato (inquiunt) litterarum superiore anno à vestra reuerentia ad Sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum ad iter duntaxat Constantinopolitanum vsque faciendum, nos præparauimus. Quãuis igitur Theodosius conuocationẽ Concilij procurauerit, liquet tamen quòd ex authoritate Apostolicarum litterarum indixerit. Quare Patres in 6. Synodo dicunt Theodosium & Damasum obstitisse Macedonio per secundam Synodum, sicuti paulò ante dixerunt Constantinum & Siluestrum coëgisse primam Synodum, vt obsisterent Arrio.

27 De Ephesino primo scribit Prosper in Chronico, Illud Cyrilli industriâ & Cœlestini authoritate factum fuisse. Constat etiam ex Euagrio l. 1. c. 4. & ex epistolâ Cœlestini ad Cyrillum, quæ habetur inter opera Cyrilli, fuisse eundem Cyrillum deputatum Legatum Sedis Apostolicæ, vt eius vices in illo Concilio gereret: quod clarum est argumentum Synodum non sine

sine Pontificis authoritate fuisse congregatam.

28 Idem patet de Concilio Calced. ex epistola ipsius Martiani Imperatoris ad Leonem Papam, quę habetur ante Concilium Lacedonense: vbi Imperator indicturus Concilium, rogat Pontificem, vt ipse veniat & Concilium faciat, aut si hoc onerosum esset, per litteras significet, quid agi velit, & in fine concludit se scripturum ad Episcopos omnes, vt ad certum locum conueniant, Et quæ Christianorũ, inquit, religioni atque Catholicæ fidei prosint, sicuti Sanctitas tua secundum Ecclesiasticas regulas definiuerit, suâ dispositione declaret: item ex epistola Leonis 49. ad eundem Martianum, vbi postquam dixisset quod sui bene fuisset desiderij, vt celebratio Concilij ad tempus oportunius differretur, adiungit: Sed quia vos amore Catholicæ fidei congregationem Concilij nunc fieri voluistis, ne deuoto viderer obuiare arbitrio, fratrem & Coëpiscopum meum Paschasinum de eâ prouinciâ, quæ videtur esse securior, euocatum, qui vicem præsentiæ meæ possit implere, direxi, &c. Quibus manifestè Leo significat, quod non potuisset Imperator celebrare Concilium absq; suâ accedente voluntate: quodque potuisset illud impedire, sed maluisse eius satisfacere piæ voluntati: quodque propterea eò mitteret suum Legatum qui vices præsentiæ eius ibi impleret.

29 Confirmatur illudipsum ex epistolâ Gelasij ad Episcopos Dardaniæ, in quâ dicit Pontifex solam Apostolicam Sedem, vt Synodus Calcedonensis fieret, sua authoritate decreuisse. Vbi nota illud signũ exclusiuum (solam) non excludere Imperatoris operam, sed alias Sedes Episcopales, vt significetur quod, v. g. non Sedes Alexandrina, vel Antiochena, aut etiam Constantinopolitana: sed sola Romana authoritate suâ decreuerit illamSynodum faciendam, quamuis non sine ope & cooperatione Imperatoris Martiani: quod quia non aduerterunt hæretici, hinc immeritò arguunt Gelasium splendidi mendacij.

30 Quæret aliquis, Quare non Pontifices soli & per se indixerint & conuocarint tunc Concilia, sicut de post fecerunt & modò faciunt? Respondetur, id non ideo accidisse, vt hæretici prætendunt, quod nimirum Concilium sine Imperatoris authoritate congregatum, non foret habitum legitimum, aut ratum apud Christianos, cùm apertè scribat Athanasius in epistola ad vitam solitariam colente: Quando vnquam iudicium Ecclesiæ ab Imperatore authoritatem habuit?

Sed propter multas alias rationes tunc temporis militantes, quæ postea cessarũt: quarum vna imprimis erat, Quia tunc adhuc vigebant illæ Leges Imperiales, quæ prohibebant collegia & frequentiores hominum conuentus fieri sine Imperatoris authoritate, propter metum scilicet & periculum seditionis, aut tumultuum. Vide L. 1. ff. de Collegijs illicitis: & L. Conuenticula: C. de Episcopis & Præsbyteris. 31

Altera est, Quia etsi talis Lex non fuisset, cum eo tempore latissimè regnarent Imperatores, non poterat fieri Concilium, nisi in aliquâ vrbe Imperiali: ratio autem non permittit, vt in aliquo loco fiat conuentus tam generalis ex toto orbe sine licentiâ Domini illius loci; quemadmodum etiam modò, si Concilium deberet congregari, non in terris Pontificis, sed in ditionibus Regis Galliç, aut Hispaniarum, sine dubio rogaretur consensus illius ad quem Ciuitas aut Prouincia pertineret.

Tertia; Quia illis temporibus fiebant Concilia sumptibus publicis quoad transuectiones Episcoporum cum suis necessarijs ad locum Concilij, vt patet ex lib. 3. de vita Constantini apud Eusebium: vbi etiam addit toto tempore Concilij, omnes Episcopos sumptibus Constantini vixisse: quod etiam colligitur ex Theodoreto lib. 1. cap. 16. vbi refert; Quomodo cùm Liberius generale Concilium peteret fieri, fuisse responsum non sufficere censum publicum aduectioni Episcoporum.

Quarta deniq; ratio fuit, Quia eo tempore Pontifex, licet in spiritualibus esset caput omnium fidelium etiam Imperatoris, tamen in temporalibus submittebat se Imperatori, vt tradit Bellar. l. 1. De Cõcil. & Eccles. c 13. & ideo non poterat cõmodè cum spe alicuius effectus tentare talem conuentum Imperatore nolente: & licet satis fuisset petere cooperationẽ Imperatoris, vel tantùm petere vt sineret Synodum conuocari, tamen quia illum dominum in temporalibus agnoscebat, aut saltem vt talem colebat, maluit ei plus deferre, & rogare, vt ipse iuberet Concilium conuocari ad petitionem & voluntatem semper ipsius Pontificis: sic enim fiebat & quod Imperator cordatiùs, & magis seriò cooperaretur Pontificis intentioni, & Pontifex certiùs assequeretur suæ voluntatis effectum: quia ferè promptius in omnibus obeditur siue mãdatis, siue serijs votis Imperatorum aut Regum, quàm literis Pontificum aut Episcoporum sine istorũ cõiunctâ operâ, cõtra quas solẽt aliàs fieri sæpius aut exceptiones aut excusationes.

Ex his patet responsio ad Confirmationem 32

nem primam ex epistola 24. Leonis; cui addi possunt etiam quę ad eundem Theodosium scribit epistola 25. & 33. non enim aliud rogat Leo Imperatorem, quàm vt intra Italiam conuocet Concilium generale: idque, non quod ipse non haberet à se authoritatem conuocandi Concilium, sed propter rationes alias iam explicatas.

33 Obseruandum autem est, quod Leo petat expressè generalem Synodum, non Prouincialem, vt quidam hæretici malitiosè allegant, vt sic magis eleuent & minuant authoritatem Pontificis, & extollant Imperatoris potestatem: neque enim erat ratio cur Prouincialem Synodum peteret; nam solent Primates & Patriarchę sine operâ Imperatoris Concilia Prouincialia celebrare: non enim res ista tanti moliminis habebatur: quod ex ipsa epistola 25. manifestum est: quia hæc ipsa, non à solo Pontifice, sed ab ipso & à Concilio Prouinciali scribitur ad Imperatorem: sic enim titulus habet: Leo Episcopus & Sancta Synodus quæ in vrbe Roma conuenit, Theodosio semper Augusto; & ex epistola 33. vbi habetur: Sin verò aliqui à puritate nostræ fidei & Patrum authoritate dissentiant, Concilium vniuersale intra Italiam, sicut Synodus quæ ob hanc causam Romæ conuenerat, mecum petit, Clementia vestra concedat, &c.

34 Ad Secundam Confirmationem Respondetur, negando Liberium Papam dicere, aut admittere ad Imperatoriam potestatem per se & directè spectare conuocationem Concilij; sed tantùm petit Liberius, sicut & alij Pontifices fecerunt, vt Imperator velit operam suam impendere ad generalem Synodum faciendam: idque, tum propter rationes dictas, tū quod hic esset Arrianus, & proinde quidquid Pontifex eâ in parte fecisset, ipso non requisito, totum ab eo verisimiliter erat impediendum.

35 Ad Tertiam Confirmationem Respondetur, D. Hier. ibi reijcere assertionem quandam Rufini, quâ affirmabat Hilarij scripta, fuisse àb hæreticis ipso viuente sic vitiata, vt etiam ipse Hilarius propter illa fuerit accusatus, & excommunicatus in quodam Concilio, quod ipse non exprimit: idque vt simili modo excusaret Scripta Origenis. D. Hier. itàque illud negat, & ad eius confutationem, petit hoc modo: Synodus, à qua fuit excommunicatus Hilarius, in qua, inquit, vrbe fuit? dic Episcoporum vocabula: doce qui eo anno Cōsules fuerunt: quis Imperator hanc Synodum iusserit congregari? Vt autem D. Hier. interrogatio & argumentū habeant vim suam, non est necesse dicere, quod ipse agnoscat ad Imperatorem per se pertinuisse conuocare Synodum: sed satis est, quod ipse supponat id quod tum in vsu erat, videlicet, quod Synodi Imperatoriâ curâ & operâ congregarentur.

Mouent Hæretici difficultatem & contra plura alia Concilia, quæ volunt ab Imperatoribus tantùm fuisse conuocata: quod quidem de nonnullis ex istis verum esse admittimus; sed quæ non fuerunt vera Concilia, neque ab Ecclesiâ vnquam recepta: sed tantùm hæreticorum Conciliabula. De alijs verò, quæ Ecclesia recepit, omnino negandū est: semper enim Pontificis authoritas simul interuenit: quod iterum est manifestum de sexta Synodo, quam etiam causantur quidam Sectarij nescio Pontifice, esse indictam: Contrarium enim patet ex edicto Imperatoris de conuocandâ Synodo ad Patriarcham Constantinopolitanum: quia narrat se ad Diuum Papam Antiquæ Romæ de Synodo congregatâ scripsisse, Et illo, inquit, de hoc sæculo migrante, Agatho Sanctus nuper ordinatus Papa, in Apostolicâ Sede prædictæ Antiquæ Romæ, huiusmodi nostros pios suscipiens Apices, destinauit in præsenti, propriam eius indutos personam Theodorum & Georgium Deo amabiles Præsbyteros &c. 36

Ex quibus liquet, sicut & ex alijs hactenus dictis, Concilia generalia, non tantùm fuisse semper ex consensu & authoritate Romani Pontificis congregata: sed etiam per suos Vicarios aut Legatos ijsdem præsedisse. Nec dubitari potest, ad illius authoritatem primò & directè pertinere eiusmodi Conuentus conuocare: ad quem spectat ijsdem pręsidere. 37

Quæritur hîc: An non possit Concilium indici ab alio, quam à Papa, quando ipse non debet aut non potest illud indicere? v. g. si ponatur esse hæreticus, aut schismaticus, vel quando esset amens effectus, aut esset mortuus: Respondetur, non posse indici Concilium perfectum, & propriè dictum, de quo hic loquimur; quod videlicet authoritatem habeat dubitationes & controuersias fidei determinandi ac definiendi: nam authoritas & infallibilis certitudo in istis determinationibus ab alijs non habentur, sine Petro, siue eius successore, cui particulariter demandatū est, vt confirmet fratres suos. Addo tamen in istis casibus posse, aliquod Concilium imperfectum fieri, quod sufficiet ad prouidendum Ecclesiæ de Capite: nam Catholica Ecclesia sine dubio, quando Caput non est, habet authoritatem prouidendi sibi de Capite, licet interim sine Capite non possit statuere de multis, de qui- 38

de quibus poteſt cum Capite: vt bene docet Caiet. Opuſculo de Poteſtate Papæ cap. 15. & 16. Et colligitur ex epiſtola Cleri Romani ad Cypr. quæ eſt 7. lib. 2. inter epiſtolas Cypriani. Vbi Præſbyteri & Diaconi Sede vacante per mortem Fabiani Papæ, ita ſcribunt: Cuius temperamenti moderamen (ſcilicet inter ſeueritatem & indulgentiam circa lapſos) non hic tenere quærentes, & diu & quidem cum quibuſdam Epiſcopis vicinis, & appropinquantibus, & quos ex alijs Prouincijs longè poſitis perſecutionis iſtius ardor eiecerat, ante conſtitutionem Epiſcopi (ſcilicet Romani) nihil innouandum putamus &c. Eiuſmodi autem Concilium Imperfectum fieri poterit, inquit, Bell. lib. 1. cap. 14. de Concilijs & Eccleſia, ſi vel iudicatur à Collegio Cardinalium, vel ipſi per ſe Epiſcopi in locum vnum conueniant.

39 Quæritur Secundò: Quid ſi Conciliũ ſit Eccleſiæ neceſſarium, & Papa ex malitiâ nolit conuocare Concilium. Reſpondetur: nunquam diuina prouidentiâ permittet, vt in vera & abſoluta neceſſitate ex qua Eccleſiæ ſalus totaliter dependeat, Pontifex deſit officijs tam neceſſarijs: quẽadmodum enim in fidei definitionibus & morum decretis infallibiliter ſemper Dominus ei aſſiſtit, inſtruit & dirigit, ne aliquid contra fidem aut morum honeſtatem determinetur aut ſtatuatur, ſic quoque tenendum eſt, quod nunquam prætermittet eum excitare, & efficaciter mouere ad Concilium congregandum, quando hoc ad Eccleſiæ conſeruationem eſſet neceſſarium. Vnde etſi fortaſſis plurimi iudicarent vtiliſſimum fore, aut etiam neceſſarium eſſe, quod Concilium generale conuocaretur; ſi tamen Pontifex ab eo ſit alienus, non eſt à quoquam, aut à quibuſcumque tentandum, vt illud conuocent; ſed præſupponendũ potius quod alijs modis Deus Eccleſiæ neceſſitatibus ſuccurret; aut quod ipſe velit permittere ad tempus Eccleſiam premi, quam tamen nunquam permittet omnino opprimi. Vide Turrecremat. lib. 3. Eccleſiaſticæ Hier. cap. 8.

DVBIVM III.

Vtrùm Concilia ſint infallibilis authoritatis?

40 CONCLVSIO Prima, Concilium generale ſimul cum Pontifice, ſiue à Pontifice confirmatum, eſt infallibilis omnino authoritatis & veritatis, tã in decretis fidei, quam morũ. Vbi quod dicitur de decretis morum, accipiendum eſt, ſicut id ſupra explicuimus in Tractatu de Pontifice num. 192. Eſt autem certa de fide, & communis omnium Catholicorum.

Probatur Primò ex Scripturis Matth. 18. *Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint; fiet illis à Patre meo qui in cœlis eſt. Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum:* Vnde conficitur huiuſmodi argumentum: Chriſtus hic promittit etiam duobus vnanimi affectu aliquid petentibus, effectum petitionis à Patre ſuo dandum; atque adeo ſe adfuturum, ſcilicet ope & directione tali congregationi in nomine eius factæ; ergò multò magis omnibus Prælatis Eccleſiæ generaliter congregatis, & vnanimiter intelligere poſtulantibus ea quæ ad ſanæ fidei conſeruationem, & fidelium ſanctificationem pertinent, tribuet Dominus poſtulatos effectus, & aderit Chriſtus in medio illorum ad inſtructionem & directionem, ne aliquid erroris contra fidem aut bonos mores in ſuis decretis committant: ſi enim in congregatione paucorum & priuatorum Chriſtus adſit, vt eos iuuet in rebus minoribus & congruis eorum ordini & ſtatui, dubitari non poteſt quin certiùs adſit, & efficaciùs in congregatione totius Eccleſiæ, vt eam illuminet & dirigat in rebus iſtis maximis. 41

Confirmatur, Quia ad illud propoſitum videtur Chriſtus iſta dixiſſe; præmiſerat enim ſi quis fraternè correptus non ſe emendaret, quatenus talis deferretur ad Eccleſiam, exponens ſimul Eccleſię poteſtatem iſtis verbis: *Amen dico vobis, quacumquè alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumquè ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Vt autem id credibilius magiſque teſtatum reddat, quod Eccleſia tantum poterit, videtur adijcere: *Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint,* &c. Matth. 16. *Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Item Matt. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi:* quod intelligit per auxilia, illuminationes & directiones exhibendas Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus in omnibus ad Eccleſiæ fidem, eiuſque conſeruationem & gubernationem pertinentibus: 1. ad Timoth. 3. dicitur *Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.* Plenum igitur ſiue generale Conc. non poteſt in rebus fidei & decretis morum aberrare. 42

Confirmatur, Quia alioqui portæ inferi aduerſus Eccleſiã præualerent: Chriſtus quoque contra ſuam promiſſionem 43

conuinceretur Ecclesiam deseruisse; neque ipsa foret, aut dici posset columna & firmamentum veritatis, quia Concilium generale repræsentat & sustinet personam totius Ecclesiæ, sicut enim quælibet particularis Ecclesia est & repræsentatur in Episcopo suo secundum Cyprianum lib. 4. epistola 9. ita etiam vniuersalis Ecclesia in Episcopis vniuersaliter simul collectis. Deinde quia Episcopi à reliquis fidelibus sunt habendi vt Pastores, audiendi vt magistri, sequendi vt duces, iuxta illud Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit:* & ad Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.* si igitur Episcopi legitimè congregati cum capite Romano Pontifice in fide errarent, necessum est quod tota Ecclesia consequenter aberraret, quia reliqui debent sequi doctrinam quæ ab illis traditur & definitur.

44 Probatur Secundò ex Sanctis P P. qui inprimis docent Concilij generalis definitionem in causis esse vltimum iudicium irretractibile & omnino immutabile, sic vt ab eo nulla supersit appellatio, aut relinquatur vlterius examen causæ; ergo censent illud omnino certũ & infallibile: alioquin immeritò cogerent omnes stare tali iudicio, nec admitterent vlteriorem inquisitionẽ ad iterum iudicandum. Antecedens patet ex Athanas. in epistola ad Epictetum, vbi dicit, Decreta Concilij Nycæni non posse mutari nisi èrrando: vnde miratur quod aliqui audeant mouere quæstionem de rebus ibi definitis. Ex August. epistola 162. vbi id expressis terminis docet. Ex Leone epistola 33. ad Theodosium Augustum epistola 50. ad Marcianum Augustum, & epistola 61. ad eos qui in Cõcilio Chalcedonensi congregati fuerunt. Idem docet Gelasius epistola ad Episcopos Dardaniæ, & statuitur in Concil. Ephęsino circa finem, & in Chalcedon. Actione 5. Can. vltimo. Deinde docent Sancti Patres eos separandos à cõmunione, & hæreticos habendos, qui non acquiescunt definitionibus Concilij generalis: quod patet primò, quia ipsi Patres Concilij dicunt, Contradictoribus Anathema, vt de Nycæni Patribus testatur Athanasius in epistola ad Episcopos Africæ, de alijs autem constat ex ipsis actis Conciliorum. D. Greg. lib. 1. epistila 24. dicit Anathema non recipientibus generalia Concilia quinque, quæ sola ad illud vsque tempus celebrata erant, Quia, inquit, dum vniuersali consensu sunt constituta, se & non illa destruit quisque præsumit, aut soluere quos religant, aut ligare quos soluunt: quisquis ergo aliud sapit, Anathema sit. Ibidem dicit se quatuor prima Concilia generalia venerari tanquã quatuor Sancta Dei Euangelia, quibus tunc quintum adijcit & æquiparat: vide etiam D. Leonem epistola 77. & 87. hinc D. Ambr. epistola 32. Sequor, inquit, tractatum Concilij Nycæni à quo nec mors, nec gladius poterit me separare.

Probatur denique rationibus, Quia si Concilium generale posset errare, nullum esset in Ecclesiâ firmum iudicium quo quæstionis & controuersiæ fidei possent componi & vnitas Ecclesiæ conseruari: nihil enim in Ecclesia maius est Concilio generali legitimo & approbato. Frustrà autem diceretur in Scripturis sacris haberi maius & vltimum iudicium, quia omnes controuertentes affirmant à parte suâ stare sententiam Scripturæ: debet ergo in Ecclesia alius esse Iudex, qui sine errore possit iudicare pro quâ parte stet sententia Scripturæ. 45

Secundo poterunt meritò reuocari iterum in disputationem omnes hæreses dãnatæ, si Concilia legitima errare possunt, diceret enim Arrius, errasse Concil. Nycænum: Macedonius, errasse Constantinop. Nestoreus, errasse Ephæsinum: Eutikes, Chalcedonẽse, & sic de reliquis.

Tertiò, Quia Scriptura attribuit Spiritui Sancto determinationes & decreta eiusmodi Concilij. Act. 15. *Visum est Spiritui Sancto & nobis*: Vnde etiam Cyril. lib. 1. de Trinitate vocat decretum Concilij Nycæni diuinum & sanctissimum oraculum; ergo &c.

Conclusio Secunda: Concilia particularia approbata à Summo Pontifice, nullum possunt continere errorem in fide aut moribus. Est hæc eiusdem rationis & certitudinis cum illâ quâ supra statuimus Rom. Pontificem non posse errare in fide aut moribus, etiam absque Concilio generali, & inde sufficienter existit probata. Si enim Summus Pontifex errare non possit, euidenter sequitur nec vllum Conc. posse continere errorem in ijs, in quibus ab eo est approbatum. Deinde si eiusmodi Concilia non essent infallibilis veritatis, plurimæ hæreses quæ tantum damnatæ sunt in Concilijs particularibus, iterum possent in dubium reuocari: vt Pelagianorum, Priscillianistarum, & aliorum. Sed contra conclusiones positas 46

Objiciunt Hæretici primò, Concilium Iudæorũ Præside Summo Pontifice Caiphâ errasse, quando pronuntiauit Christũ blasphemasse, qui se Dei Filium dicebat; ergò &c. Respondetur, Summos Pontifices & legitima Concilia apud Iudæos non potuisse quoque errare, donec Christus quem Synagoga exspectabat venturum, 47

cum,

rum, aduenisset; sed ipso iam præsente, & Euangelium annuntiante, potuisse errare: nam & hoc prædictum erat Isaiæ 6. Danielis 9. & alibi. Iam enim status veteris Testamenti, qui potissimum consistebat in figuris & vmbris futurorum, præsente veritate, dissoluebatur & exolescebat; atque ita eorum etiam qui in eo præerant, munia & officia cessare debebant, & sic mirum non est, si suis priuilegijs diuinitus eis promissis vsque ad Messiæ aduentum tunc quoque priuarentur.

48 Obijciunt Secundò ex Sanctis Patribus: D. Gregor. Nazianzenus in epistola ad Procopium ita de Concilijs scribit: Ego, si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, vt omnia Episcoporum Concilia fugiam, quoniam nullius Concilij finem lætum faustumque vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem & incrementum habuerint; ergo non sunt Concilia illius authoritatis & æstimationis, cuius hîc asseruntur esse. Respondetur, loquendo de legitimis Neg. Conseq. Non enim negat Nazianz. hæc facere certam fidem, sed conqueritur suo tempore, nullum potuisse fieri omni ex parte legitimum, idque meritò conquerebatur: nam eius ætas incidit inter duo prima generalia Concilia Nycænum & Constantinop. quo tempore intermedio sunt multa tentata Concilia, quę propter multitudinem Episcoporum ad hæresim declinantiũ & hæreticis fauentium infœlicem habuerunt exitum, vt fuerunt Seleuciense, Ariminense, Mediolanense, & alia: & propterea non approbabat Gregorius iterum tentari Concilium ad quod ipse vocabatur nomine Imperatoris à Procopio: vnde & petebat haberi excusatus, tum quod non speraret aliquem fœlicem successum, tum etiam, quia detineretur grauiori morbo.

49 Possunt hæc confirmari ex D. Basilio qui eodem tempore vixit, & in epistola 52. ad Athanas. scribit, Videri sibi impossibile, vt eo tempore fieret legitimum Cõcilium, & ideo debere scribi ad Romanum Pontificem, vt ipse suâ authoritate irritaret Acta Concil. Ariminensis: alioquin quod Nazianz. putauerit omnino standũ iudicio Concilij legitime celebrati, patet ex eius epistola ad Clidonium: cum enim Appollinaristæ negarent se esse hęreticos, & allegarent se receptos in quodam Concilio Catholico, respondet ille, Ostendant hoc & nos acquiescemus: perspicuũ enim erit, inquit, eos rectæ doctrinæ assentiri, nec enim aliter se res habere potest si id consecuti sunt. Deinde fuit ipse maximus prædicator Cõcilij Nycæni, sic quod eius operâ Constantinopoli reuixerit fides Nycæna, quæ per Arrianos iacebat ibi quasi exstincta, vt refert historia Tripartita lib. 9. cap. 9. Præterea interfuit postmodum Concilio secundo generali, vt patet ex subscriptione & ex oratione eius habitâ ad ipsos PP.

Ex Aug. Obijciunt Primò, quod scribit l. 3. contra Maximinum c. 4. Nec ego Nycænum, inquit, nec tu debes Ariminense tanquam præiudicatus proferre Concilium: nec ego huius, nec tu illius authoritate detineris; ergò &c. Respondetur Aug. sic scribere ad Maximinum Arrianorum Episcopum, non quod censeret illum verè non teneri authoritate Concilij Nycæni, sed quod sciret illum non recipere illud Concilium, & proinde nec posse, aut velle stringi eius authoritate, & propterea in eâ disputatione id indulgebat August. quod scilicet non vrgeret aut premeret illum per doctrinam illius Concilij: nouerat enim quod si vrsisset Concil. Nycænum, quod alter è contrà opposuisset Conciliabulum Ariminense, quod fuit Arrianorum: atque ita priusquam ad rem fuisset ventum, oportuisset disputare de validitate vnius & inualiditate alterius: quam disputationem declinauit August. quia suppetebant ei sufficientia & optima argumenta ad propositum suum ex Scripturis. Sensus itaque verborum August. est: Omittamus nunc Concilia quorũ vos non recipitis vnum, & nos reijcimus alterum, sed ad Scripturas quas communiter recipimus, veniamus. Patet hic sensus ex adiunctis: àddit enim, Scripturarum authoritatibus, non quorumque proprijs, sed vtrisque communibus testibus res cum re, causa cum causâ, ratio cum ratione concertet. 50

Secundò ex eodem Obijciunt, Quod scribit lib. 2. de Bapt. cap. 3. Ipsaque plenaria sæpe priora (scilicet Concilia) posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat: si plenaria priora à posterioribus emendantur, ergo aliquando plenaria errant. Respondetur Primò, dici posse August. ibi loqui de Concilijs generalibus in communi, tam illegitimis & non approbatis, quam de legitimis & probatis: & sic quidem fieri quod priora, quæ scilicet non fuerunt legitima & errores continent, emendentur per posteriora legitima: sicut Ephæs. secundum fuit emendatum per Chalcedonense. 51

Resp. Secundò, si quis contendat eum loqui tantum de legitimis, posse tribus modis contingere, quod priora dicantur emendari à posterioribus: Primò si deci-

derit prius Concilium forsitan aliquam quæstionem facti: v. g. iudicauerit aliquem Episcopum aut Patriarcham certi criminis reum, ideoque à gradu suo illum deposuerit, poterit Concil. posterius id emendare, si experimento rerum innotescat eum non fecisse quod probatus fuerat fecisse. Secundò in Decretis & Legibus quæ ad Ecclesiæ conueniens regimen aut disciplinam pertinent, hactenus scilicet, quod ea quę in prioribus Concilijs pro ratione illius temporis bene quidem constituta erant, sed deprehenduntur posterioribus temporibus minus conuenire, aut inutilia esse, abrogari possint per Concilia subsequentia, & ordinari alia secundum rationem temporis commoda: leges enim & præcepta mutantur iuxta temporum, locorum, & personarum conditiones: quæ mutationes dicuntur emendationes, non quod res mala esset eo tempore quo institueretur, sed quod mala aut inutilis esse cœperit mutatis circumstantijs.

Tertiò in materijs doctrinalibus, puta quando priora Concilia non absolutè & simpliciter definierunt vnam partem quęstionis, tanquam fide tenendam: sed solum vt probabiliorem aut apparentioris veritatis sequendam proposuerunt: tunc enim fieri potest, quod posteriora rebus omnibus magis examinatis, definirent absolutè & simpliciter oppositam quæstionis partem, & sic etiam quodam modo priora emendarentur, aut perficerentur à posterioribus.

Iuxta aliquem igitur ex tribus istis modis illigendum erit, priora emendari à posterioribus ex mente D. Augustini; non autem quod posteriora emendent determinationes in rebus fidei absolutè per priora factas: id enim nunquam fieri potest, quod etiam satis indicat August. lib. 1. de Bapt. cap. 18. Vbi excusat Cyprianum, quod ei cum multis alijs Africæ Episcopis visum fuisset, debere ab hæreticis baptizatos rebaptizari, priusquam plenarij Concilij sententia quid in hâc re esset sequendum totius Ecclesiæ concensio confirmasset, non excusaturus eundem, si post sententiam plenarij Concilij voluisset suæ sententiæ inhærere, si ante eius mortem fuisset generale Conc. celebratū.

92 Obijciunt Tertiò ex Diuo Leone, qui epistola 53. ad Anatolium Patriarcham Constantinopolitanum, epistola 54. ad Marcianum Augustum, & 55. ad Pulcheriam Augustam agnoscit Synodum Chalcedonensem tanquam legitimam; & tamen dicit eam tractam & impulsam in occasionem ambitus, & indebitam conniuentiam, quod scilicet ambitioni Anatolij Patriarchæ fauisset, & ei locum supra Alexandrinum & Antiochenum contra constitutiones Concilij Nycæni attribuisset. Respondetur, nihil contra nos facere ea quę scribit in illis litteris D. Leo: nam agnoscit quidem Conc. Chalcedon. legitimum, eiusque etiam Acta circa materias fidei, quibus eius Legati interfuerant, approbat & confirmat: In istis autem, nullus est repertus hactenus error: sed improbat ac reijcit quandam eiusdem Concilij sententiam siue constitutionem, quæ concernit particularem quæstionem facti, videlicet de loco & iure Patriarchę Constantinopolitani: absentibus enim Legatis Sedis Apostolicæ & post conclusa Acta in quæstionibus fidei, reliqui Patres constituerunt, vt Constantinopolitanus Patriarcha præferretur Alexandrino & Antiocheno, etiam Sedibus horum authoritati illius submissis, vt colligitur ex citata epistolâ Leonis 53. Istam igitur ordinationem Concilij Chalcedon. tanquam repugnantem regulis apud Nycęam conditis in irritum se mittere & per authoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus determinatione cassare declarat. Scribit hoc ipsum Leo epistola 55. ad Pulcheriam Augustam, Hæc autem non pugnare cum nostris dictis, manifestum est primò: quia ista constitutio fuit tantum determinatio particularis facti. Deinde non est ordinata pręsentibus Legatis Pontificis. Tertiò, Non fuit à Sede Apostolicâ approbata aut cōfirmata: In istis autem factis & sic gestis admittimus posse interuenire errores.

Obijcitur Quartò Isidorus, vt apud Gratianum habetur dist. 50. Can. Domino Sancto, dicit, quando Concilia inter se dissentiunt standum est antiquioribus magisque probatis; ergò Concilia aliquando errant, quia quando dissentiunt, & repugnantia tradunt, tunc necesse est alterum errare. Respondetur, Loquitur Isidorus de Concilijs, quorum est incerta authoritas, de quibus videlicet non constat quod à Pontifice sint confirmata, in quibus posse reperiri repugnantes opiniones, aut errores non negamus. 53

Allegant denique hęretici & opponunt infinitos quasi errores Conciliorum: Sunt autem isti in triplici genere: quidam enim sunt veri & crassi errores, sed Conciliorum quæ nunquam fuerunt à Pontifice approbata, aut ab Ecclesiâ recepta, imo reiecta & reprobata: vt Ariminensis & Seleuziensis, Ephęsini secundi, & similiū. Quos errores frustra cōgerunt quia nihil contra hanc Catholicorum doctrinam faciunt. Alij non sunt veri errores, sed vera dogmata fidei Catholicę, & sancta decreta in Con- 54

in Concilijs legitimis determinata & condita, quæ tamen ipsi tanquam crassos errores reprehendunt, quia hæresi illorum aduersantur: sic allegant Conc. Chalcedonense errasse, quando in eo prohibentur Moniales votũ continentiæ violare, & sic ex alijs multa allegant. Sed & huiusmodi frustra recensent, quia negamus esse errores, & oppositum, quod ipsi sustinent, dicimus erroneum & hæreticum. Alios denique adducunt errores ex veris & legitimis Concilijs, id est, sententias quasdam, quæ habent speciem erroris, atque adeo in sensu, quo ipsi eas accipiunt, errores sunt, non tantùm ipsorum, sed etiam nostro iudicio: Verùm quamuis verba seorsim prolata aliquousque possent videri præseferre eiusmodi sensum, negamus quod ille sit sensus ex mente Conciliorum & Patrum, sed habent alium sensum verum & sanum, quem Concilia intenderunt significare. Prætermittimus autem hic ea proponere, quia circa diuersas Theologiæ materias solent obscuriores istę authoritates Conciliorum opponi & ibi explicari.

55 CONCLVSIO Tertia: Concilia non tantùm particularia, sed etiam vniuersalia absque Pontificis confirmatione aut approbatione, non sunt infallibilis authoritatis, etsi quoque in ijsdem adsint Rom. Sedis Legati. De Concilijs particularibus, est certa & communis sententia. Et probari potest ex Can. 2. dist. 18. vbi dicitur, Concilia Episcopalia (id est, Prouincialia ab aliquo Episcopo aut Archiepiscopo indicta) esse inualida, ad definiendum videlicet quæstiones fidei, ita vt eorum definitio valeat ad certam fidem statuendã, non accedente superiori authoritate. De Concilijs generalibus non ita sunt Doctorum sententiæ concordes: nam qui putant Conc. generale esse supra Pontificem, cum alijs nonnullis tenent etiam Concilium vniuersale legitimum non posse esse obnoxium errori, quantumuis Pontificis approbatio non accesserit: Alij autem magis communiter docent contrarium. Vt verò hæc res pleniùs intelligatur:

56 Notandum est primò, Romanos Pontifices aliquando mittere suos Legatos ad Concilium generale cùm certâ instructione de suâ sententiâ circa quæstiones in Concilio disputandas & determinandas; sicuti constat factum in Concilio Calcedonensi quarto generali per Leonem, quãdo suos Legatos misit: item in sexto & septimo Concilio: Aliquando autem sine instructione, vt factum est in Concilio Trid. Ratio autem huius diuersi modi agendi potest esse, quod in aliquibus Concilijs tantùm quæstio vna aut altera sit mouenda & definienda, vt accidit in primis illis Concilijs generalibus: & ideo Sedes Apostolica facilè possit dare Legatis suis instructionem de mente sua: In alijs autem, aliquando plures materiæ, & variæ quæstiones sunt examinandæ & determinandæ, vt in Concilio Tridentino: vnde non tam facilè potest dari eiusmodi instructio Legatis. Accedit quod aliquando minùs distet locus Cõcilij à Sede Apostolicâ, sic vt ad omnem occasionem possit faciliùs informari Concilium de Romani Pontificis sententia, vnde non ita opus est prçuiam dare instructionem Legatis.

Notandum Secundò, Posse quatuor modis contingere determinationem quæstionis per Concil. generale: Vno modo, quod Patres Concilij in vnam partem cõsentiant & eam definiant; sed dissentientibus Legatis Apostolicæ Sedis. Secundò, vt definiant etiam assentientibus Legatis, sed contra instructionem à Sede Apostolicâ eis datam. Tertiò, consentientibus omnibus etiam Legatis Sedis Apostolicæ, sed qui non habuerunt instructionem Sedis Apostolicæ. Quartò, consentientibus omnibus & etiam Legatis conformiter ad instructionem, quam à Sede Apostolicâ habebant. De duobus itaque primis modis non apparet difficultas, quia satis constat sic procedendo, posse errores à Concilio committi: nam & de facto errauit Conc. secundum Ephes. quod repugnantibus Legatis Leonis Papæ processit ad decreta sanæ fidei contraria: vt patet ex epistola 24. & 25. Leonis ad Theodosium: item Conc. Constantinop. tempore Nicolai I. errauit, vbi Legati Nicolai contra instructionem Papæ egerunt; vt patet ex epistola eiusdem Pontificis ad Patriarchas & cæteros Episcopos Orientis; & ex Sonora in vitâ Michaëlis Imperatoris. 57

Neque mirum videri debet: quia non possunt esse aut dici Concilia legitimè celebrata, aut legitimè processisse, quæ cũ capite suo pugnant: quando autem alij Patres ad definitionem procedunt, reclamantibus ijs, qui tenent locum & vices Capitis, censentur pugnare cum Capite. Similiter quoque, si hi quidẽ consentiunt; sed contra expressam instructionem eis à Sede Apostolicâ datam: quia tunc non agunt vt Legati, cùm non agant nomine Pontificis; disertè enim Leo epistola 45. & Agatho in epistola ad Imperatorẽ, quæ lecta fuit in 6. Synodo Actione 4. affirmant se non dare authoritatem Legatis, nisi secundum traditas sibi regulas. 58

E contrà autem de quarto modo res apparet omnino certa, quod eiusmodi definitiones Concilij vniuersalis non possint 59

esse

esse obnoxiæ erroribus: nã inprimis adest sufficiens Pontificis approbatio, quia inuenitur expressus eius consensus datus Legatis: quandoquidem ergo simul accedit consensus reliquorum Patrum Concilij, consequens est, quod definitio illa absolutè & simpliciter sit totius Ecclesiæ, quæ sine dubio errare non posset.

60 Dicet aliquis: Instructio illa Pontificis præuia non est definitiua sententia Sedis Apostolicæ: quia Episcopi in Concilio non sunt obligati illam sequi: alioqui enim iam non essent libera suffragia, neque viderentur comparere vt Iudices causæ, quia per præuiam definitionem Sedis Apostolicæ omnibus præiudicatum esset: ergo videtur quod non sit firma & certa adhuc determinatio Concilij generalis, licet conformiter cum instructione quam Legati Sedis Apostolicę à Pontifice acceperunt, decernat & definiat: Respondetur Neg. Conseq. quamuis enim ista instructio per se non sit definitiua sententia Sedis Apostolicæ, tamen quando Concilium consentit cum illâ instructione, & sic formatur decretum à Legatis nomine Pontificis, tunc incipit esse sententia definitiua & vltima, non tantùm Concilij, sed etiam Pontificis: nec potest eam Pontifex retractare: nam vel hoc certissimum signum est, fuisse eam à Deo, quando ab vniuersali Concilio approbatur, quod conformiter sentit.

61 Indicat id D. Leo epist. 63. ad Theodoricum: Quæ Dominus, inquit, nostro prius ministerio definierat, vniuersæ fraternitatis irrefragabili firmauit assensu, vt verò à se prodire ostenderet, quod prius à primâ omnium Sede formatum, totius Christiani orbis iudicium recepisset, vt in hoc quoque Capiti membra concordent.

62 Vt autem hæc faciliùs apprehendantur, sciendum est, dum Pontifices mittunt Legatos cum instructione, quod soleant eos mittere cum istâ conditione; Vt si Conc. consentiat iudicio aut instructioni Sedis Apostolicæ, tunc formetur decretum: sin minus, tunc differatur decreti formatio, donec Rom. Pontifex vlteriùs informatus & consultus, respondeat. Quæ constant ex Concilio Chalcedonensi: nam Actione 3. mox vbi Concilium consensisset iudicio Pontificis circa Dioscori depositionem, formarunt Legati decretum sub nomine Leonis Pontificis, quo Episcopali dignitate nudabatur, & ab omni Sacerdotali opere fiebat extorris. Actione autem 16. cùm Concilium vellet aliquid decernere contra informationem Pontificis, dixerunt Legati, debere id prius significari Sedi Apostolicæ; Quando igitur Concilium decernit conformiter ad expressam sententiam Pontificis, quam deferunt Legati, perinde est, ac si Pontifex ibi coram dixisset sententiam: & proinde ac si Concilij decretum approbasset aut confirmasset. Vnde D. Leo epistola 61. ad Episcopos qui interfuerunt Concilio Calcedonensi, quâ illud quoad materias fidei confirmat, apertè significat opus non fuisse nunc suâ confirmatione, nisi quia videbantur dubitare aliqui, vtrùm reuerà secundum eius sententiam, & cum eius cõsensione fuissent determinationes factæ. Vt igitur omnibus constaret verè ex suo expresso mandato acta esse, quæ eius Legati retulerant & egerant, ideo submittebat epistolam illam confirmatoriam.

Probatur Secundò, Quia in eiusmodi Concilijs non exspectatâ aliâ confirmatione Pontificis, mox solet fieri exsequutio, id est, damnantur qui contrarium sentiunt tanquam manifesti hæretici, & rei deponuntur ab Episcopatu, aut opere Sacerdotali. Ita in Nycæno Concilio damnati sunt & missi in exilium sex Episcopi simul cum Arrio, vt scribit Rufinus lib. 10. Historiarum cap. 5. In Ephesino, damnatus & depositus est Nestorius, vt testatur Euagrius lib. 1. cap. 4. In Chalcedonensi, Actione 3. deponitur Dioscorus, & Actione 4. decem Episcopi Ægypti iudicantur hæretici, quia nolebant acquiescere decreto prolato Actione 3. Similiter cum Macario Patriarcha Antiochæno fuit actũ in Synodo 6. Act. 8. & 12. Si autem ista Concilia potuissent errori esse obnoxia ante accedentem vlteriorẽ Pontificis confirmationem, iam non fuissent adhuc manifesti hæretici iudicandi, qui ante istam confirmationem restitissent: ergo &c. 63

De tertio autem modo, res versatur in controuersiâ, sed omnino videtur dicendum, tale Concilium posse errare, nec eius iudicium habendum prorsus infallibile ante confirmationem Pontificis accedentem: Primò, Quia mittuntur acta eiusmodi Concilij ad Pontificẽ cõfirmanda, & potest ea approbare aut reprobare, vt colligitur ex Gelasio Papa ad Episcopos Dardaniæ, & ex ep. Nicolai Papæ ad Michaẽlẽ Imperatorem, & ex praxi Conciliorum petentium confirmationem: & nominatim ex Bullâ Pij IV. in qua confirmat Conc. Tridentinum. 64

Sed contra hoc Argumentum, Forsitan dicet aliquis; Etsi Concilia mittantur ad Pontificem signanda aut confirmanda, nõ tamen idcirco posse ab eo reprobari, quando sic præsentibus & consentientibus Legatis eius, qui contrariam instructionem non habent, omnia sunt legitimè conclusa & de- 65

& determinata. Confirmatur, quia Episcopi in Concilio adsunt, non vt Consiliarij tantùm qui causas discutiant & examinent; sed vt veri Iudices quæstionum & causarum, & propterea quoque Episcopi soli iure ordinario, tanquam absoluti Pastores & Principes in regimine Ecclesiarum habent suffragium definitiuum: si enim essent tantùm Consiliarij, tunc potius viri docti, quam Episcopi deberent vocari, & habere suffragium: ergo Pontifex qui in Concilio est veluti præses, siue per se, siue in suis Legatis, tenetur in decretis formandis sequi sententiam Concilij: imò etiam maioris partis: hoc enim ad præsidis officium pertinet: Quando igitur Patres Concilij concorditer cum Legatis Apostolicæ Sedis concluserunt quippiam, licet non habuerint particularem desuper instructionem Legati à Pontifice, non poterit Pontifex tamen illud reprobare: quia si personaliter præsens fuisset, debuisset ipse (vt apparet) secundum eandem sententiam concludere.

66 Respondetur Neg. prius assumptum: & ad confirmationem dico, admisso posteriori illo assumpto, Negandam esse consequentiam: quia licet præses Concilij agens purè & merè officium præsidis, debeat sequi in decreto formando maiorem partem suffragiorum, non tamen id perpetuò verum esse, si aliqua alia qualitas concurrat: quando enim qui præsidet simul est supremus Reipublicæ Rector, potest ipse ex causis, in concludendo non sequi maiorem partem iudicum, sed saniorem. Sic ergo Rom. Pontifex quoque, quia non merus Præses est, sed etiam summus Princeps & Pastor Ecclesiæ, potest emendare aut retractare quod à Corpore Concilij est iudicatum: idque iustiori ratione ei attribuitur, quia ipsius est confirmare & dirigere fratres suos, & ad hoc habet Spiritus Sancti assistentiam, ne erret, vt ex ante dictis de Pontifice constat. Vide à Turrecremata lib. 3. cap. 63. & 64. & Melchiorem Canum lib. 5. de Locis cap. 5. quæst. 2.

67 Addo tamen, Nunquã forsitan accidisse, vt cum Pontifice non consenserit maior pars, quando Concilia fuerunt sine fraude & dolo in præsentia Legatorum eius celebrata: Secus quidem, quando fraudes interuenerunt: nam irritauit Damasus Acta Concilij Ariminensis, quibus maior pars Episcoporum consenserat; sed Episcopi Catholici decepti fuerant vocabuli Græci obscuritate, vt testatur Rufinus lib. 10. cap. 21. Sic etiam Leo irritauit certam constitutionem Concilij Calcedonensis, cuius supra fecimus mentionem, quia fraudulenter in absentia Legatorum Sedis Apostolicæ fuerat illa decreta.

Probari idem potest Secundò: Quia firmitas Concilij generalis nascitur ex coniunctione & consensione Corporis cũ Capite; sed in tali Concilio nundum explicuit Caput sensum & mentem suam; tametsi enim Legati præsideant nomine Pontificis, tamen non sunt reuera Pontifex, nec habent priuilegium infallibilis assistentiæ, & non errandi in Ecclesiâ vniuersaliter docendâ, & in rectâ fide confirmanda: quod Petro fuit per Christi orationem, impetratum.

Tertiò, Concil. Basilæense, vnà cum Legato Pontificis communi consensu statuit Concilium esse supra Pontificẽ: quod tamen Concilium non recipitur, & tantùm in aliquibus toleratur.

Verùm obijciunt: Eiusmodi Concilium est Concilium generale legitimum repræsentans totam Ecclesiam in Capite, & in membris: ergo non potest errare. Respondetur esto, quod sit Conc. legitimnm generale: sed tamen non omnimode est cõpletum, quia deest Capitis præsentia personalis, tam in re, quàm in eius proprijs suffragio & sententiâ. Quamuis autem præsentia Legatorum etiam sine instructione sufficiat, vt Conc. habeatur legitimum, tamen sine instructione aut sententia Pontificis accedente, non sufficit, vt possint fieri definitiones aut constitutiones absolutæ, nisi adhuc dependenter ab accessione sententiæ personalis Summi Pontificis: neque enim censetur Pontifex committere Legatis decisionem aut definitionem ex nomine suo, quando eos de mente sua non instruit aut informat: sed tantum, vt nomine eius præsideant & dirigant Concilium, ac ipsum Pontificem de illis, quæ ibidem aguntur, informent. 68

Obijciunt Secundò: Addunt Concilia suis definitionibus Anathema contra contrarium sentientes, etiam antequam sint confirmata: ergo definitiones sunt infallibiles etiam ante confirmationem; Respondetur, Concilia quidem adijcere anathema, sed intelligere, illud habiturũ vim suam, vbi fuerit à Pontifice confirmatum, à quo confirmationem petendam & obtinendam supponunt. 69

DVBIVM IV.

Vtrùm Concilium generale sit supra Pontificem?

OBseruandum est, Dupliciter posse hanc quæstionem intelligi: vno modo: Vtrum Conc. generale seorsim sumptum 70

ptum sine Pontifice, id est, ipso absente, aut non consentiente, vel contradicente, alioquin legitimè congregatum, sit supra Pontificem. Alio modo: Vtrum Conciliũ vnà cum Pontifice, id est, ipso præsente & consentiente, sit maioris potestatis quã Pontifex, in eumque, eiusuè successores possit sic aliquã coactiuã potestate vti? His explicatis sit

71 Conclvsio Prima: Concilium vniuersale seorsim sumptum absque Pontifice modo explicato, non est supra Pontificem, nec paris potestatis, sed Pontifex est supra ipsum Concilium, vtpote qui Concilij Caput est. Conclusio hæc non tantum est contra hæreticos omnes; sed etiam contra Catholicos nonnullos, vt contra Ioannem Gersonem, Iacobum Almainum in suis tractatibus de potestate Ecclesiæ: item contra Panormitanum ad Capitulum, Significasti: Extra. de Electione, & contra magistrum eius Cardinalem Florentinum, & Tostatum Abulensem in caput 18. Matth. quæst. 108. & quosdam alios.

72 Notandum tamen est, Differẽtiam esse inter hos authores, & inter hæreticos: nam hæretici volunt Pontificem nullo modo esse Caput aut generalem Pastorem Ecclesiæ totius: sed tantum esse Episcopum suę Ecclesię particularis, vel ad summum, Patriarcham Occidentis: hi autem Catholici admittunt & docent, Papam esse Caput & Pastorem singulorum fidelium, & singularum Ecclesiarum, si separatim sumantur, & solùm negant esse Caput totius Ecclesiæ simul congregatæ, vt in Concilio generali. Quare iuxta hos, Papa est in Ecclesiã, quod generalis præfectus Ordinis est in Religione, qui est supra singulos religiosos etiam Priores & Prouinciales; non tamen supra ipsam congregationem generalem, cum ei parere debeat, non imperare.

73 Volunt itaque hi Ecclesiam simul congregatam accipere veluti formam quandam corporis integri, & totã potestatem, quæ sparsim erat in varijs membris, ibi vniri. Et proinde comparare Papam cum cæteris Christianis, aut particularibus Ecclesijs seorsim sumptis, est cõparare iuxta illos, membrum nobilissimum & prædominans cum minùs nobilibus & inferioribus membris: sed comparare Papam cum Concilio, erit comparare partem cum suo toto, & proinde est comparare minus cum maiore, cui consequenter debeat cedere, & obtemperare Papa.

74 Pro fundamento autem huius suæ doctrinæ vlterius statuunt, supremam Ecclesiasticam potestatem principaliter & proximè à Christo esse collatam & attributam Ecclesiæ sic vniuersaliter congregatę, tamen quia non potest Ecclesia perpetuò sic esse aut manere congregata, & exercere istam potestatem, hinc addunt, Christum instituisse Summũ Pontificem, tanquam instrumentum generale ad omnes actiones Ecclesiæ, & in eo posuisse hanc potestatem, vt nomine Ecclesiæ eam exerceat: sic tamen, vt Papæ directionẽ in vsu potestatis velint ad Ecclesiam vniuersaliter congregatam pertinere, vtpote cui primò & principaliter illa potestas conueniat, & collata sit.

Est nihilominus Conclusio certò tenenda, vtpote fidei proxima, & quæ ab omnibus penè cõmuniter doceatur. Colligitur autem ea inprimis ex antiquis Scholasticis, Alberto Magno, D. Thoma, Bonauentura, Richardo, Paludano, Durando, & alijs in 4. dist. 19. vbi de Clauibus tractant: quamuis autem non ex professo hanc quæstionem disputent, dicunt tamen Pontificem adeo esse supremum in Ecclesia, vt nequidem possit se alterius sententiæ secundum potestatem coactiuam, submittere: quod falsum esset, si ipse de facto subiaceret, potestati Concilij generalis. Expressè verò sic docent alij multi, vt Antoninus 3. parte titulo 22. cap. 10. Summæ historialis, & secunda parte titulo 3. cap. 11. Summæ Theologicæ: Turrecremata lib. 2. cap. 93. & 104. Summæ de Ecclesiâ: Caiet. in tract. de comparatione Papæ & Conciliorum, & in Apologiâ pro eodem tractatu: Pygius lib. 6. Hierarchiæ Ecclesiasticæ. Ferrariensis lib. 4. Contra Gentes cap. 76. Turrianus in tribus libris de hac quæstione conscriptis: Sanderus lib. 7. de Visibili Hierarchia, vbi agit de Concilio Constantiensi: & alij plures, quos citat Bell. lib. 2. de Concilijs cap. 14. 75

Et Probatur primò, Quia testimonia Scripturæ Sacrę supra in tractatu de Pontifice, Dubiò primo allegata cum explicationibus SS. Patrum ad probandum quòd Christus instituerit vnum generalem pręfectum, & vnum Caput Ecclesiæ, scilicet Sanctum Petrum, non tantum ostendunt eum fuisse constitutum Caput singulorum fidelium, sed etiam omnium quantumlibet simul congregatorum. Confirmatur, Quia Matth. 16. dicuntur non singuli fideles ædificandi super Petrã, quæ erat Petrus; sed Ecclesia dicitur super Petrã illã ædificanda: Ecclesia autem non significat separatim singulos, sed nomen collectiuum est, & significat populum in vnum conuocatum: ergo à Petro tanquam fundamento, non tantum pendent singuli 76

fideles,

fideles, aut particulares Ecclesiæ seorsim sumptæ: sed etiam omnes quomodolibet simul accepti aut congregati: quia sic proprijssimè dicuntur Ecclesia; atque ita etiam totius congregationis ipse fundamentum & Caput est: & consequenter, neque ipsi simul congregati erunt suprà Petrum, sed Petrus supra ipsos.

77 Rursum dicitur ibidem, quod portæ inferi non præualebunt, non contra particulares homines Christianos aut particulares Ecclesias (hoc enim falsum est) sed simpliciter quod non aduersus Ecclesiam ædificatam super hanc Petram: ergo tota ipsa Ecclesia collectiuè sumpta est, quæ munitur & sustentatur ab hàc Petrâ: non igitur ipsa Petra dependens est ab Ecclesia, etiam vniuersaliter congregatâ. Tertiò ibidem non dicitur: Et Ecclesiæ dabo claues Regni Cœlorum, & tu Petre eris eius negotiorum gestor, sed dicitur: *Tibi dabo claues Regni Cœlorum*, ad vtilitatem quidem & bonum Ecclesiæ, sic tamen quod tibi primò & immediatè ius & potestas clauium competat.

78 Hinc Concil. Calced. in epistola ad Diuum Leonem expressis verbis fatetur eum Caput, non singulorum tantum, sed ipsius Concilij: agens enim de Patribus in Concilio isto congregatis, sic scribit ad illum: Quibus tu quidem vt Caput præeras. Et in Concilio Florentino expressè habetur Romanum Pontificem esse totius Ecclesiæ Caput, & accepisse à Domino plenissimā potestatem regendi vniuersalem Ecclesiam: tota autem & vniuersalis Ecclesia non significat singulos fideles separatim, aut particulares Ecclesias separatim sumptas; sed omnes in vnum collectos aut coadunatos. Item Ioannis 21. constituitur Petrus Pastor agnorum & ouium Christi: Pastor autem non tantum præest singulis ouibus, sed etiam toti gregi & toti ouili. Vnde Patres sic explicant, vt dicant Petrum à Christo esse institutum Pastorem ouilis Christi, & ei demandatam esse curam orbis terrarum & omnium ouium. Hinc etiam Ecclesia in Collecta pro Pontifice sic orat: Deus omnium fidelium Pastor & Rector, qui famulum tuum, v. g. Vrbanum Ecclesiæ tuæ præesse voluisti. Concilium Lugdunense autem, vt habetur Capitulo, Vbi periculum: de Electione in 6. vocat Romanum Pontificem Rectorem vniuersalis Ecclesiæ: non igitur est tantummodò Pastor & Rector singulorum, sed etiam totius communitatis fidelium, quam proprijssimè significat nomen Ecclesia vniuersalis Conformiter D. Ambrosius ad illa verba Apostoli: *Vt scias quomodò oporteat te in domo Dei conuersari*: 1. ad Timoth. 3. ita scribit, Domus Dei Ecclesia dicitur, cuius hodie Rector est Damasus.

Probatur Secundò, Ex alijs Concilijs, 79 quæ expressè hanc veritatem fatentur, vt non sit opus alios pro ipsorum authoritate contra veram doctrinam concertare. Concilium Sinuessanum sub Marcellino sic in fine habet: Prima Sedes à nemine iudicabitur. Idem habetur in Concilio Romano sub Siluestro cán. vltimo: Nemo iudicabit primam Sedem: vbi Concilia, non tantum à particularibus remouent iudicium de primâ Sede, sed etiam ab ipsis Patribus simul congregatis. In Concilio Calced. Act. 3. recitantur multæ epistolæ ex varijs locis ad ipsum Concilium scriptæ, quæ omnes ita incipiunt: Sanctissimo & Beatissimo vniuersali Patriarchæ Magnæ Romæ Leoni, & Sancto vniuersali Concilio congregato in ciuitate Calcedonensi: nemo autem ex omnibus Patribus oblocutus est, aut contendit non debere Pontificem anteponi toti Concilio; quod sine dubio non erant neglecturi, si existimassent Concilium esse supra Pontificem, non autem Pontificem esse supra Concilium: imo in fine Concilij extat eiusdem epistola ad Leonem, in quâ eum & Caput, & Patrem suum agnoscit: item ab eodem Concilio damnatus fuit Dioscorus cum secundâ Synodo Ephesinâ, cùm ob alias causas, tùm etiam præcipuè quia iudicare & damnare ausi fuerant Leonem Romanū Pontificem. Quod etiam scribit Nicolaus I. in epist. ad Michaëlem Imperat. vbi dicit, Non tam ob hæresim fuisse damnatum Dioscorum, quam ob horrēdam præsumptionem, quâ in Summum Pontificem sententiam dictare ausus fuerat. Si autē Dioscorus, qui Patriarcha erat Alexandrinus primus post Pontificem cum generali Concilio iure non potuit iudicare Pontificem, certè sequitur euidenter Concilium supra Pontificem non esse.

In Synodo octauâ generali, Actione 7. 80 dicitur quoque, Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse: de ipso autem neminem vnquam iudicasse, videlicet iure & legitimè, sic vt ab Ecclesiâ iudicium illud haberetur ratum. Vnde Concilium Lateranense sub Leone X. Sess. 11. disertè docet, penes solum Pontificem tanquam super omnia Concilia authoritatem habentem esse Cōciliorum indicendorum, transferendorū, aut dissoluendorum plenum ius & potestatem: idque nedùm ex Scripturæ sacræ testimonio, & dictis Sanctorum Patrum, & aliorum Pontificum Romanorum; sed

propria etiam eorundem Conciliorũ confessione manifestè constare.

81 Ad quam Cõcilij huius doctrinam quidã videntur respondere, non fuisse Conc. generale: sed hoc malè, quia constat generaliter fuisse indictũ, & omnibus patuisse accessum, licet pauciores Episcopi de facto interfuerint: insuper constat verum ac indubitatum Pontificẽ eidem præfuisse. Maiori itaq; cum probabilitate dicunt alij, doctrinam illam non omnino determinare hanc quæstionem, eo quod Concilium nõ definiat tanquam decretum fide Catholica tenendum: non enim dicit Anathema contrarium sentientibus: & propterea etiam nondũ haberi, nec habendos esse hæreticos qui aliter opinantur.

82 Probatur Tertiò ex diuersis Pontificibus, qui hoc ipsum docent: D. Leo epist. 48. ad Anastasium in fine. Gelasius in epistola ad Episcopos Dardaniæ: Nicolaus I. ad Michaëlem Imperatorem: Patet profectò, inquit, Sedis Apostolicæ (cuius authoritate maior non est) iudicio rem fore retractandam. D. Greg. l. 9. epist. 39. Paschalis Papa, vt habetur capitulo Significasti: Extra. de Electione: Aiunt, inquit, in Concilijs statuta non inueniri, quasi Romanæ Ecclesiæ Legem Cõcilia præfixerint, cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ authoritatem & facta, & robur acceperint; & in eorum Statutis Romani Pontificis patenter accipiatur authoritas. Innocentius III. serm. 2. de Consecratione Pontificis. Bonifacius VIII. in Extrauagante: Viam sanctã: De maioritate & obedientia: Si deuiat, inquit, Terrena potestas, iudicabitur à potestate Spirituali, si deuiat Spiritualis, minor à maiore, scilicet iudicabitur, si autem suprema, à Deo solo non ab homine poterit iudicari. Quod conforme est parabolæ Matt. 24. Pontifex enim peculiariter est seruus *Quem constituit Dominus suus super familiam suam, vt det illis cibũ in tempore:* de quo dicitur ibidem: *Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere conseruos suos, veniet Dominus serui illius in die quã non sperat, & horâ quã ignorat & diuidet eum, partemque eius ponet cum Hypocritis, illic erit fletus & stridor dentium.* quia scilicet Oeconomus vniuersalis & supremus super familiam à Domino constitutus non potest à familiã iudicari aut puniri, etsi malè agat: sed causa eius reseruatur iudicio Domini sui. Ita ergo quoque si Pontifex qui est Supremus Oeconomus familiæ & Ecclesiæ Christi, malè egerit, & familiam Christi siue Ecclesiã non bene rexerit, non ab Ecclesia tamen iudicari & puniri potest: sed Domino suo reseruatur iudicandus. S. Bonif. Episcopus Moguntinus vir magnæ authoritatis, ita de Rom. Pontifice scribit. Cunctos iudicaturus à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius, vt habetur dist. 40. Can. Si Papa.

Probatur denique ratione primò: Quia 83
regimen Ecclesiæ est Monarchicum: ipsa enim Ecclesia in Scripturis passim comparatur regno aut familiæ, in quibus vnus imperat, penes quem est suprema potestas: ergò non penes multitudinẽ fidelium, aut penes Concilium Episcoporum est summa potestas, sed penes vnum aliquem: quia alioquin non esset Monarchia, sed Democratia, aut Aristocratia; ipsaque Ecclesia non esset Regnum, sed quædam communitas aut respublica. Secundò, quia appellationes semper fiunt ab inferioribus aut minoribus ad Superiores & Maiores: atqui constat vsum Ecclesiæ semper habuisse; quod à Concilio ad Pontificem appellaretur, quando putabatur ille non esse conscius, aut præbere assensum cum Concilio: non autem è contra.

Vnde Gelasius Papa ad Episcopos Dar- 84
daniæ scribit: ad Sedem Apostolicam de quãlibet mundi parte appellandum est, ab illã autem nemini est appellare permissum. Et ne quis dicat Pontificem loqui tantùm de particularibus iudicibus, & iudicijs; non autem de iudicio Conciliorum, subdit sæpe Romanos Pontifices soluisse quos Concilia ligauerant: Cuius exstant exempla manifesta; nam Athan. Episcopus Alexandrinus, & Paulus Episcopus Constantinopolitanus à Concilio depositi ad Iulium Papam appellarunt: & ab illo in suas Sedes sunt restituti, vt refert Sosomenus lib. 3. Historiarum cap. 7. Similiter Flauianus Episcopus Constantinopolitanus appellauit à Concilio Ephes. secundo ad Leonem Papam, vt refert Leo epistola 25. ad Theodosium. Item ab eodem Concilio appellauit ad eundem Pontificem Theodoricus Episcopus Cyri, vt patet ex eius epistola quæ habetur ad finem operum Leonis. D. Chrysostomus quoq; depositus appellauit ad Innocentium, vt colligitur ex epistolis Chrysostomi quas ad Innocentium scripsit. Tertiò, quia Concilia omnia reuocari solent ad Pontificis examen, & quæ ipse probat & confirmat, recipiuntur: quæ autem improbat, reijciuntur: Constat autem ex gestis ipsorum Conciliorũ quod petierint Pontificis confirmationem, quodq; ipse plurima approbauerit. Similiter manifestũ est, quod Pontifices sæpius Cõcilia reprobauerint, aliquando in totum, aliquando pro parte. Vnde D. Basil. epistola 52. ad Athanasium scribit, Consultum sibi videri, vt rogetur

Rom.

Rom. Pontifex, quatenus mittat aliquos in Græciam, qui eius nomine reuocent ac irritent Acta Concilij Ariminensis, quod etiam Damasus præstitit. Leo quoque certam constitutionē Concilij Calcedonensis annullauit, sicut antè diximus. Quartò, quia Conc. generale sine Pontifice errare potest: Pontifex autem, etiam sine Conc. generali nō potest errare, prout supra fuit ostensum. Quintò, si res ita se haberet, sicut alij volunt & explicant, iam Pontifex nō esset proximus & immediatus Vicarius Christi, sed tantùm ipsius Ecclesiæ: Ecclesia autē immediatè sustineret vices Christi, quod est damnatū, vt apparet in Concilio Cōstantiensi Sess. 8. inter articulos Wiclef: quorum vnus erat: Pontifex non est immediatus & proximus Vicarius Christi & Apostolorum: ergo &c.

85 CONCLVSIO Secunda: Concilium generale cum Pontifice nō habet potestatem intensiuè (vt sic dicam) maiorē quàm Papa solus, licet possit dici habere maiorē extensiuè. Probatur, quia si haberet potestatem intensiuè maiorē, vel eam acciperet ex cæteris Patribus qui sunt ibi cum Pontifice, vel ab ipso Pontifice, vel deniq; exoriretur ratione ipsius congregationis: atqui nihil istorū dici potest. Non primū, quia constat maiorem habere potestatem Pontificem, quā quoslibet alios in Concilio congregatos, ergo ab ipsis non accedit potestas intensiuè maior: non etiam secundum, quia Pontifex non confert, neq; adducit ad Concilium plus authoritatis vel potestatis, quàm ipse habeat: non etiam tertium, quia suprà demonstratum est Supremam Ecclesiæ potestatem immediatè Petro & eius Successoribus fuisse à Christo attributam. Nusquā enim legitur Ecclesię seu Cœtui & congregationi fidelium in se ratione suæ totalitatis potestatem aliquam fuisse concessam: Sed bene legitur, quod potestas pascendi agnos & oues Christi sit data Petro. Itē quod cæteris Apostolis sit data potestas prędicandi Euangeliū omni Creaturæ, baptizandi in nomine Patris, & Filij, &c. Item remittendi & retinendi peccata: non autem quod ipsi Communitati ratione suæ congregationis; ergò &c.

86 Hinc autē fit, quod coactiuè non stringatur Legibus à Concilio generali latis etiam de suo, vel de prædecessorū consensu; sed tantùm directiuè: imò quod ipse solus possit in illis dispensare, & ex causis eas mutare, vel abrogare.

Dicitur autem in Concilio esse maior potestas extensiuè, nō quod in plures possit exerceri: sed quia hic potestas plurium concurrit, ipsaq; etiam potestas Pontificis quodammodo totum Cōcilium informat: atque ita reperitur ibi potestas magis extensa, quia in pluribus quàm in Pontifice solo.

CONCLVSIO Tertia: Concilium generale, non solùm non est supra Papā, sed nequidem potest Papa ita se submittere Concilio, vt Concilium possit aut valeat in eum potestatem coactiuam exercere. Ita communiter sentiunt Authores antè ad primam Concl. citati & alij plures. Probatur, quia Pontifex iure diuino est superior & Caput omnium etiam Patrum in Concilio congregatorum; atqui Caput nō potest in hoc iure dispensare, aut superioritatem in alium transferre quamdiu Pontificatum sibi reseruat: ergò &c. Deinde, non potest inferior causas à Superiore sibi reseruatas committere alteri iudicandas: atqui causas Pōtificis Deus reseruauit sibi iudicandas, vt diximus modò: non potest igitur ipse eas quasi transferre & committere Concilio ex authoritate iudicandas. 87

Potest tamen committere causam suam Episcopis examinandam, & eorū sententiæ se submittere, nō quidem per modum perfecti iudicij, sed tantùm per modum quasi arbitrij: sic enim plures Pontifices fecerunt, quando in aliquâ re accusabātur: vt constat ex Cap. Mandastis, & Cap. item Auditum 2. q. 5. Et ex Concilio 4. sub Symacho: Episcopi tamen iudicare simpliciter ausi non fuerunt: vnde in prędicto Cōcilio dum subscribunt, affirmant, se totum iudicium Deo relinquere. 88

Sed contra dictas Conclusiones, Obijcitur primò: D. Leo epist. 63. sibi congratulatur de eo, quòd epistola eius data ad Conc. Calcedonense fuisset ab eodem Cōcilio acceptata & approbata: ergo penes Concilium est suprema potestas & vltima determinatio. Respondetur Neg. Cons. quia Leo non miserat epistolam tanquam definitiuam Sedis Apostolicæ sententiam, sed per modum instructionis & informationis super materiâ quæ erat pertractanda, vt eâ adiuti Patres meliùs & certiùs iudicarēt, sicuti suprà ista explicuimus: gaudet itaq; Leo quod Patres Concilij illam informationem sint secuti, & in eandem consenserint sententiā: quia hoc facto nulla erat occasio aut periculum Schismatis: & qui erroneam doctrinam inuehebant, fortiùs & efficaciùs euincebantur, & compescebantur: sed posteaquam Patres Concilij consenserunt epistolæ Leonis, tunc demum edita est determinatio & definitio vltima nomine Pontificis & Concilij. 89

Obijcitur Secundò: Matth. 18. dicit Christus, *Si peccauerit in te frater tuus* &c. *Dic Ecclesiæ*: ergo etiam Pontifex debet aliquando peccatores ad Ecclesiam deferre, 90

& per consequens debet agnoscere quoddam Ecclesiæ Tribunal suo maius. Confirmatur, quia Christus ibi loquebatur Apostolis, inter quos erat & Petrus, cuius Pontifices sunt successores.

91 Respondetur Neg. Cons. Quia Christus ibi propriè Apostolos, & in ipsis omnes fideles instruit, quomodo debeant secundũ charitatem viuere cum fratribus & æqualibus; non autem dirigit istam instructionem ad inferiores respectu superiorum, vel ad superiores respectu inferiorũ. Vnde quando monet Christus, vt si frater non audierit te fraternè corripientem nec solum, nec etiam testibus adhibitis, quatenus deferas eum ad Ecclesiam, tunc nomine Ecclesiæ intelligitur, vel ipse Præpositus siue Episcopus, prout in eum locũ exponit D. Chrys. & Innoc. III. in Capitulo Nouit: Extra. de Iudicijs: quem sensum etiam antiqua & quotidiana Ecclesiæ praxis confirmat, vel certè intelligitur nomine Ecclesiæ fidelium Cœtus cum suo Capite: nã iuxta Cyprianum epistola ad Florentium, Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens: non autẽ multitudo aliqua sine Capite. Sensus itaq; est: quod quocumque loco fratres peccantes qui priuatis correptionibus non possunt emendari, sint per fratrem deferendi ad Prælatum, aut Episcopum loci, vt ipse Ecclesiæ personam gerens, vel per se solum, vel etiam assumptis alijs peccatores eiusmodi corripiat, & si contumaces persistant, puniat.

92 Ad Confirmationẽ Respondetur, Illud quidem fuisse dictũ Apostolis inter quos erat Petrus: sed qui tunc nondum erat superior & Pastor Ecclesię ac aliorum Apostolorũ constitutus, licet eius rei haberet promissionem, & proinde ad illum quoq; tanquam priuatum hominen & fratrẽ tantùm reliquorum dirigi istum sermonem: ast quando Superior ipse cognoscit peccatum subditi, rectè quidem in eo sequetur hanc instructionem, vt priuatim & fraternè prius quoq; corripiat: sed si non emendetur frater, non debet referre ad Ecclesiam: quia ipse est & sustinet personã Ecclesiæ. Quare tunc non amplius vt frater, sed vt Superior eum corripere & punire debet. Si autem ipse vt superior peccet, non debet ab inferioribus tã corripi, quàm potius rogari vt pater: sicuti monet Apostolus agendũ esse cum senioribus: si verò non acquiescat & habeat alium supra se, tunc ad illum deferendus erit: si autem sit Summus Pontifex, tunc Dei iudicio est reseruandus, quia non est vlla Ecclesia, vt antè satis est demonstratum, ad quam deferri posset.

Objicitur Tertiò: Papa est membrum Ecclesiæ; ergo minor est ipsa Ecclesiã, eiq; subiectus, sicuti pars minor est suo toto. 93
Respondetur, in cõsequente vel accipitur Ecclesia seorsim sine Pontifice, & sic ipsa non est totum cuius Pontifex sit pars, quia supponitur condistingui contra Pontificẽ, sed sic erit commembrum cum Pontifice constituens vnum totum & perfectũ corpus, sicuti caput & reliquus truncus corporis: & sic quidem Ecclesia est commembrum maius, sed mole non virtute ac potentiã: sicuti truncus corporis in homine est maior mole quam caput, sed nõ sensu, & potentijs: vel accipitur pro Ecclesiã simul cum Pontifice, & sic non est etiã aliquid maius virtute aut potestate intensiuè, sed vt diximus, extensiuè tantum. Et ratio est, quia Pontifex est tale membrum istius totius corporis, cui immediatè sit attributa omnis potestas quæ reperitur in toto reliquo corpore, sic vt ab eo in reliquum corpus deriuetur: ita quidem, vt ipse amplius habeat, & corpus quidquid habet in illo genere, accipiat ab illo membro: hoc autem membrum nihil recipiat à corpore.

Objicitur Quartò: Conc. Constantiense Sess. 4. inter ea, quæ ibidem disponit & 94
declarat, ponit primo loco, quod ipsa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitimè generale Conc. faciens Ecclesiã Catholicam militantem repræsentans potestatem immediatè à Christo habeat, cui quilibet cuiuscũmque status vel dignitatis, etsi Papalis existat, obedire teneatur: ergo agnoscendum est quod Concil. generale simpliciter sit supra Pontificem.

Respondetur Neg. Cons. quia sessio illa 95
nõ fuit legitimè celebrata: nullus enim erat certus Pontifex, qui Concilio isti præsideret, & ex cuius authoritate eiusmodi materia proponeretur discutienda & determinanda: nam & Ioannes XXIII. qui Concilium inchoauerat, iam tum discesserat: vt patet ex decreto ibidem proximè subsequenti: quod etiam satis indicat illũ non quocumque modo adfuisse, sed discessisse cum animo dissoluendi, aut transferendi, vel differendi Concilium: nam contra eiusmodi conatum videtur Secundum decretum ibi ex professo condi.

Sed dicet aliquis: Etsi declaratio illa 96
tunc nõ esset legitimè facta, tamẽ videtur postmodum transiuisse in absolutam & legitimam determinationem per subsecutã confirmationem Martini V. Pontificis, qui omnia & singula determinata, conclusa, & decreta Conciliariter in materijs fidei per dictum Concilium, approbat & ratificat, vt habetur Sess. 45. siue vltimã in absolutione Concilij; ergò &c.

Respon-

Respondetur, quod Pontifex non simpliciter & absolutè approbet omnia acta illius Concilij: sed inprimis quæ Conciliariter sunt determinata & decreta, id est, more aliorum Conciliorum, rebus scilicet & quæstionibus discutiendis prius propositis & diligenter examinatis: satis autem liquet allegatam declarationē nullà præhabitâ disquisitione vel examine circa hoc punctum, vti præmittunt circa alias materias, fuisse à Concilio prolatam: Deinde, quod multum est obseruandum, approbat & ratificat Pontifex tantùm ea, quæ sunt determinata, conclusa & decreta in materijs fidei: iam verò manifestum est, quod Conc. ss. 4. non tractet ex proposito materias aut quæstiones fidei: nec intendat ibi dogmata fidei statuere, aut hæreses vel errores damnare; sed tantùm condere quædam decreta quæ seruiant ad tollendum Schisma quod tum vigebat, & ad Ecclesiæ vnitatem conseruandam aut reducendam. Vnde talis præmittitur pręfatio: Hæc Sancta Constantiensis Synodus pro extirpatione præsentis Schismatis, & vnione ac reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris fiendâ, ordinat, decernit, declarat, vt sequitur &c.

97 Nec refert quod quæstio de potestate Papæ supra Concilium, aut è contrà sit pertinens ad materiā fidei magis, quàm ad mores: quia satis constat, quòd quā facit ibi Synodus declarationem circa rem illam, non faciat per modū determinationis aut definitionis istius quæstionis, sed tātùm ponat per modū cuiusdam pręsuppositionis, ac explicationis suæ opinionis ac sensus de suâ supremâ potestate: idque vt ea præsuppositione factâ haberent sequentia decreta, quę conderet apud omnes maiorē authoritatem & robur. Quod verò non fecerint per modum definitionis, inde patet primò, quod non commiserint rem illam prius examinandam, sicuti commiserunt alias materias & quæstiones circa doctrinam Wiclef, & Hus examinandas, priusquàm ad determinationes procederent. Deinde quia non additur, ita secundum fidem catholicam esse tenendum, nec dicitur Anathema contrarium sentientibus, aut docentibus: quemadmodum inhibetur ab eodem Concilio omnibus Catholicis sub Anathematis interminatione, ne quis articulos, aut aliquē illorum Ioan. Wiclef, quos reprobat & cōdemnat, audeat prędicare, dogmatizare, tenere vel quandolibet allegare &c. Non igitur ista declaratio facta ss. 4. comprehenditur sub ijs, quę Conciliariter in materijs fidei sunt determinata, conclusa, & decreta: & proinde nec cadit sub approbationem Martini V: quę tantùm respicit ad doctrinam Wiclef & Hus condemnatam per dictum Concilium.

Obijcitur denique: Conc. Basilęen. definit, fide Catholicâ esse tenendum, Concilium esse supra Papam Sess. 33. quod Concilium legitimè fuit conuocatum: ergo &c. 98

Respondetur Concilium illud fuisse quidem legitimè inchoatum: nam ab initio aderant & Legatus Summi Pontificis, & Episcopi plurimi: sed de pòst Legatus recessit, & præcipui Episcopi omnes: nihilominus tamen quidam voluerunt illud continuare, & munus eidem præsidendi assumpsit sibi Cardinalis quidam Arelatensis, & quia pauci Episcopi remanserant, introducti sunt plurimi Præsbyteri, ita vt contra formam antiquorum Conciliorum, non iam Episcoporum, sed magis Præsbyterorum Synodus esset: imò non Synodus, sed Conciliabulum Schismaticum, seditiosum; & nullius authoritatis, vt declaratur in Concilio Later. vltimo Sess. 11. Quare acta illius non sunt alicuius valoris, vel authoritatis.

Neque verum est quod quidam Sectarius allegat, quod scilicet Nicolaus V. successor Eugenij confirmauerit illud Concilium cum suis actibus: quia hic Pontifex, vt patet ex eius Bulla eidem Concilio annexâ, tantummodo approbauit, quæ dictum Concilium ordinauerat & statuerat circa Beneficia, & circa Censuras Ecclesiasticas: reliqua autem neque hic Pontifex, neque vllus alius confirmauit. Imò vt patet ex Sess. 28. eiusdem Concilij, mox Eugenius Papa, quem deponere idem Concilium attentauerat, definitiones illas de potestate Concilij supra Pontificem, reprobauit: sicuti & postmodum fecit Concilium Later. Sessione vndecimâ. 99

DVBIVM V.

Vtrùm Concilium generale possit sua, vel præcedentium Conciliorum vniuersalium decreta reuocare?

Respōdetur breuiter, Decreta dogmatica fidei, quando illa approbante Pōtifice formata sunt, non possunt vllo modo mutari: veritas enim fidei, sicut & Diuina veritas, est prorsus immutabilis: Decretâ autem quæ reformationem concernunt, quæq; sequuntur naturam humanę Legis, possunt mutari ad eum modum, quo in Prima Secundæ in tractatu de Legibus, diximus posse aliquando leges humanas mutari. 100

TRACTATVS DE ECCLESIA.

DVBIVM I.

De Ecclesia nomine, & eius essentiali ratione.

1 ECclesia nomen Græcum est: Latinè Euocationem siue Cœtum euocatorum significans: quod proinde aptius & conuenientius est significando cœtui fidelium, siue populi Dei, quàm Synagogæ nomen vsitatum tempore antiquæ legis, generaliter significans quamlibet congregationem. Idque duplici ex causâ; Primò, quia euocari proprium est intelligentium, vt hominum & Angelorum: congregari autem etiam brutorum est. Vnde nomen Synagogæ pro illo tempore, quo homines & exercitia religionis magis carnalia erant, satis congruebat. Secundò, quia nemo ex se & ex suo proprio instinctu adiungit & associat se huic congregationi, sed omnes quotquot accedunt, à Dei vocatione præueniuntur. Vnde ad Rom. 8. dicitur: *Quos vocauit, hos & iustificauit*, &c. & Actorum cap. 2. *Et omnibus qui longe sunt, quoscumque aduocauerit Dominus Deus noster.* Hinc Paulus toties in omnibus suis penè epistolis fideles nominat vocatos.

Quod ad essentialē Ecclesiæ rationē attinet, pro clariori & pleniori eius intelligētiâ

2 Obseruandum est primò cum D. Aug. in Breuiculo collationum cum Donatistis, Collatione tertij Diei cap. 10. & cum Clemente lib. 7. Stromatum, Ecclesiam habere se instar hominis qui constat spiritu & carne, vt loquitur Clemens, aut qui constat homine interiori & homine exteriori, vt loquitur Augustinus atque ita Ecclesiam constare veluti duplici formâ, scilicet internâ, & formâ quâdā externâ: habet enim quædam quæ correspondent animæ, & eius perfectionibus, ac ornamentis: & quædam quæ cum exteriori formâ corporis, vt figuris & delineamentis eiusque motibus habent analogiam & proportionem. Animæ enim correspondet propriè fides Ecclesiæ: Ornamentis animæ respondent Charitas & virtutes charitatem concomitantes, quæ ad dotem & perfectionem Ecclesiæ pertinent. Corpori autem correspondent externa fidei professio, opera fraternæ dilectionis, Cōmunio Sacramentorum & si quæ sint similia.

Obseruandum Secundò: Non semper omnia quæ dicuntur esse de homine, aut ad hominem pertinere, participare perfectiones ipsius animæ; imò neque omnia participare animæ informationem, quæ est essentialis hominis forma: sed multa cæteris partibus animatis adhærere, aut illis quasi includi quodam veluti extrinseco vinculo, non autem vitæ vel animæ informatione, vt sunt v. g. pili, vngues, humores etiam superabundantes & corpori graues. 3

Obseruandum Tertiò, Ecclesiam militantem de quâ hic agimus, iuxta duplicem potissimùm posse considerari statum, videlicet secundū statum temporis antiqui, quod præcessit Christi aduentum, & secundum statum Testamenti noui. Quæ quidem statuum diuersitas non inducit differentiam essentialem Ecclesiæ: vnde vna eademque censetur Ecclesia antiqui & noui Testamenti, & potest vnâ quasi definitione describi, vt Ecclesia dicatur 4

Esse hominum cœtus ad verā veri Dei fidem, quā intus tenet vocatus & eiusdem fidei professione, ac conuenientibus religionis externis exercitijs colligatus sub suis respectiuè legitimis superioribus degentium. Non dico sub vnius Capitis regimine in terris: quia tempore antiquo in Ecclesiâ erant & vera ac viua etiam eius membra, non tantum multi ex Iudæis, aut ex semine Abrahæ secundum carnem: sed etiam ex gentilibus, vt Melchisedech, Iob, & alij, qui tamen non fuerunt omnes sub potestate & regimine vnius alicuius superioris in terrâ in ijs quæ ad Deum sunt: & tamen ad vnam Ecclesiam illius temporis pertinebant.

Vnde Ecclesiæ vnitas pro illo tempore sita potissimum erat in professione eiusdē 5

veræ fidei circa Deum, ac in vnius eiusdemque Dei cultu & religione: licet interim ritus & cæremoniæ externæ essent quoque diuersæ: ac denique in spe & tendentiâ ad vnum eundemque terminum & finem.

6 At verò, si velimus Ecclesiam describere iuxta statum noui Testamenti, conuenienter id poterit hoc modo fieri, vt dicatur hominum Cœtus ad Christianam fidem quam intus tenet vocatus, & eiusdem fidei professione, & Religionis ac eorundem Sacramẽtorum communicatione adunatus sub regimine vnius in terris Christi Vicarij Romani Pontificis. Quãdoquidẽ enim Christus suo tempore præfecerit toti Ecclesiæ suę vnum pastorem, vt suprà ostendimus, Hinc necesse est quod omnes Ecclesię filij sub eius sint potestate, & eum Superiorem in spiritualibus agnoscant: vnde hâc ex parte Ecclesiæ accedit noua quædam & euidentior vnitatis ratio & fundamentum.

7 Dico autem in definitione, quod sit hominum cœtus vocatus ad fidem, quia vt diximus, de militante hic Ecclesiâ ex hominibus lapsis congregatâ, agimus: ad quam nec Angeli beati, nec primi parentes ante suum lapsum pertinent: quos & ipsum Ecclesiæ nomen dictum ab euocatione, scilicet ab infidelitate & lapsu, excludit siue non admittit.

8 Addo Secundò: Ad fidem vocatus, quã intus tenet, scilicet Cœtus ipse, siue Corpus aggregatum: quia licet non sit necessarium, quod singuli qui quocumq; modo dicuntur esse in aut de Ecclesiâ, habeant intus veram fidem, sicuti non omnia debent informari animâ, quæ quocumque modo dicuntur esse de corpore animato, tamẽ ad essentiam Ecclesiæ pertinet, quod cœtus ipse collectiuè sumptus veram fidem habeat: quia fides est vera forma & veluti anima Ecclesię: cuius extrinseca forma & delineamenta ac figuræ sunt externa fidei professio, Sacramentorum communio, & subiectio sub legitimis Superioribus: quemadmodum etiam ad veram rationẽ corporis animati requiritur, quod ipsum totum siue aggregatum sit animâ informatum, sine quâ licet haberet omnẽ figuram externam, organa, & instrumenta corporis viuentis, non tamen verum esset corpus animatum: sed apparens duntaxat; & illius simulacrum. Similiter ergò dicendum etiam est de hominum cœtu, qui nullam veram fidem haberet, sed tantùm extrinsecus fallaciter eam profiteretur, quod non vera & propriè dicta, sed apparẽs duntaxat foret Ecclesia. Quare sicut Ecclesia vniuersalis deficere non potest, ita nec fieri potest, quod in vniuersum omnes qui fidem Christianam profitentur, sint verâ fide vacui.

Addo Tertiò: Eiusdem fidei professione & religionis & Sacramentorum communicatione adunatus quia Regnum Ecclesiæ non est inuisibile, sicut lucerna sub modio, vt hæretici volunt, aut merè internum: sed etiam externum manifestè foris conspicuum, sicut Ciuitas supra mõtem posita, & sicut candela accensa non sub modio, sed super candelabro collocata. Redditur autem Ecclesia visibilis & conspicua ratione istorum, quæ ad externam eius formam diximus pertinere: sicuti homo visibilis ac cognoscibilis est ratione coloris, figuræ, delineamentorum, & externarum operationum. 9

Vnde non obstat: quod interna fides quam diximus esse intrinsecam & quasi essentialem formam corporis Ecclesiastici, non sit secundum se visibilis: quia licet hæc non videatur per se & in se, tamen sufficienter videtur in externis suis operationibus & effectibus, ac alijs signis, ita quod euidenter satis appareat congregationem talem esse verè cœtum fideliũ, in quo sit fides quã profitetur: & quamuis hoc non ita certò constet de singulis illius multitudinis in particulari, tamen de toto corpore ex varijs & notabilibus effectibus ac signis certissimè id statui potest. Quẽadmodum licet fieri posset, quod ex externis signis humani corporis non possit quis statim colligere de singulis partibus, quod sint vera membra informata animâ, puta, quia dubium esse potest, an non sit forsitan fictus siue fucatus color, aut artificiosus aliquis motus istius partis, tamen ex omnibus externis signis totius corporis & omnium membrorum euidentissimè colligitur corpus illud nõ esse phantasticum tantùm, sed viuum & verum animâ informatum: imò etiam quoad particulares personas illius cœtus, si paulo attentius considerentur eorum facta & opera, non erit difficile cognoscere, an simulatè tantum fidẽ profiteantur, an verè & ex animo iuxta illud Christi Matth. 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos*: neque enim hypocrysis semper & vbique tam est sibi similis & constans, vt non alicubi in dictis aut factis se prodat. 10

Ex hac Ecclesiæ definitione & explicatione potest colligi primò, falsam esse doctrinam Wiclef & Hus, & quorundã aliorum hæreticorum, quã statuunt solos prædestinatos esse in Ecclesiâ: non enim hi soli, sunt in & de cœtu fidelium; sed de eo censentur omnes qui Christi fidem profitẽtur & Sacramenta eius participant. 11

Vnde & antiqui Patres doctrinam illam reprobarunt per figuras inprimis & parabolas Ecclesiam & eos qui in Ecclesiâ continentur, adumbrantes, & in Scripturis expressas: vt per figuram Arcæ Noë habentis animalia munda & immunda, & in quâ non tantum columba, sed & coruus fuit: Genes. cap. 7. & 8. per parabolam Areæ habentis triticum & paleas, quæ paleæ comburendæ tandem sunt igne inextinguibili Matth. 3. quod de prædestinatis dici non potest. per parabolam sagenæ missæ in mare Matth. 13. & ex omni genere piscium congregatis, quorum quidam postea foras mittuntur: per parabolam Conuiuij nuptialis Matth. 22. vbi etiam inter alios inuenitur homo non habens vestem nuptialem, qui idcirco eijcitur in tenebras exteriores, vbi est fletus & stridor dentium: qui proinde de numero prædestinatorum non erat. Vnde etiam ibidem Dominus concludit: *Multi sunt vocati, pauci verò electi:* Per parabolam decem virginum Matth. 25. quarum quædam fatuæ sunt & exclusę ab ingressu cum sponso ad nuptias: nec postmodum admissæ: Per parabolam vitis in quâ inuenitur etiam palmes non ferens fructum, qui abscinditur & in ignem mittitur: Ioannis cap. 15. Per parabolam ouilis in quo reperiuntur agni & hædi, quos pastor segregat Matth. 25. Per parabolam magnæ domus, in quâ sunt etiam vasa ad contumeliam 2. ad Timoth. c. 2. Idem probauit August. lib. 18. de Ciuitate cap. 48. ex illo Psalmi 38. *Annuntiaui & locutus sum: multiplicati sunt super numerum:* quia scilicet etiam reprobi ad prædicationem ingressi sunt Ecclesiam, qui non continentur numero electorum: sed super numerales sunt: quod etiam locis alijs D. August. vrget.

12 Probatur 2. ex hoc quod Christus etiã inter Apostolos vnum voluerit reprobum admittere, scilicet Iudam, vt suo exemplo nimirum doceret Ecclesiam malos in se tolerare, donec messores tandem omnia colligant zizania in fasciculos ad comburendum. Huc etiam faciunt illa Apost. ad Gal. 3. *Quicumq; in Christo baptizati estis: Christũ induistis:* neq; enim omnes baptizati erãt prædestinati: & 1. ad Cor. 12. *Etenim in vno spiritu omnes nos in vnũ corpus baptizati sumus.*

13 Similiter & falsũ est dogma illud, prędestinatos omnes semper de Ecclesiâ esse: non enim dubium est, multos prædestinatos inter incredulos Iudæos & gentiles tunc extitisse, quando Apostolus 1. ad Cor. 5. dicebat: *Quid enim mihi de ijs qui foris sunt, iudicare?* vbi declarat eos foris esse, qui nondum fidem & baptismum Christi susceperant: ergo non omnes prædestinati sunt de Ecclesia, sed foris sunt quamdiu fidé & Christi Sacramenta non recipiunt. S. Paulus quoque, qui persecutus est Ecclesiam Dei, vt ipse fatetur, prædestinatus erat, & tamen quando Ecclesiam persequebatur, non erat tum de Ecclesia: ergo &c. Quare meritò in Conc. Constantiensi Sess. 15. inter alios fuit damnatus hic articulus Ioannis Hus: Præscitus etsi aliquando sit in gratiâ secundum præsentem iustitiam, tamen nunquam est pars Ecclesiæ Sanctæ: & prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat à gratia aduentitia, sed non à gratia prædestinationis.

Contra autem Obijciunt: Canticorum cap. 4. Ecclesia dicitur: *Hortus conclusus, Fons signatus:* idque propter electos siue prædestinatos, extra quorum numerum, qui semel inscriptus fuerit, nunquam excidere potest, & nullus eorum qui inscripti non fuerunt, vnquam in eum intrare potest, vt exponunt D. August. lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 27. Namque in illâ ineffabili præscientiâ Dei (inquit) multi qui foris videntur, intus sunt, & multi qui intus videntur, foris sunt: ex illis ergo omnibus qui (vt ita dicam) intrinsecus & in occulto intus sunt, constat ille hortus conclusus, fons signatus &c. D. Greg. ad eadem verba in cap. 4. Canticorum. Hortus Sancta Ecclesia existit; qui hortus conclusus bene esse dicitur, quia charitatis vallo circumquaque munitur, ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur: ergo Ecclesia omnibus & solis constat electis: quia alioquin non esset hortus conclusus, vtpote ad quem promiscuę pateret omnibus ingressus & egressus. 14

Et Confirmatur, quia Ioannis 10. & 11. Christus electos omnes vocat oues suas, & filios Dei, etiam quando videbantur adhuc dispersi: ergo hi omnes sunt de Ecclesiâ & ouili Christi. Item 1. Ioan. 2. dicit ipse: *Et nũc Antichristi multi facti sunt, &c. Ex nobis prodierunt; sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum:* ergo reprobi quantumuis videantur esse in Ecclesiâ, tamen reuera non sunt: quia alioquin non egrederentur aut exciderent, & per consequens in eâ sunt electi soli. Confirmatur vtrumque Secundò ex August. lib. de Correp. & Grat. c. 9. vbi sic scribit: Sunt enim filij Dei, qui nondum sunt nobis, & sunt iam Deo: de quibus ait Euangelista: *Nec tantùm pro gente* (scilicet moriturus erat Christus) *sed etiam vt filios Dei dispersos congregaret in vnum:* & sunt rursus, inquit, quidam qui filij Dei propter 15

susceptam

susceptam vel temporaliter gratiam, dicuntur à nobis, nec sunt tamen Deo: de quibus Ioannes dicit: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*: & infra circa finem capitis: Quia ergo nō habuerunt perseuerantiā, sicut non verè Discipuli Christi, ita nec verè filij Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur & ita vocabantur. Huc etiam facit, quod scribit lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 32. Non enim (inquit) Domini corpus est quod cum illo non erit in æternum. Conformiter D. Cypr. epistola 55. quæ est ad Cornelium, dicit Ecclesiam quæ in Christum credit, & quæ semel id quod cognouerit, tenet, nunquam ab eo omnino discedere, & eos esse Ecclesiam, qui in domo Dei permanent: plantationem vero plantatam à Deo Patre non esse, quos videmus non frumenti stabilitate solidari, sed tanquam paleas dissipantis inimici spiritu ventilari, de quibus dicit Ioannes: Ex nobis exierunt &c. ergo &c.

16 Respondetur ad obiecta: Inprimis ea quæ in Canticis de Sponsā dicuntur, diuersas habere expositiones: quidam enim intelligunt ea dicta de Beata Virgine: quidam verò de qualibet animâ perfectâ, idque valde probabiliter. Sed esto, intelligantur de Ecclesiâ, vt multi etiam exponunt, negandum tamen est Ecclesiam in communi dici hortum conclusum, aut fontem signatum, quia nullus qui in eâ fuit, aliquando egrediatur, aut quod nullus qui fuit extra, aliquando ingrediatur. Contrarium enim satis manifestè declarat Cyprianus, & cum Cypriano August. lib. 3. contra Cresconiam cap. 31. vbi ponit inprimis hæc verba Cypriani ex eius epistola 3. lib. 3. ad Præsbyterum Maximum, & alios: Etsi videntur in Ecclesiâ esse zizania, non tamen impediri debet fides aut charitas nostra, vt quoniam zizania esse in Ecclesiâ cernimus, ipsi de Ecclesiâ recedamus: nobis tantummodo laborandum, vt frumentum esse possimus. Apostolus in epistolâ suâ dicit: In domo autem magnâ non solum vasa sunt aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem honorata, quædā vero inhonorata. Postmodū August. adiungit: Vides frater, secundum Scripturas diuinas hoc præcepisse Cyprianum non propter malos, qui cùm sint à bonis vitâ, moribusque spiritualiter separati, corporaliter tamen eis in Ecclesia videntur esse permixti vsque in diem iudicij, quo etiam corporaliter debitas separātur ad pœnas, non esse Ecclesima deserendā, vtpote nec frumentum propter paleam vel zizania; & sicut nec domus magna propter vasa inhonorata: & lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 7. vbi similiter recitatis quibusdam Cypriani sentētijs, addit: Hæc verba Cypriani admonere nos videntur, vt distinguamus inter eos qui mali foris sunt, & eos qui intus mali sunt: & illos de quibus dixit Apostolus quod Euangelium non castè, sed per inuidiam annuntiarent, intus fuisse dicit, & verum dicit: & statim pòst: Si enim hortus ille clausus potuit habere spinas diaboli, cur non etiā extra hortum potuit manare fons Christi? vbi plane supponit in horto concluso etiam esse spinas. Similiter etiam D. Greg. lib. 13. moral. cap. 5. ad illa verba Iob: *Rugæ meæ dicunt testimonium contra me*, docet, multos reprobos esse in Ecclesia.

Dicitur itaq; Ecclesia hortus, vt Diuus Gregor. ad illa verba habet, quia multos fideles populos gignit, sicuti pulchros flores terra bona. Cur autem dicatur hortus conclusus, possunt assignari diuersæ rationes: Vna est, quâ distinguitur contra Synagogam Iudæorum, quia scilicet seps & maceria Ecclesiæ nunquā sunt diruenda, aut conculcanda: sicuti è contrà Isaiæ cap. 5. de Synagogâ dicitur: *Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam*, &c. Et Psalm. 79. *Vt quid destruxisti maceriam eius & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam, exterminauit eam aper de sylua*, &c. Ecclesiæ autem firmus & perpetuus murus & antemurale Dominus est, quia vt habet Beda in Cantica ad hæc verba: Domini ac Redemptoris sui protectione munita persistit, ne improbâ vnquam, vel hominum infidelium, vel spirituum immundorū corruptione violetur, & à fructuum cœlestiū productione passim conculcata retardetur, sicuti Synagogę accidit. 17

Alio modo potest Ecclesia dici hortus conclusus; verùm non ratione totius corporis, sed ratione principalioris partis, videlicet ratione numeri electorū, seu prędestinatorum qui in ea existunt & futuri sunt: qui numerus ita est conclusus, signatus & certus, vt nullus illi inscriptus ab eo excidere, vel non inscriptus in eum possit intrare: & sic D. August. & Greg. locis obiectis videntur intelligere Ecclesiam dici hortum conclusum: idque iuxta regulam secundam exponendi Scripturas traditam à Tichonio, quam refert & explicat D. August. lib. 3. de doctrinâ Christianâ cap. 32. quod scilicet Scriptura de eodē corpore quasi de vnâ personâ loquens, aliquando varia illi attribuat secundū diuersa eius membra, & aliquando 18

ab vno

ab vno ad aliud transeat; quò dicit idem August. pertinere illud ex Canticis quoque: *Fusca sum & speciosa, vt tabernacula Cedar, vt pelles Salomonis.* Non dicit fusca fui (inquit) & speciosa sum: sed vtrumque se esse dixit propter temporalẽ vnitatem intra vna retia piscium bonorum & malorum; vel etiam iuxta quartam regulam quam explicat cap. 34. secundum quam dicit ex modo loquendi Scripturæ, aliquando attribui toti quod parti tantùm conuenit: Et è contra.

19 Sic itaque Ecclesiæ tribuitur esse hortum conclusum iuxta posteriorem considerationem ratione partis eius præstantioris, scilicet numeri electorum: quem sensum manifestè indicat August. in præcedentibus, dum sic ait: Et quod in Cantica Canticorum Ecclesia sic describitur, hortus conclusus, soror mea sponsa, fons signatus, &c. hoc intelligere non audeo nisi in Sanctis & Iustis; non in auaris & fraudatoribus, &c. Et tum infra addit, ea quæ nobis obiecta sunt: vbi clarè significat illam proprietatem non ratione totius, sed ratione vnius partis attribui Ecclesiæ.

20 Quod attinet ad authoritates Scripturæ & Patrum adductas pro confirmatione, Notandum est, Dupliciter hominem dici Christi membrum, aut ouem Christi, aut filium, siue illius esse; vno modo secundum prædestinationem & præscientiam: alio modo secundum præsentem formam filiationis, & sanctificantem gratiam, vtrumque autem modum dicendi habere fundamentum in Scripturis, sic vt qui vno loco iuxta vnum modum dicuntur non esse Christi. non esse filij Dei; sed serui peccati, iuxta alium dicuntur alio loco esse oues & filij Dei: Ita Apostolus ad Rom. 6. scribit: *Nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam: gratias autem Deo quod fuistis serui peccati, liberati autem à peccato serui facti estis iustitiæ.* Et cap. 8. *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et infrà: *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.* Et rursum: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* Quibus locis manifestè Apostolus agnoscit eos solos tanquam qui Christi sint, & filij Dei, qui secundum præsentem suum statum sunt liberati à peccatis, obediunt iustitiæ, aguntur spiritu Dei, & acceperunt spiritum adoptionis: non autem illos qui adhuc exhibent membra sua seruire immunditiæ & iniquitati, & adhuc secundũ carnem viuunt: etsi forsitan ad meliorem statum & finaliter ad gratiam adoptionis reducendi sunt, prout multi, ad quos scribit, reducti erant. Sic etiam ad Galat. 3. dicit simpliciter eos Christum induisse, & proinde Christi esse, qui in Christo baptizati erant: quia scilicet, cum peccatorum remissione acceperant iustitiæ infusionẽ: quamuis verisimiliter non omnes essent prędestinati.

2. autem ad Timoth. cap. 2. iuxta aliũ modum loquitur Apostolus, dum scribit: 21
Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc; Cognouit Dominus qui sunt eius: vbi illi dicuntur Domini esse, qui secundum prædestinationem & præscientiam æternaliter sunt futuri filij adoptionis, siue interim secundum præsentem eorum statũ, haberent spiritum Christi & adoptionis, siue non: Iuxta hunc itaque modum locutus est Christus Ioan. 10. & 11. Similiter & D. August. quando indicat electos omnes esse filios Deo, etsi nobis non sint. Verùm quamdiu secundum prædestinationem tantùm sunt Christi, & non secundũ præsentem saltem fidem & religionem, tamdiu nondum dicuntur esse in ouili aut Ecclesiâ Christi: quod Dominus ipse ijsdem locis satis apertè declarat, quando dicit: *Et alias oues habeo, & illas oportet me adducere:* ergò nondum erant in ouili: & rursum: Sed vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum: ergò qui ibi dicuntur filij Dei, nondum erant ad vnitatem ouilis congregati: sed aberrabant adhuc & extra ouile erant. Quod clarè etiam docet August. lib. 4. de Bapt. cap. 3. Secundùm præscientiam, inquit, multi etiam qui apertè foris sunt, & hæretici appellantur, multis & bonis Catholicis meliores sunt. Item tract. 45. in Ioannem: Secundum præscientiam, inquit, & prædestinationem quàm multæ oues foris, & quàm multi lupi intus. Non igitur electi omnes semper sunt in Ecclesiâ, quamuis si in eâ non sint, ad eam suo tempore sint adducendi.

Nunc quod attinet ad illa quæ allegantur ad confirmandum, quod reprobi non sint in Ecclesia: Respondetur ad Euangelistam, quod verba eius potius significent etiam reprobos esse in Ecclesia aliquando, quàm oppositum: quia expressè distinguit inter eos qui sunt simul cum ipsis & de numero eorum secundum externam congregationem corporis Ecclesiæ, & qui sunt non de numero illorum secundum rationem electionis, siue prædestinationis: quando enim dicit: *Prodierunt ex nobis,* significat quod prius essent in eodem corpore cum ipsis: nam alioquin ex ipsis non prodijssent. Quando itaque dicit & addit: *sed non erant ex nobis,* hoc secundum aliam rationem 22

rationem essendi ex ipsis debet intelligi, quam essendi ex ipsis secundum rationem quâ membra Ecclesiæ sunt vnita: puta quod non essent ex illis secundum rationem electionis.

23 Quod ad Augustinum lib. de Correptione cap. 9. citato attinet, explicat ipse in sequentibus mox seipsum, quo sensu dicat eos qui temporaliter gratiam susceperunt, non esse Deo filios, quamuis à nobis dicantur: non, inquit, quia iustitiam simulauerunt, sed quia in ea non permanserunt, & infra: erant itaque in bono, sed quia in eo non permanserunt, id est, vsque in finem non perseuerauerunt, non erant ex nobis: admittit igitur illos reuera esse filios pro illo tempore, quo temporaliter gratiam susceperunt, & verè iustos: ac proinde etiam Ecclesiæ membra, vt patet satis quoque ex verbis eiusdem supra allegatis: Quàm multi Lupiintus &c. sed tantùm vult quod in Dei præscientiâ non habeant æternum esse filij. Vnde quod iterùm postea dicit: quia non habuerunt perseuerantiam, sicut non fuerunt verè discipuli Christi, ita nec verè filij Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur, intelligendum quoque est, non quod tunc non habuerint verè fidem & gratiam adoptionis siue sanctificationis, & sic temporaliter verè filij Dei: sed quia Deo præsentia sunt omnia, quæ nobis adhuc sunt in futuro, & quia finaliter isti ab illa adoptionis gratia, & ex filiorum numero prolapsuri erant; nec hæreditatem filijs promissam participaturi, ideo dicit Aug. quod non verè fuerint filij: quia verum esse Discipuli aut filij Dei magis putat vocandum, quod æternum est tale, quàm quod temporaliter solum est tale, & non æternaliter. Sicut D. Greg hom. 37. dicit temporalis vita æternæ vitæ comparata mors est potius dicenda, quàm vita: scilicet propter eius celerem & corruptibilem transitum quo mox deficit & desinit esse, non quod vera vita alioquin non sit. Alij autem hoc modo explicant & dicunt, non esse verè filios veritate finis, quia finaliter non sunt futuri filij, nec finalem repromissionem filiorum hæreditabunt, quamuis pro tempore sint verè filij veritate essentiæ: quia verè veram formam filiationis pro tempore participant.

24 Ad locum eiusdem Augustini ex cap. 32. libri 3. de Doctrina Christiana. Respondetur cum ibi reprehendere Tichonium, cuius adfert regulam, in eo, quod vocaret Ecclesiam corpus bipartitum ratione bonorum & malorum, siue potius ratione electorum & reproborum, quos Ecclesia complectitur: & docet August. Ecclesiam non debere constitui aut dici duplex corpus, vnum scilicet electorum, & alterum reproborum, vt Tichonius videbatur velle: quia quodcumque Ecclesiasticum corpus, est corpus Christi; non est autem agnoscendum aliquod Christi corpus, quod non erit cum illo in æternum: sicut neque corpus aliquod eius damnatum, siue defacto, siue in eius præscientiâ, vt alibi etiam August. docet. Vnde multitudo reproborum in Ecclesiâ non debet haberi tanquam vnum Corpus Ecclesiasticū separatim constituens; & ideo non debet propter reprobos Ecclesia vocari corpus bipartitum: sed corpus (inquit August.) permixtum potius, quia est corpus promiscuè continens electos & reprobos; & hoc corpus erit in æternum cum Christo, quamuis non cum illâ permixtione, nec secundum omnes partes materiales quæ plurimæ decidunt, sicuti etiam ex corpore humanó: sed secundum omnes partes formales, quia ex omni ordine, gradu, sexu, ætate & ex omni statu erunt aliqui in perpetuum de illo Corpore & cum Christo.

Similiter loquitur etiam Cyprianus, 25 quando dicit Ecclesiam quæ in Christum credit, nunquam ab eo discedere; quia totum corpus Ecclesiæ nunquam à Christo deficit, quamuis multæ partes decidant. Addit autem & eos esse Ecclesiam, qui in domo permanent: quia illi sunt principaliores & solidiores partes in quibus Ecclesia perseuerat in æternum cum Christo: reliquos autem non negat esse in Ecclesia, sed dicit, non esse plantationem illam singularem, scilicet à Patre plantatam, quam aper de sylvâ nunquam valeat eradicare.

Obijcitur Secundò: Arca Noë fuit figura Ecclesiæ, vt dictum est, & docet D. August. lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. vltimo: sed non fuerunt in Arca Noë nisi qui liberandi erant ab aquis diluuij: ergò etiam in Ecclesiâ non sunt nisi electi qui saluandi sunt. 26

Respondetur, Figuras non in omnibus quæ cum illis concurrunt, debere conuenire cum rebus figuratis: alioquin cum etiam 1. Petri cap. 3. Baptismus comparetur cum Arca Noë, sequeretur nullum qui baptismum susceperit perire: & rursum cum in Arcâ Noë non tantùm animalia munda, sed etiam immunda fuerint à diluuio præseruata, sequeretur non tantùm bonos, sed etiam malos & immundos esse saluandos: non igitur in omnibus suis partibus semper, quod aliquam figuram gerit, est circa figuratū vrgendum & applicandum. Sed fuit Arca in eo Ecclesiæ figura, & con-

& conuenit Ecclesia cum Arcâ, quod sicut extra Arcam nemo saluari potuit, ita neque extra Ecclesiam, vt August. loco citato: Cypr. lib. de Vnitate Ecclesiæ, & Hier. in epistola ad Damasum de tribus hypostasibus, docent & explicant.

Non soli boni sunt in Ecclesiâ.

27 Secundò colligitur ex definitione Ecclesiæ supra allegatâ, non solos quoq; bonos siue iustos in Ecclesiâ esse, vt docuerũt Nouatiani & Donatistæ apud Augustinũ hæresi 69. excludentes omnes detentos aliquo delicto mortali saltem grauiori: multoq; minùs solos in charitate perfectos in eâ contineri, vt voluerũt Pelagiani apud Aug. hæresi 88. quem errorem Caluinus attribuit etiam Anabaptistis nostri temporis: sed etiam malos & iniquos Ecclesiam complecti, quia inter communicãtes fideles in ijsdem Sacramentis, nihil obstat multos improbos reperiri.

28 Et Probatur Primò ex Scripturis: hoc enim satis apertè indicant pleræq; figuræ, & parabolæ supra adductæ, quæ non tantum de reprobis, sed etiam de malis & iniustis apertè agunt. Item Matth. 18. dicit Christus: *Si peccauerit in te frater tuus, vade corripe eum* &c. ergò fratres in Ecclesiâ aliquando peccant: nec tamen ideo desinunt esse in Ecclesiâ, quia addit Christus, Si ad priuatam correptionem non attenderint, vt deferantur ad Ecclesiam, vt ab eâ corripiantur: quam si non audierint, tunc eijciantur. Matth. 24. *Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Lucæ 12. describitur malus Ecclesiæ Præpositus qui percutit conseruos, comedit & bibit cum ebriosis: & additur: *Veniet Dominus serui illius in die quâ non sperat* &c. *& diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.* 1. ad Cor. 5. *Auditur inter vos fornicatio* &c. *qualis nec inter gentes ita vt vxorẽ Patris sui aliquis habeat*: erat ergo fornicarius iste, peccator grauis & notorius: & tamen adhuc erat in Ecclesiâ. Vnde ibidem Apostolus monet Corinthios, vt tollatur talis de medio ipsorum Huc etiam faciunt exempla Iudæ proditoris, Ananiæ, Zaphyræ, Nicolai Diaconi, Simonis Magi, & falsorum fratrum qui ex æmulatione, vt suscitarẽt pressuras vinculis Apostoli Pauli, annuntiabant Christum: quæ D. August. diuersis locis contra Donatistas allegatis vrget,

29 Probatur Secundò, quia concorditer ita docuerunt S. Patres: Cypr. lib. 3. ep. 3. August. pluribus locis supra citatis: item Breuiculo in collatione 3. diei cap. 9. Ostendentes, inquit, multis Sacræ Scripturæ testimonijs & exemplis malos in Ecclesiâ nunc sic esse permixtos, vt quamuis debeat vigilare Ecclesiastica disciplina ad eos non solum verbis, sed etiam excommunicationibus, & degradationibus corripiendos, tamen non solùm in eâ latentes nesciuntur, sed plerumque propter pacẽ vnitatis cogniti tolerantur, sic ostendentes diuina testimonia consonare, vt & illa, quibus commendatur Ecclesia cum malorum commixtione, hoc tempus eius significarent, qualis est in præsenti sæculo: & illa testimonia quibus commendatur non habere commixtos malos, illud tantùm tempus significarent, qualis venturo sæculo in æternum futura est. Gregorius Nazianzenus in Oratione 1. Apologeticâ comparat Ecclesiam beluæ ex varijs animalibus compositæ magnis, paruis, ferocibus, mansuetis, &c. vt ostendat maximam esse solicitudinem & laborem Episcopi, qui regere debet tam diuersorum morum homines, perfectos & imperfectos, bonos & malos: Similia habet Chrysost. de Indole & Actibus eorum qui ab Episcopo reguntur lib. 3. de Sacerdotio: & ad illud Psalmi 39. *Multiplicata sunt super capillos capitis* &c. ita scribit: neque ex perfectis vniuersa constat Ecclesia, sed habet eos etiam qui otio & socordiæ sese dedunt, mollemque & dissolutam vitam amplectuntur, & libenter seruiunt voluptatibus: & quoniam est vnum corpus, inquit, tanquam ex vnâ personâ, hæc & illa pronuntiat.

D. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos vltra medium: Arca Noë, inquit, Ecclesiæ typus fuit, vt in illâ omniũ animalium genera, ita & in hâc vniuersarum & gentium, & morum homines sunt: vt ibi pardus, hædi, lupus, agni; ita & hic iusti & peccatores, id est, inquit, vasa aurea & argentea cum ligneis & fictilibus commorantur. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 43. Firmissimè tene, inquit, & nullatenus dubites aream Dei esse Catholicam Ecclesiam, & intra eam vsque in finem sæculi frumento mixtas paleas contineri, id est, addit, bonis malos Sacramentorum communione misceri. D. Greg. hom. 11. & 38. in Euangelia docet & probat multis argumentis malos esse in Ecclesia. 30

Sed contra Obijciunt Primò: Isaiæ cap. 52. dicitur de Ecclesiâ, vti apparet noui saltem Testamenti: *Non adijciet vltra, vt pertranseat per te incircumcisus & immundus*: & rursus ibidem: *Recedite recedite, exite inde: Pollutum nolite tangere, exite de medio eius.* Quę etiam verba adducit Apostolus 2. ad Corinth. cap. 6. addens: *Et ego recipiam vos*: ergo non debent admitti aut tolerari mali in Ecclesia, vel oportet bonos inde recedere. 31

dere. Confirmatur: ex ratione quã ibidem præmittit Paulus: *Quæ enim participatio iustitiæ cũ iniquitate, quæ conuentio Christi ad Belial.*

32 R. N. C. Ad priora verba Isaiæ quod attinet, interpretatur Aug. in Breuiculo coll. 3. diei c. 9. & l. contra Donatistas post coll. c. 8. illa esse dicta, non de Ecclesiâ militante, sed de Ecclesiâ triumphante secundũ illum statũ & qualitates, vt futura est in cęlis. Cyrill. intelligit litteraliter, & secundũ historiam promitti genti Iudęorum, quod cũ à captiuitate redierint futurũ, quod nõ vltra (id est ad longũ tempus) quispiam infidelis & incircũcisus persecutor pertransibit & vastabit eos, sicuti iam acciderat. Secundũ autem misteriũ intelligitur promitti Ecclesiæ noui testamenti, futurum; *Vt portæ inferi non præualeant aduersũ eam*, ita vt per antonomasiam per incircumcisum & immundũ significetur, ille totus incircũcisus & immundus, scil. diabolus, qui præcipuus est Ecclesię hostis & persecutor: quod & Christus indicat apud Ioan. c. 16. dicens, *Princeps huius mundi iam iudicatus est.*

33 Ad alia verba Isaię, Resp. ibi iuxta sensũ historicum admoneri Iudæos, vt de Babylone exeant, quando tempus captiuitatis fuerit finitũ, & non cum illis pollutis maneant, aut inter illos commorentur: iuxta misticum autem sensum docetur, quod Christiani postquam à diaboli captiuitate, sũt per baptismũ liberati, debeãt se separare ab infideliũ cœtibus, templis, sacrificijs, cõiugijs, & alijs quę quoquo modo ad religionẽ pertinẽt: & in eo sensu vtitur Apostolus isto loco Prophetę: non enim de cõmercio cum quibusuis peccatoribus illic agit, sed tantũ de commercio cum infidelibus, à quo dehortatur Corinthios: *Nolite iugum*, inquit, *ducere cum infidelibus: quæ pars fideli cum infideli? quis autem consensus templo Dei cum idolis?* vt itaq; fortiùs & efficaciùs inculcet fideles debere à talibus abstinere, adducit allegata Isaię verba; nõ autem ad ostendendũ, quod in ipsorum societate nõ possunt esse mali: sicuti neq; per historiã Propheta voluit, vt gens Iudęorum extra Synagogam eijceret quoscumque peccatores.

34 Ad ea quę pro Confirm. ex S. Paulo adducuntur, Resp. Nõ esse sensum istorũ, quod boni non possint cum malis esse in eâdem Ecclesia, sed quod illi qui susceperũt lumẽ fidei Christianę, & profitentur Christi religionẽ, & omnem iustitiam & sanctitatẽ, debeant se separare ab illis qui adhuc profitentur iniquitatẽ & immunditiam, & qui nolunt recipere lumẽ fidei: sed amant magis tenebras quam lucẽ, quia mala sunt eorũ opera. Similiter quod multò magis qui Christo adhęrent, debeant se segregare ab illis, qui Belial & dæmonibus sunt deuoti, & seruientes.

Obijciunt Secundò: cap. 4. Cantic. dicitur de Ecclesia: *Tota pulchra es, & macula nõ est in te.* Item in Symb. Apostolor. dicimus nos credere, *Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Item ad Ephes. c. 5. de Christo dicitur: *Vt ipse exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habẽtem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi:* ergò mali nõ possunt dici esse in Ecclesiâ. 35

R. N. C. ad verba ex Canticis Resp. primò, ea quæ de sponsâ ibi dicũtur, à multis intelligi de animâ perfectâ. Secundò, Si applicentur autem ad Ecclesiam, tunc dicendũ est, ea sic esse intelligenda vt Ecclesia dicatur tota pulchra, non quia omnes partes eius pulchræ; sed quia omnia quę ad eius constitutionem, ordinem, ac finem per se pertinent, sunt pulchra, recta & sancta: quia fides, eiusq; professio, Sacramenta, eorumq; communio, subiectio sub vno Capite, & pietatis officia quæ ex suo instituto & fine exercet, omnia ad sanctitatem & pulchritudem pertinent.

Quando autem de Ecclesiâ est sermo secundum qualitates singulorum qui in eâ sunt, tunc illa dicit de seipsâ: *Fusca sum & speciosa, vt tabernacula Cedar, vt pelles Salomonis,* sicuti ex August. illa explicuimus. Eodem sensu etiam rectissimè Ecclesia dicitur sancta in Symbolo Apostolorũ. Vnde Hesselius in explicatione Symboli, Capitulo de Ecclesiæ sanctitate scribit: Quod etiam ipsi mali Ecclesiæ adhærentes quãdam ratione sancti dici possunt, professione [illegible]licet sanctitatis, inquit, non opere: quomodo grammatici & fabri vocantur, non tantùm illi qui artem tenent; sed etiam ij, qui se eiusdem artis studio dederunt, aut profitentur, etiamsi præ desidia neque eam exerceant, neque laborent vt discant. 36

Non tamen propter solam externã professionem sanctitatis, aut aliquã sanctitatis speciem externam debet corpus Ecclesiæ censeri dictum sanctũ: sed quia etiam intrinsecus veram sanctitatem tanquam dotem propriam possidet, & vera sanctitatis opera exercet in suis saltẽ membris, & partibus potioribus: nec debet proinde similiter illi attribui, quod maculata sit, aut scelerata, quia licet maculatos aut sceleratos quoq; contineat, non tamen ex suâ institutione, & præceptis profitetur malignitatẽ, vel habet immunditiam aut malitiam: sed per accidens solum & ex hominum vitio & peruersitate hoc contingit. 37

Ad Apostolum ad Ephes. Resp. Ipsum ibi explicare & ostendere, ad quem finem Christus sibi Ecclesiam desponsauit, scilicet, vt exhibeat eam aliquando gloriosam, 38

non habentem neq; rugam, neq; maculã. Verùm nõ complebitur hoc quamdiu hic militat; sed in sæculo futuro in cœlis, vt diximus Augustinũ explicare verba Isaiæ.

39 Objicitur Tertiò: 1. ad Cor. 10. dicitur: *Vnus panis, vnum corpus multi sumus.* Vbi significatur, omnes qui sunt de Ecclesiâ esse vnus panis & vnũ corpus: atqui panis non componitur ex frumento & paleis, sed tantùm ex frumento: ergò mali qui paleæ sunt, nõ sunt de corpore Ecclesiæ. Confirm. Quia etiam Ier. c. 23. dicitur: *Quid paleis ad triticũ?* ergò &c. R. N. C. quia eiusmodi comparationes & similitudines non sunt semper spectandæ, nec accipiendę secundũ omnes proprietates quę extremis conueniunt: sed sufficit eas subsistere secundũ aliquam, aut aliquas: Ratio autẽ similitudinis corporis Ecclesię cum pane, consistit in eo, quod sicut ex multis granis commixtione aquę fit vnus panis, ita etiam ex multis hominibus, accedente aquâ baptismatis, nascitur vnus populus Dei; sicuti hanc comparationẽ explicant Cypr. epist. 6. l. 1. & Iren. l. 3. c. 19. Accedit, non tantùm ex flore, sed etiam ex furfure panem communiter cõstare: bonos autem in Ecclesiâ habere rationem floris; malos autẽ posse dici obtinere rationẽ furfuris, si quis dictâ comparationẽ panis velit extendere ad Ecclesiam, vt cõtinet bonos & malos. Ad Ierem. Respondetur, locũ illum nihil hic ad rem facere: quia ibi tantummodò comparatur verbum siue sermo Dei, quem Dominus lòcutus est, cum somnijs Prophetarum quæ ipsi somniant, aut fingũt: & dicitur sermo Domini esse instar tritici, quod plenum est, & reficit & replet animam esurientẽ bonis: somnia autẽ ista esse paleas inanes, quę nihil refectionis aut saturitatis adferunt audientibus. Ita ferè apud Aug. respondent Catholici Donatistis in Breuiculo, Collat. 3. diei, & alibi.

40 Obijcitur Quartò: Apost. c. 4. ad Ephes. ita scribit: *Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnẽ iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vniuscuiusq; membri, augmentum corporis facit in ædificationẽ sui in charitate.* Hic, inquiũt, significatur totũ corpus Christi, quod est Ecclesia, incrementum ex eo capere per charitatem: ergò mali qui charitatẽ non habent, non sunt de illo corpore. Confirm. quia ad Rom. 8. dicit idem Apost. *Qui spiritũ Christi non habet, hic non est eius:* ergò non est membrum aut de Corpore Christi.

41 Respondetur significari quidem, Totũ Corpus Ecclesię in singulis quasi speciebus & ordinibus suorum membrorum augmentum facere in ædificationem sui per charitatẽ: non autem in singulis membris suis & partibus adhærentibus, siue de corpore existentibus, facere tale augmentum: insinuari nihilominus simul, quod singuli ad hoc sint vniti ac inserti huic corpori, vt quoq; singuli incrementũ faciant: Ideoq; paulò pòst, ex hoc quasi fundamento & motiuo, monet fideles, vt iam non ambulẽt sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui: sed potius studeant omnes ex illo capite Christo accipere incrementum, secundum charitatem.

Ad Confir. Respondetur eum qui non habet spiritum Christi, non esse ipsius tanquã corporis eius quod est Ecclesia, membrũ scil. viuum vita completâ & perfecta charitatis; siue nõn esse eius tanquã filium: sed tamen posse esse membrũ, & de corpore Ecclesię, quia vita illa completa, quę est forma adoptionis filiorum, non est substãtialis forma Ecclesię; sed quædam veluti dos eius, non omnibus partibus attributa: ast ipsi corpori. Essentialis autem interior forma est fides, vt diximus, quę potest dici vita inchoata, sed adhuc incompleta: quare licet mali, spiritũ Christi non habentes, nõ sint eius tanquã filij ius ad hæreditatẽ habentes, quod ibi potissimũ docet Apostolus, neq; viua membra corporis Christi, tamen sunt de corpore, quia participant fidem & Sacramentorum communionem.

Obijcitur Quintò: D. Cyp. ep. 6. lib. 1. dicit in Ecclesia Dei non nisi concordes & vnanimes habitare, loquente in Ps. Spiritu S. & dicente: Deus qui inhabitare facis vnanimes in domo: ergo peccatores qui cũ alijs rixas & contentiones mouent, & simultates ac odia fouent, nõ sunt in Ecclesiâ. R. N. C. quia quando dicit Cyp. in Ecclesiâ non nisi concordes & vnanimes habitare, non excludit quoscumq; discordes; sed qui concordię Ecclesiasticę aduersantur, sic vt schismata aut hæreses moueant; aut separẽt se ab vnitate Ecclesię: agit enim de Nouatianis schismaticis: nã quod alioquin aliæ dissensiones possint esse in Ecclesiâ, ita vt pertinacibus odijs à se inuicẽ quidam dissideãt, docet idem Cyp. ser. de lapsis. Vnde & agnoscit, eos fuisse intus in Ecclesia, qui ex odio & æmulatione contra Paulum, prædicabant nomen Christi, vt vinculis eius suscitarent pressuras, sicut supra ex Augustino diximus. 42

Objicitur Sextò: Aug. l. 2. contra Cresconium cap. 21. Ac per hoc, inquit, etiam nesciente Ecclesiâ, propter malam pollutamque conscientiam damnati à Christo, iam in Corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia: quia non potest Christus habere membra damnata. Similia habet l. 2. contra Petilianum c. vltimo: & l. 4. de Baptismo contra Donatistas c. 3. & alibi. Respondetur D. Aug. citatis locis, & similibus alijs, 43

non

non velle aliud docere, quàm malos non esse in corpore Ecclesię, tanquam membra spiritu Christi viuificata, quæ in compage Ecclesiæ faciunt corporis augmentum, ad ædificationē eius in charitate, vt satis explicat sese lib. 2. contra litteras Petiliani cap. vlt. alioquin varijs locis docet ipse ex proposito etiam malos esse in Ecclesiâ: & tract. 3. in epist. Ioan. dicit, malos esse in Ecclesiâ, sicut in humano corpore sunt humores corrupti, qui licet corrupti sunt, nō desinunt ideo esse in corpore, & aliquid ipsius corporis: sicut sanguis inflammatus, aut pituita putrefacta non desinunt esse de corpore, etsi reliquum corpus grauant & malè afficiunt.

44 Obijcitur Septimò: Idem Aug. lib. 3. de Baptismo c. 18. & lib. 6. c. 3. & l. 7. c. 5. significat solos sanctos esse illam Ecclesiam, quæ est fundata supra Petram, & cui sunt datæ claues regni cœlorum, & de quibus dicitur: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus:* ergò &c. Respondetur, D. August. istis locis non aliud velle, quàm priuilegia omnia quæ Ecclesiæ vniuersali à Deo concessa sunt, esse propter sanctos & electos concessa: id est, in vtilitatem & salutem eorum concessa esse, qui æternam vitam consequuntur: sicut Apostol. ad Heb. c. 1. dicit de Angelis, quod sint *Administratorij Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatē capient salutis:* non enim significat, quod reprobi non habeant Angelum custodem, sed tantùm quod ordinatio illa diuina & deputatio Angelorum ad ministerium hominis, sit facta in gratiā & vtilitatem prædestinatorum: alioquin enim D. Aug. frequentissimè inculcat malos Christianos in Ecclesiâ etiā vtiliter administrare Sacramenta: imò etiam ab hęreticis in casu necessitatis vtiliter suscipi Sacramentum baptismi, quando in hęresi aut Schismate non præbetur illis assensus, nec cum illis habetur cōmunicatio: & proinde etiam malos regenerare, soluere & ligare. Vide illū in tract. 5. in Ioan. & l. 2. contra Parmenianum c. 10. & 11. Agnoscit tamen Aug. quendam modū remittendi peccata siue soluendi minùs proprium, quem vult esse particularē Ecclesiæ Sāctæ, siue cœtui Sāctorū qui sunt in Ecclesiâ, videlicet quo impetratur remissio: quem modum ipse sæpius vocat, Gemitum columbæ, de quo plura diximus supra in tract. de Pontifice.

45 Obijcitur denique: Ecclesia est corpus Christi, vt ex Apostolo constat, ergò non possūt nō mēbra aut partes huius corporis, in quibus nihil Christus operatur: atqui in impijs & hypocritis, vt apparet, nihil operatur Christus: ergò hi non pertinent ad hoc Corpus, quod est Ecclesia. Respōdetur primò Neg. primā Cons. quia possūt in corpore esse quædam membra ad tempus impedita ab operatione, vel etiā arida quę tamen adhærent reliquis externâ colligatione & vinculo. Deinde Respondetur ad subsumptum Neg. Christum nihil operari in Christianis improbis: conseruat enim in illis fidē, quæ est interior forma Ecclesiæ, & inchoatio vitæ; ac mediante illâ etiam alios motus virtutum sępius in illis operatur, quibus vel tendant, aut excitentur ad vitam perfectam charitatis.

Infideles, Apostatæ, manifesti hæretici non sunt in Ecclesiâ.

Tertiò colligitur ex definitione Ecclesię: Infideles, Apostatas, & manifestos hæreticos nō esse in Ecclesiâ. De Infidelibus qui baptismum nunquam susceperunt, res est manifesta: neq; enim sunt de illo hominum cœtu, qui ad fidem sunt vocati. De Apostatis autem, & de Hæreticis aliquādo baptizatis mouet difficultatem Alphonsus à Castro lib. 2. de Iusta hæreticorū punitione, cap. 24. vbi vult eos esse membra & partes Ecclesiæ, etsi palàm profiteantur suam perfidiam, & errores. 46

Sed contrarium omnino patet: quia non sunt aggregati cœtui qui ad fidem vocatus est, & eiusdem fidei professione ac Sacramentorū communicatione est colligatus: nam ipsi se ab eo segregarunt, deserendo Christianorum collectionem. Et Probatur primò ex Scripturis: ad Titum c. 3. *Hæreticum hominem, post vnam & secundam correptionem deuita, sciens, quia subuersus est.* Hic præcipit Apostolus Episcopo, vt hæreticum vitet, quod non mandaret, si esset adhuc intra Ecclesiā: debet enim Pastor non vitare, sed curare eos qui ad suum gregem pertinent. Deinde addit Apostolus: *quia subuersus est,* id est, euulsus & fundamentum omne amisit: ergò à corpore separatus. Addit Apostolus: *Et delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus,* id est, vt Hier. exponit: Non Ecclesia eiecit illū per excōmunicationē, vt alios peccatores cōtumaces solet eijcere: sed ipse ab Ecclesia se ipsum eiecit. Itē D. Ioannes 1. epistolæ c. 2. scribit de illis quos vocat Antichristos, qui per contrarias doctrinas deserebant collectionem fidelium. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum:* quibus apertè significat aut supponit tales desertores non permanere in collectione Corporis Ecclesiastici. Idem significat Apostolus 1. ad Tim. 1. quando dicit quosdam circa fidem naufragasse: quia metaphoricâ illa locutione insinuatur hæreticos fidei desertione, quasi naue rupta ex 47

pta ex Ecclesia in mare decidisse, quod etiam significatur parabolâ de reti quod prę multitudine pisciũ rũpebatur Lucę 5.

48 Probatur Secundò ex Concilijs: nam Conc. Nycęnum cap. 8. & 19. dicit hæreticos posse recipi in Ecclesiam, si redire velint, cum certis tamen conditionibus: ergò manifestè supponit eos esse extra Ecclesiam. In Concil. Later. vnde desumptum est Capitulum Firmiter: de summa Trinitate, & fide Catholica, dicitur Ecclesia esse fidelium congregatio: atqui Apostatæ & Hæretici manifesti nullo modo sunt fideles ne externa professione quidem: ergò &c.

49 Probatur Tertiò ex Patribus, qui in scriptis suis hoc etiam planè supponunt: Irenęus lib. 3. cap. 3. scribit Policarpum multos hæreticos ad Ecclesiam conuertisse. Tertull. lib. de Præscriptionibus, dicit Marcionem cum ad Ecclesiam redire vellet, conditionẽ accepisse, vt cæteros quos peruerterat, Ecclesiæ restitueret. Cypr. in epistola ad Iubaanum scribit hæreticos cum sint extra Ecclesiam, tamen vendicare sibi Ecclesiæ authoritatem more simiarum: quæ cum homines non sint, tamen homines videri volunt: Hier. in dialogo contra Luciferianos circa finem, idẽ docet, dum hanc notatu dignam regulam tradit: Sicubi audieris eos, inquit, qui dicuntur Christiani non à Domino IESV Christo, sed à quoquam alio nuncupari, vt puta Marcionistas, Valentinianos, Montenses, &c. scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam. August. lib. 4. contra Donatistas cap. 10. Magna quęstio est, inquit, vtrùm peior fuerit Nicolaus, exterior eam, id est, extra Ecclesiam iam, quàm Simon, adhuc interior: quia ille hæreticus: iste magus. Vbi manifestè supponit hæreticum esse extra Ecclesiam: & lib. 7. cap. 5. scribit de hæreticis, quod iam magis ex domo, quàm in domo esse dicendi sint: de quibus dicitur, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: separatiores enim sunt, inquit, iam etiam corporaliter segregati, quàm illi qui interiùs (id est in Ecclesia) carnaliter & animaliter viuunt, & supernaturaliter separati sunt.

50 Probatur denique: quia Ecclesia est multitudo quædam inter se vnita: est enim ciuitas in monte posita: est regnum, & corpus vnum: quæ omnia requirunt quandam partium inter se coniunctionem, & colligationẽ: atqui non potest poni aliud huius connexionis & vnitatis Ecclesiæ fundamentum & vinculum, quàm eadem fides aut saltem eiusdem fidei professio, & earundem legum ac cęremoniarum ad diuinum cultum spectantium obseruatio: Apostatæ autem & hæretici manifesti non sunt in his colligati, aut coniuncti reliquis de corpore Ecclesiæ: ergò &c.

Sed contra Obijcitur Primò parabola, quæ habetur Matth. 13. de superseminatis zizanijs in agro, in quo Paterfamilias bonum semen seminauerat: vbi per agrum D. Cypr. lib. 3. epist. 3. & lib. 4. epist. 2. intelligit Ecclesiam, sicuti & Aug. lib. 2. contra Cresconium c. 34. per zizania autem docet idem Aug. qu. 11. super Matth. intelligi hæreticos, sicut & Hier. & Chrys. in citatũ locum Matt. Ergo etiam hæretici dicendi sunt esse in agro Dominico, siue in Ecclesia. Respondetur primò, hæreticos hactenus posse dici ab Ecclesiâ siue ab agro Dominico contineri, quia in Ecclesia hæreses exoriuntur, & aliquamdiu latenter subinde tolerantur, quamdiu scilicet vel Authores non omnino se produnt, aut ipsorum errores non sunt manifestè adhuc reiecti & damnati: non autem quando manifestè cogniti sunt vt hæretici. Vnde 51

Respondetur Secundò Neg. Conf. quia D. Cypr. quidem per agrum intelligit Ecclesiam: sed ipse per zizania non intelligit hæreticos, sed alios peccatores & improbos, atque ita iuxta intellectum Cypriani non importat hæc parabola, hęreticos esse in Ecclesiâ, quos ipse multis locis docet esse extra: verùm tantummodo importat Ecclesiam etiam continere malos. D. Aug. citato loco contra Cresconium tractat & vrget doctrinam Cypriani ex epist. eius 3. allegata, & verba citat: deinde inhæret sensui Cypriani, & cum eo ex dictâ parabolâ docet contra Donatistas, etiam malos esse in Ecclesiâ: sed qu. 11. super Matth. ibi quidem per zizania specialiter intelligit hæreticos: confert enim inter se triticum, paleas, & zizania: per triticum dicit significari bonos Christianos, per paleas autem malos, per zizania autẽ hæreticos: verùm tunc D. Aug. per agrum non Ecclesiam, sed mundum docet significari, in quo omnes illi sunt & crescunt: quia Dominus sic ipse exposuit: ager est mundus. Nihilominus explicatio D. Cypriani non minus videtur accõmoda parabolæ, & adiunctis. Vnde cum Donatistæ per agrum vellent quoq; nõ intelligi Ecclesiam, sed mundũ, ne cogerentur admittere zizania & malos esse in Ecclesiâ, ac opponerent expositionẽ Christi iam allegatam, respondebant Catholici ibi per mundum etiam Ecclesiam intelligi: cum rursum replicarẽt Donatistæ, mundum in Scripturis nunquam sumi in bonam partem, negabant id Catholici, & contrarium demonstrabant ex illo Apostoli: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Refert hæc August. lib. post collationem 52

locationem cum Donatistis cap. 6. Quod autem Cypriani explicatio non sit minùs accommoda, declaratur: quia Ecclesia propriè est ager in quo seminatur bonum semen, & vbi superseminantur zizania. Deinde quia Dominus generaliter exponit, quod zizania sint filij nequam. Denique concludit Angelos collecturos omnia scandala de regno suo: Regnum autem Christi propriè est Ecclesia.

53 Objicitur Secundò: ad Tim. c. 2. epist. 2. dicuntur in magna domo, id est, in Ecclesiâ, esse etiam lignea vasa & fictilia, & vasa in contumeliam: sub quibus videntur etiam comprehendi hæretici: quia comprehenduntur illi, quorum sermo vt cancer serpit: ex quibus erant Hymenæus & Philetus, vt docet August. lib. 4. de Bapt. cap. 12. ex Cypriano epist. 2. ad Antonianum lib. 4. ergò &c.

Respondetur, negando sub vasis istis quæ in magnâ domo sunt, comprehendi hæreticos pertinaces & manifestos: posse tamen dici comprehendi aliquos, quorum sermo vt cancer serpit: quia scilicet in Ecclesiâ sunt homines astuti, & subdoli qui hæresim non profitentur, & tamen colloquijs prauis, quæstionibus & dubitationibus suis quas mouent, & objiciunt, corrumpunt mores bonos, & destruunt aut labefactant fidem in infirmioribus, & in ijs, qui prurientes auribus facile à veritate se auertunt, & ad fabulas conuertuntur. Huiusmodi itaque hominum sermo etiam vt cancer serpit, & plurimos in Republ. Christianâ inficerē solet: ipsi autem tandem palàm & publicè ad hæresim declinant. Tales itaque iuxta Augustinum videntur ab initio fuisse Himenæus & Philetus: qui quidem fuerunt in Ecclesiâ per Sacramentorum communionem, & Christianæ religionis professionem, etiam dum essent vasa lignea, fictilia, & in contumeliam, clàm & astutè errores inuehendo, & animis simpliciorum ingenerando: sed quando iam palàm à veritate exciderunt, & hæresim pertinaciter professi sunt, tunc in illis locum habuit: Exierunt ex nobis, id est, ex Ecclesiâ. Vnde rectè August. de verâ religione cap. 8. de talibus scribit: ex his hominibus hæretici fiunt, qui etsi essēt in Ecclesia, nihilominus errarent, &c.

54 Objicitur Tertiò: 1. ad Cor. 15. dicitur: *Quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Vbi videtur Apostolus manifestè significare infideles circa articulum resurrectionis à mortuis, esse in Ecclesiâ: atqui tales erant hæretici; ergò &c.

Respondetur, illos nō fuisse manifestos & pertinaces hæreticos: sed fuisse seductos aliquos, & in eam opinionē inclinatos ex quâdam ignorantia: quia nondum sufficienter circa illum articulum fuissent instructi. Vnde Apostolus ibidem diligentius Corinthios desuper instruit. Eos autem qui errores illos inuehebant astutis & cautis modis, in Ecclesia simulatè latuisse, sicut iam ante hoc explicuimus.

Objicitur Quartò: Ecclesia habet potestatem iudicandi & puniendi hæreticos: ergò dicendi sunt ipsi esse in Ecclesia. 55

Probatur consequētia ex illo Apost. 1. ad Cor. cap. 5. *Quid enim mihi* (inquit) *de ijs, qui foris sunt, iudicare?* Præterea, hæretici retinent sibi impressum characterem baptismi, & si fuerint sacerdotes, etiam characterem Sacerdotij: ergo sunt ipsi Christiani, & de Ecclesiâ.

Respondetur Neg. Conseq. quia qui iniustè aut indebitè se subtrahunt & deserunt familiam, aut Rempubl. & aliò transfugiunt; desinunt esse membra illius familiæ, aut communitatis: & tamen paterfamilias, aut Princeps communitatis, non desinunt habere authoritatem & potestatem puniendi, ac etiā retrahendi eos ad se; & cogendi vt redeant, sicuti patet in seruis fugitiuis, & militibus desertoribus suorum castrorum, qui ad hostem transeunt.

Ad Probationem dicendum est, Apostolum ibi loqui de ijs qui foris erant, nec vnquam dederant nomen Christianæ religioni: de talibus enim, quia nunquam subdiderunt se Ecclesiæ, non habet Ecclesia iudicare: secus est de illis, qui se aliquando vel suâ vel parentum voluntate, sub quorum arbitrio erant; Ecclesiæ subiecerunt, & postmodùm iniquè ab eius gremio se eximunt, & recedunt. Ad illud quod de charactere opponitur, dicendum est, characteres quidem illos in hæreticis remanere, sed non sufficere vt constituant hominem in & de Ecclesiâ, quia etiam in damnatis in inferno remanent, quos nullus dixerit idcirco adhuc esse in Ecclesia, cum neque actu, neq; potentiâ sint membra Christi, vt docet D. Thom. 3. parte quæstione 8. Quemadmodum etiam milites transfugæ, licet retinerent signa militaria prioris Principis, non ideo censerentur amplius esse de castris illius. 56

Schismatici nō sunt in Ecclesiâ.

Quartò deducitur ex assignatâ Ecclesiæ definitione Schismaticos ad eam non pertinere: quia non sunt cum cæteris Ecclesiæ membris vniti & colligati: separarunt enim se, nec volunt cum alijs conuenire in Sacramentorum vsu, & alijs religionis ex- 57

ercitijs, nec Capiti debitam exhibere obedientiam: cum tamen Apostolus ad Rom. 12. de Ecclesia dicat: *Multi vnum corpus sumus: singuli autē alter alterius membra.* Militat hoc quoque contra Alphonsum à Castro suprà, qui existimat præcisè per Characterem baptismalem constitui aliquem membrum Ecclesiæ.

58 Verùm id quod dicimus, Probatur: quia sic habet communis sensus antiquorum, qui inprimis per rupturā retis Lucæ 5. & egressionem siue elapsum pisciū qui inde sequi solet, docent significari futura schismata Ecclesiæ, & ab eâ, egressiones hæreticorum & Schismaticorum. Augustinus tract. 122. in Ioannem: lib. 2. quæstionum Euangelicarum quæst. 2. & lib. De verâ religione cap. 6. & libro De fide & symbolo cap. 10. dicit Schismaticos qui discissionibus iniquis à fraternâ charitate dissiliunt, ad Ecclesiam non pertinere. Idē docet Optatus lib. 1. & 2. contra Parmenianum: Fulgentius de fide ad Petrum cap. 38. & 39. Firmissimè tene, inquit, & nullatenus dubites, non solum Paganos, sed etiam Iudæos, hæreticos, schismaticos qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros: vbi manifestè supponit schismaticos esse extra Ecclesiam Catholicam. Cypr. lib. 4. epist. 9. ad Florentium Papianum, vbi scribit: Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens: vnde scire debes, inquit, Episcopum in Ecclesiâ esse, & Ecclesiam in Episcopo: & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesiâ non esse, &c. Hieron. in caput 1. Amos: Schismatici, inquit, separant quidem deceptam multitudinem ab Ecclesiâ Dei, &c. & in caput 3. ad Titum: Inter hæresim, inquit, & Schisma, hoc interesse arbitramur, quod hæresis peruersum dogma habeat, Schisma propter Episcopalem dissensionem, ab Ecclesiâ pariter separat.

59 Chrysost. hom. 3. in epistolam 1. ad Corinth. Schismatis significantia, inquit, satis eos arguit, vel potius, est satis eius appellatio, quæ vehementer eos tangit: nō enim plures integræ partes factæ sunt, sed vna perijt: quibus significat Schismaticos neque esse in communi & vniuersali Ecclesiâ, neque constituere per se aliquam veram Ecclesiam particularem: quia scilicet Ecclesia est corpus talis naturæ, vt quæcumque partes ab eo separantur, mox rationem & formam Ecclesiæ deperdant: vnde idem Chrysost. hom. 11. in epistolam ad Ephes. comparat Schismaticū cum manu à corpore abscissâ, quæ mox vt separatur, desinit esse pars & membrum corporis viui: & Cypr. lib. de Vnitate Ecclesiæ comparat Ecclesiam cum arbore, cum fonte fluente, cum sole radiante: vnde sicuti quando ramus ab arbore auellitur mox emoritur, & quando riuulus à fonte separatur, mox arescit, & quando radius à sole disiungitur, cōtinuo deficit: ita quoque si quæ partes aut membra Ecclesiæ separentur à corpore, mox formam & rationem membri Ecclesiæ deperdunt, vt supra declarauimus. Et quamuis plures simul recedāt, non valent tamen Ecclesiam aliquam veram constituere. Denique Pelagius Papa Cap. Pudenda 24. quæst. 1. ex professo hoc agit, vt ostendat Schismaticos non esse in Ecclesiâ. Similiter & Cap. Schisma ibidem.

Sed contra Obijcitur: Nicolaus Papa, de Consecratione: Dist. 1. Cap. Ecclesia, dicit Ecclesiam esse Catholicorum congregationem: item Innocentius Capitulo Firmiter de Summâ Trinitate & fide Catholica, dicit Ecclesiā esse fidelium congregationem; atqui Schismatici sunt Catholici, & fideles: ergo sunt in Ecclesia. 60
Respondetur primò, absolutum Schisma vix esse sine errore in fide, præsertim circa vnum Caput Ecclesiæ: sed esto quod aliqui Schismatici sint absque errore in fide, non tamen sequitur quod sint in Ecclesiâ, quia non sunt de ipsâ congregatione Catholicorum siue fidelium: non enim fideles quomodolibet se habentes, constituunt Ecclesiam, sed quatenus adunati, & in vnum corpus sunt compositi, & alter alterius est membrum: vnde Aug. & Optatus locis supra allegatis negant Schismaticos esse Catholicos, etsi fidem Catholicam teneant, nisi eam fidem in Ecclesiâ profiteantur Catholicâ: quia scilicet ipsi secundum rationem suæ congregationis, aut potius separationis, non vniuersaliter per totum orbem recepti sunt, aut recipiendi: sed in aliquibus tantum angustijs delitescunt, vt sæpius August. vrget contra Donatistas.

Excommunicati non sunt in Ecclesiâ.

Quintò deducitur ex prædictâ Ecclesiæ definitione, Excommunicatos quoque extra Ecclesiam esse, quia etiam non sunt adunati cæteris membris & Capiti Ecclesiæ: Sunt enim à sacramentorū cōmunione & suffragiorum communiū participatione exclusi: vt docet etiam Tertull. in Apologetico cap. 39. Quemadmodum enim hæretici & schismatici suâ voluntate & malitiâ separant se, & egrediuntur, ita excommunicati ob suam contumaciam, virtute 61

tute clauium separantur, & eijciuntur ab Ecclesiastica Societate, vt docet D. Hier. supra in cap. 3. ad Titum: & significat Scriptura Sacra diuersis locis: & suis loquendi modis de excommunicatione, vbi illa insinuatur, vel de illâ agitur: Mat. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Vbi Christus secundum omnium sententiam agit de excommunicandis, quos Ethnicis comparat quoad consortium & communicationem cum fidelibus: atqui Ethnici non sunt in Ecclesiâ: ergò &c. Vnde D. Chrys. & Theophilactus exponunt illud, haberi sicut Ethnicum & Publicanum, vt sit idem quod eijci de Ecclesia. 1. ad Cor. 5. *Cur non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrûm, qui hoc opus fecit*: & infra, *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit*: & in fine cap. *Auferte malum ex vobis ipsis*: quibus omnibus Apostolus dat intelligere quid sit excommunicari, & satis declarat excõmunicationem importare eiectionem hominis extra cœtum fidelium.

62 Hoc etiam clarissimè exprimitur Capitulo Canonica: 11. quæst. 3. vbi sic dicitur: Canonica instituta & Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores authoritate Dei & iudicio Spiritus Sancti, à gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, & à consortio totius Christianitatis, eliminamus. D. August. lib. de Vnitate Ecclesiæ cap. vltimo: Excommunicari dicit esse visibiliter præscindi à Corpore Ecclesiæ: & lib. de Correptione & Gratia cap. 15. Per excommunicationem, dicit ab ouibus sanis morbidam separari, ne per plures serpant dira contagia.

63 Sed contra Obijcitur primò, quod scribit idem Aug. lib. post collationem cum Donatistis cap. 20. Neque enim à populo Dei separamus, inquit, quos vel degradando vel excommunicando ad humiliorem pænitendi locum, redigimus: ergò manent in Ecclesia excommunicati. Respondetur, ex alijs locis satis constare inprimis de sententiâ Augustini: Quod itaque ad obiecta verba attinet, valde verisimiliter multi existimant in ijs mendum irrepsisse, & vnum (non) esse prętermissum, ita vt deberet legi: Neque enim non separamus à populo Dei, &c. Proximè enim præcedit: Nec ideo tamẽ dormit Ecclesiastica disciplina (licet scilicet etiam malos in Ecclesia esse teneamus) vt corripiat inquietos: & tum verba allegata subijcit: Post illa rursum subiungit: Et vbi hoc facere pacis & tranquillitatis Ecclesię gratiâ, non permittimur (videlicet per degradationem & excommunicationem à populo Domini separare inquietos propter periculum, scilicet maioris Schismatis) non tamen ideo Ecclesiam negligimus: sed toleramus quæ nolumus, vtentes cautela pręcepti Dominici, ne cum voluerimus ante tempus colligere zizania, eradicemus & triticum. Quæ omnia planè videntur indicare in verbis allegatis, illud NON deesse. Accedit, quod simili phrasi duplicis negationis paulò infra Aug. adhuc vtatur: Neque enim, inquit, in Ecclesia non fit quotidiè, &ç.

Quod si quis tamen velit locum non laborare vitio, Respondere poterit, per populum Domini ibi non intelligi Ecclesiâ nostrâ militantem, sed simpliciter numerum electorum & saluandorum: à quo per excommunicationem non intendunt Ecclesiæ Pastores separare hominem tametsi præbeat se contumacem: sed potius tali correptione adducere ad resipiscentiam, & salutem: sicut significat Apostolus 1. ad Cor. 5. Et huic responsioni fauet, quod in superioribus ibidem August. egerit de electis, & de multitudine siue corpore reproborum, quod dicebat significatum fuisse in illo vno qui sine veste nuptiali præsumpserat intrare ad conuiuium, quod conuiuium docet ipse in Ecclesia militante celebrari, & ad illud bonos & malos accedere. 64

Obijcitur Secundò: Excommunicatus retinet baptismum, & potest quoque intertenere fidei professionem, & subiectionem sub legitimis Superioribus, atque adeo subinde esse amicus Dei; si nimirum sit iniustè excommunicatus: vel etsi iustè, potest agere pœnitentiam, & delicti obtinere remissionem, & in gratiam cum Deo redire, antequam absoluatur à Censura: igitur excommunicatus aliquando saltem dicendus est esse in Ecclesiâ. Respondetur in eiusmodi casibus talem excommunicatum esse animo & affectu in Ecclesia; sed tamen non simpliciter & absolutè, si excommunicatio fuerit valida, quamuis non iusta: quia ad hoc satis non est, quòd ipse ex parte suâ optet & desideret esse in Ecclesiâ, & habere communicationem in sacris cum alijs membris, sed necesse est quod etiam de facto habeat, nec ab eâ sit seclusus, ad hoc vt simpliciter de Corpore Ecclesiæ esse censeatur; quãuis ista emendatio & votum possint ei satis esse ad salutem, quando sic animo & affectu est in Ecclesiâ: & absque suâ culpâ aut negligentiâ realiter & corporaliter est foris. 65

Catechumeni non sunt in Ecclesiâ.

66 Idem dicendum erit de Catechumenis nondum baptizatis, quod nondum realiter sint de Ecclesię corpore: dictum enim fuit Petro Act. 10. quando de accedendo ad Corneliũ, & de illo Euangelizando ac baptizando per visionem monebatur: *Occide & manduca:* vbi manducare significat per baptismi Sacramentum, tanquam quadam manducatione in Ecclesię corpus traijcere, & Ecclesię incorporare. Et Act. cap. 2. *Qui ergo receperunt sermonem, eius baptizati sunt: & appositæ sunt in die illa, animæ circiter tria millia.* Vbi manifestè significatur homines per baptismum habere ingressum ad fidelium cœtum, siue Ecclesiam. Idem docent Sancti PP. Greg. Nazianz. Oratione in Sanctum Lauacrum dicit, Catechumenum esse in vestibulo pietatis, nec posse adhuc vocari fidelem, nisi intus ingrediatur per baptismũ: Chrys. hom. 24. in Ioan. dicit, Catechumenum esse alienũ, siue extraneum à fideli; & nihil habere cum eo commune. Idem significant Cyril. lib. 12. in Ioannem cap. 50. August. tract. 4. in Ioannem: & Tertul. in lib. de Præscriptionibus reprehendit hæreticos, quod non distinguant Catechumenos à fidelibus. Et patet ex definitione Ecclesiæ assignatâ, quia Catechumeni nondum sunt cum alijs Ecclesiæ membris adunati & colligati fidei Christianæ professione, & Sacramentorum communione sub regimine vnius Capitis in Terris: quidam enim adhuc solum præbent se dociles, vt instituantur in fide: quidam etiam possunt fidem esse amplexati, sed præparantur adhuc ad baptismum, aut fortassis ex ignauiâ & tarditate animi ad meliora, differunt suscipere: nulli autem ex omnibus sunt absolutè & realiter vniti Cœtui Christianorum, nec ad Sacramentorum participationem sine baptismo admittuntur, neque ad illa ius habent.

67 Obijcitur: Catechumeni in statu suo possunt saluari, quando iam perfectè credunt & toto corde ad Deum per pœnitentiam & dilectionem conuertuntur, licet de facto non sint baptizati: quod apertè docet D. Ambros. in Oratione de obitu Valentiani, qui & ipse de illorum numero erat, cùm de hâc vitâ migraret: ergò debent dici esse in Ecclesia: quia extra Ecclesiam nemo saluari potest.

Respondetur Neg. Conseq. loquendo de eo quod est esse in Ecclesiâ actualiter & realiter, siue corporaliter, idque propter rationes iam antè explicatas. Ad Cõfirmationem Respondetur, neminem posse saluari extra Ecclesiam, videlicet qui nec actu & realiter in eâ est, neque desiderio & affectu: quando enim quis ex verâ fide est toto corde ad Deum conuersus, & optat Ecclesiæ incorporari, ita vt per culpam eius non stet, quo minus externè quoque & realiter incorporetur, tunc mediante illo voto poterit saluari, quemadmodum mediante voto baptismi in simili occasione iustificari potest: sicuti etiam posset quis à naufragio liberari, qui quidem alteram nauem integram nondum conscendit, sic vt in illa, sed eam manibus tenet, & sic simul ad littus & portũ salutis trahitur: sunt enim ista vota & affectus quasi manus quædam quibus nauem Ecclesiæ eiusmodi apprehendunt & tenent, licet nondum absolutè realiter & corporaliter sunt ingressi.

Obijcitur Secundò: August. tract. 4. citato suprà, in Ioannem videtur expressè docere Catechumenos esse in Ecclesiâ: dicit namq; Erant enim in Ecclesiâ futuri Catechumeni magnæ excellentiæ &c. ergo dicendũ est quod iam in Ecclesia sint. 68
Respondetur Neg. Conseq. quia sermo ille August. est talis, ac si quis modo diceret: sunt in tali religione Nouitij tantæ perfectionis, vt etiam religiosos superent &c. quo non significatur quod nouitij sint in tali religione, eiusque sint membra ac partes simpliciter; sed sic loquimur, quia iã sunt candidati talis religionis, eamque sectantur, & ad eius incorporationem præparantur. Similiter ergo etiam Augustinus dicit: erant enim in Ecclesia futuri Catechumeni magnæ excellentiæ, non quod Catechumeni quamdiu tales, verè sint in & de Ecclesiâ; sed quia Ecclesiæ adhærent & ad eius ingressum præparantur & disponuntur: vnde ibidem eos contra fideles distinguit, quando dicit futuros Catechumenos tantæ excellentiæ, vt possint videri etiam fideles superare: & lib. 2. de Symbolo fidei circa initium comparat eos cum fœtu, qui adhuc in vtero gestatur, & nondum in lucem editus est aut natus.

Vtrùm nõ baptizati existimati baptizati, & sic cum fidelibus in Sacramentorum perceptione, & fidei professione communicantes, sint in Ecclesia?

Disputatur autem hic quid dicendum sit de illis qui putantur esse baptizati, & 69
verè

verè baptizati non sunt: interim verò cum alijs fidelibus conueniunt in professione fidei Christianæ, & Sacramentorum communione, ac alijs religionis nostræ exercitijs.

Respondetur, probabiliter dici potest, tales esse in Ecclesiâ. Ita omnino sensisse videtur Driedo lib. 4. de Scripturis & Dogmatibus Ecclesiasticis cap. 2. parte 2. vbi sic scribit: Omnes qui habentur tanquam Sacramento fidei visibiliter adscripti Ecclesiæ, secundum pacem quandam corporaliter cum Christiano populo conuersantes, dicuntur esse in Ecclesiâ, donec vel iudicio Ecclesiæ separantur, vel suâ sponte exeunt, ipsam Ecclesiam contemnẽtes & persequentes.

70 Et probari potest ex Innocentio III. qui Capitulo: Apostolicam, de Præsbytero non baptizato, dicit eum in Ecclesiæ Matris fide mortuum, & indicat ac iubet pro eius animâ preces & sacrificia offerenda, sicut pro alijs fidelibus; sensit ergo Pontifex eum in Ecclesiâ fuisse mortuum. Nec refert quod baptismus dicatur communiter ianua per quam ingredi oportet in Ecclesiam: quia potest id intelligi ideo dictum, eo quod scienter & volenter nullus ingredi valeat, aut ad Ecclesiæ gremium & ad Sacramentorum cum fidelibus communicationem admitti possit, nisi mediante baptismatis Sacramento: hoc autem non omnino impedit, si quis ignoranter admissus & receptus fuerit ad commune fidelium commercium, & participationem sacrorum religionis Christianæ sub ijsdem Rectoribus, quo minus talis dicendus sit esse de cœtu & corpore Ecclesiæ, quia communi professione & Sacramentorum participatione illi adunatus viuit. Obseruandum tamen est, quod licet talis Sacramenta exteriùs participet, non tamen effectum & fructum eorum consequatur: vnde neque characterem impressum recipit, etsi Sacramentum Confirmationis aut Ordinis suscipiat, neque gaudet effectu ex opere operato.

71 Bell. autẽ lib. 3. de Ecclesia militante c. 10. quamuis Driedonis opinionem non improbet, ipse tamen existimat meliùs posse responderi, eos qui baptizati non sunt, & tamen pro baptizatis habentur, nõ esse verè de Ecclesia, sed secundum apparentiam exteriorem tantùm, & putatiuè. Verùm sententię Driedonis multùm fauet Innocent. cap. citato: & lib. 7. cap. 8. Historię Ecclesiasticę refertur Dionysium Alexandrinum iudicasse quendam fuisse verè in Ecclesia, quem constabat non baptizatũ, sed tantùm percepisse alia Sacramenta tanquã baptizatum. Accedit casum esse possibilem, quod talis in Ecclesia habeat rationem Capitis: non potest autem esse Caput & habere authoritatem in Ecclesiam, nisi ipse sit de Ecclesiâ & membrum: quod argumentum in alia simili materia multùm vrget idem Bellar. vbi tamen constiterit aliquem talem esse in Ecclesiâ, si per suam culpam taliter intrauerit, erit expellendus donec pœniteat & baptizetur: si autem absque suâ culpâ, tunc non expelletur: sed quod deerat, erit in ipso supplendum.

Vtrùm infideles & hæretici occulti sint in Ecclesia?

Difficultas denique est de infidelibus siue hæreticis occultis, qui interiùs nec fidem, nec aliquam Christianam virtutem habent: sed propter temporale commodum aut similem respectum, profitentur exteriùs Christianam religionem, & in communione Sacramentorum cum veris fidelibus permiscentur. Quidam DD. sic loquuntur, vt negent tales esse membra, aut partes Ecclesiæ, siue in eâ contineri: inter quos est Turrecremata lib. 4. de Ecclesiâ parte 2. cap. 20. Domin. Soto in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. Antoninus, & alij. E contra plures sic loquuntur, vt dicant eos esse in Ecclesiâ, & partes ac membra Ecclesiæ. Ita Bell. lib. 3. de Ecclesia, cap. 10. cum alijs quos ibi citat. 72

Sed non videtur inter dictos authores tam esse pugnantia in re, quàm in modo loquendi, si quis propiùs eorum verba & sensum inspiciat: quia neque priores negarent eiusmodi occultos infideles externis vinculis adhuc Ecclesiæ adhærere & colligari, & externam Ecclesiæ formam participare: neque posteriores affirmarent tales internâ Ecclesiæ formâ, & internâ vnione Ecclesiæ esse coniunctos. Quare diuersitas illorum tota in eo videtur versari: vtrum propter externam formam, quã tales occulti infideles communicant, & externam vnionẽ quâ reliquis Ecclesiæ partibus cohærent, dici possint esse in Ecclesiâ, aut eius esse partes & membra: quemadmodum si disputaretur, vtrùm brachiũ aridum, sed pelle & ossibus ac neruis cohærens reliquo corpori cum suâ figurâ & delineamentis possit dici membrum hominis? & esse in homine tanquam quædam eius pars? Bell. enim qui multùm vrget, vt dicantur tales esse in Ecclesiâ, & Ecclesiæ membra, addit tamen quod sint membra arida & mortua. 73

Priores itaque id negant: Posteriores autem affirmant, quorum loquendi modus 74

vt ma-

vt magis vulgaris est, ita etiam videtur antiquorum scriptis conformior: ac etiam in particulari quâdam ratione fundatus, quæ non ita adhuc in membris aridis & in corpore vero animato militat, sicut in hoc corpore metaphorico, & talibus eius partibus adhærentibus.

75 Prior pars responsionis declaratur: quia inprimis D. August. licet verba illa Ioannis 1. epistolæ cap. 2. *Non erant ex nobis*, exponat aliquando secundum electionem siue prædestinationem, tamen in Commẽtario loci, & etiam alibi exponit, quod non erant ex nobis secundum fidem & affectum, & proinde vult significari tales qui exierunt, prius animo & affectu fuisse à fide & Ecclesia alienos: sic enim in Commentario scribit: Omnes hæretici, omnes schismatici ex nobis exierunt (id est, inquit) ex Ecclesia exeunt, sed non exirent, si ex nobis essent antequam exirent, ergo non erant ex nobis, si antequam exirent non erant ex nobis: multi intus sunt, inquit, qui nõ exierunt, & tamen Antichristi sunt: vbi indicat hæreticos & schismaticos (quos intelligit per Antichristos) quantumuis animo & fide non sint nobiscum siue ex nobis, tamen esse adhuc intus in Corpore Ecclesię, donec manifestà hęresi aut schismate se separant. Quomodo etiam D. Ioannes omnino ibi videtur fuisse locutus. Item lib. de Gestis cum Emerito cap. 1. Quidam (inquit) adhuc positi in parte Donati (scilicet hæretici) præsentiâ exhibent nobis corporalem carne intus, foris spiritu: & lib. de Catechizandis rudibus ita de huiusmodi hominibus scribit: Sunt qui propterea volunt esse Christiani, vt aut promereantur homines, à quibus temporalia commoda exspectant, aut quia offendere nolunt quos timent: sed isti reprobi sunt, etsi ad tempus eos portat Ecclesia, sicut area vsque ad tempus ventilationis paleã sustinet. Vbi vult simulatos Christianos esse in Ecclesiâ, sicut palea in area cum frumentis. Quod enim loquatur de illis qui fictè tantùm fidem Christianã suscipiunt, patet ex adiunctis: addit enim paulò infrà: Sunt etiam alij meliori quidẽ spe, sed tamen non minori periculo, qui iam Deum timent, & non irrident nomen Christianum, nec simulato corde intrant Ecclesiam Dei, sed in istâ vitâ exspectant felicitatẽ. Quę Antithesis euidenter ostendit, priores illos esse tantùm simulatos & fictos fideles, qui in animo fidem non teneant, sed magis irrideant. Idem significat August. alijs locis, vt lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 19. lib. 4. cap. 10. tract. 61. In Ioannem ad cap. 13. vbi exeunte siue recedente Iudâ, dixit Iesvs, *Nunc clarificatus est filius hominis.*

Origenes hom. 21. in Iosue: Etiam hic in Hierusalem, id est, in Ecclesia, inquit, sunt quidam Iebusci, qui & fide & actibus peruersi sunt. D. Greg. lib. 13. moralium cap. 4. ad illa verba Iob, *Rugæ meæ testimonium dicunt contra me:* Quid, inquit, per rugas nisi duplicitas designatur? Rugæ itaque sunt Sanctæ Ecclesiæ; omnes qui in eâ dupliciter viuunt, qui fidem vocibus clamant, operibus denegant: hi nimirum pacis tempore, quia potestatibus mundi eandem fidem honori esse conspiciunt, fideles se esse mentiuntur, &c. & infrà: Etiam pacis suæ tempore sancta Ecclesia falsiloquium patitur, dum sunt in eâ multi qui de æternitatis promissione diffidunt, & tamen se fideles esse mentiuntur. Quibus aperte D. Greg. docet in Ecclesiâ esse, qui mentiuntur siue simulãt se esse fideles, siue Christianos, & non sunt. 76

Præterea cõmuni consensu Sancti PP. docent illos qui sunt extra Ecclesiam, non habere iurisdictionem vel authoritatem in Ecclesiam, vt licet videre apud D. Cyprianum lib. 1. epistola 6. & lib. 2. epistola 1. apud Optatum Mileuitanum lib. 1. contra Parmenianum, Ambrosium lib. 1. de Pœnitentia cap. 2. Hieron. in Dialogo contra Luciferianos: atqui infideles occulti si forte sint Episcopi, aut etiam Summus Pontifex, non propterea perdunt iurisdictionem & authoritatem: sed quæcumque faciunt ex potestate ordinis aut etiam dignitatis suæ & iurisdictionis, tenent & valida sunt donec vel se ab Ecclesiâ separent, vel de hæresi conuicti separentur. Significatur hoc in Canone Audiuimus: 24. quæst. 1. qui habet: Sin autem ex corde suo nouam hæresim confinxerit, ex quo talia prædicare cœpit, neminem damnare potuit: vbi dum additur, Ex quo talia prædicare cœpit, satis indicatur quãdiu hæresim occultè tantum fouerit, potuisse damnare siue ligare, sicut & soluere, quod communiter quoque ab omnibus tenetur. 77

Et hinc confirmatur ac declaratur simul altera responsionis pars, quod scilicet posterior loquendi modus in particulari etiam ratione multùm sit fundatus: quia nimirum præterquam quod fundamentũ hoc, ipsis occultis hæreticis in ordine ad Corpus Ecclesiæ, & membris aridis in ordine ad corpus animatum, quadã proportione sit vtrisque commune, quod videlicet externâ colligatione trunco seu corpori cohæreant, & speciẽ seu formam externam membri retineant, insuper hoc peculiare est eiusmodi occultis infidelibus, quod etiam actiones & externas functiones al- 78

nes alterius membri internâ formâ informati valeant in corpore Ecclesiæ exercere, ipsaque Ecclesia per ipsos & in ipsis exerceat: quod non conuenit partibus aut membris corporis iam arefactis, & animâ intrinsecùs destitutis. Vnde magna & peculiaris militat ratio, cur eiusmodi occulti infideles debeant dici adhuc esse in Ecclesiâ, & eius esse membra: quia ita cohærent, vt virtute ab Ecclesia & Christo acceptâ, possint & valeant officia membri etiam Capitis validè obire & exercere.

69 Sed contra Obijcitur: Nicolaus Papa dicit, Ecclesiam esse Catholicorum collectionem, sicut supra citauimus: & in Conc. Later. dicitur, Vnam esse fidelium Ecclesiam, vt habetur Capitulo Firmiter: de Summa Trinitate & fide Catholica. Item in definitione Ecclesiæ supra à nobis assignatâ, Ecclesia dicitur esse cœtus ad fidem vocatorum, quam intus tenet: ergò dici non potest, quod hæretici quantumuis occulti, sint in Ecclesiâ. Respondetur Neg. Conseq. quia quando Pontifex dicit Ecclesiam esse Catholicorum collectionem, potest id optimè accipi, imo circumstantiæ requirunt ita accipi, vt Catholici intelligantur illi, qui fidem Catholicam profitentur: Iubet enim Pontifex vt non fiant Ecclesiæ, id est, vt ipse exponit: Catholicorum collectiones sine nutu Sedis Apostolicæ: in eiusmodi autem conuocationibus & collectionibus faciendis haud dubiè Catholici censentur, qui se pro talibus gerunt, & fidem exterius profitētur, quidquid sit de eo quod intus sentiunt. Eodem modo potest intelligi dictum in Conc. Lateranensi, Ecclesiam fidelium esse vnam, id est, eorum qui fidem Christianam profitentur. Addo tamen illud etiam posse accipi eo sensu, quo id explicatius posuimus in definitione Ecclesiæ supra assignatâ, scilicet quod Ecclesia sit cœtus hominum ad fidem vocatorum quam intus tenet, nimirum ipse cœtus: non autem necessariò singuli qui de cœtu illo sunt: sicuti si diceremus, corpus animatum esse aggregationem & coordinationem partiū in ordine ad vitam seu animam, quâ etiam intrinsecè ipsum aggregatum informatur, posset quidem inde deduci ad rationem corporis animati requiri intrinsecùs animam; non autem omne illud quod quocumque modò esset aut pertineret ad corpus animatum, debere esse animâ informatum: nam v. g. ad humanum corpus multa pertinent & dicuntur etiam in illo esse, quæ tamen non informantur animâ, vt humores, capilli, vngues &c. sicuti hoc ante explicuimus.

70 Obijcitur Secundò: Sancti Patres non volunt hæreticos haberi aut computari cum Christianis, vt videre est apud Tertullianum lib. de Pudicitia: Athanasium serm. 2. contra Arrianos, & August. de Gratia Christi cap. 11. neque esse in Ecclesiâ. Respondetur Patres illos agere de hæreticis manifestis, qui nec corde credunt, nec ore faciunt fidei Catholicæ professionem: sed hæresim docent aut profitentur, de quibus id meritò dicunt, Quia Christianus, nomen est professionis, & illi habentur ac computantur Christiani, qui legem ac fidē Christi publicè colunt & sequuntur. His tamē deniq; addo: admittendum esse, quod tales occulti infideles non sint partes & membra Ecclesiæ omni modo, quo alij fideles: quia vera fides interior est primum quasi vinculum quo interna Ecclesiæ vnio subsistit, & prima forma quâ corpus Ecclesiæ Christo Capiti suo coniungitur, & adhæret: quâ fide & formâ illi supponuntur carere: vnde modo imperfectiori & quodammodo Analogicè tantùm videntur esse partes & membra: & hac consideratione alij authores videntur negasse eos esse in Ecclesiâ, aut Ecclesiæ esse membra.

DVBIVM II.

Vtrùm Ecclesia sit visibilis?

HÆretici communiter docent veram Dei Ecclesiam esse inuisibilem: Catholici autem omnes tenent & affirmant esse visibilem & conspicuam, sic vt quilibet prudens rerū æstimator ex signis quæ sub sensum cadunt, dignoscere queat, quisnam cœtus hominum sit vera Ecclesia Dei & Christi: nec vnquam ita obscuretur quin ex notis sensibilibus deprehendi ac demonstrari possit. Est doctrina certa de fide. 71

Et Probatur Primò ex Scripturis: Mat. 5. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Vbi de Ecclesiâ secundum statum Euangelicum siue noui Testamenti, sermo est: & non solum dicitur esse visibilis, sed ita euidenter conspicua, ac si esset ciuitas in monte collocata. Vtitur hoc loco D. August. epistola 48. & lib. 2. contra Cresconium cap. 36: Exstat Ecclesia cunctis clara atque conspicuâ: quippe ciuitas quæ abscondi non potest super montem constituta. Isaiæ cap. 2. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles; & fluent ad eum omnes gentes:* vbi similiter sermo est de magnitudine & clarâ cōspicuitate futura Ecclesiæ noui testamenti: quæ eadem habentur apud Prophetam Micheam cap. 4. 72

Isaiæ

Isaiæ 61. *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos: quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.* Quem locum etiam ipse Caluinus sic exponit, vt prædici intelligatur, Ecclesiam conspicuã fore omnibus gentibus. Psal. 18. *In Sole posuit tabernaculum suum*, id est, In manifestatione posuit dispensationem Incarnationis, vt exponit August. ad illum locum Psalmi: quæ dispensatio non videtur nisi in Ecclesiâ, & proinde debet & illa esse in manifestatione. Vnde idem August. epistola 48. scribit: Quomodo autem cõfidimus ex diuinis litteris accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus & Ecclesiam manifestam?

73 Neq; tantùm testatur Scriptura Ecclesiã noui testamenti esse visibilem; sed etiam hoc satis declarat de Ecclesiâ antiqui testamenti. Num. 20. *Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem?* 3. Regum cap. 8. *Conuertitque Rex faciem suam & benedixit omni Ecclesiæ Israel: omnis enim Ecclesia Israël stabat* &c. quæ loca planè supponunt Ecclesiam populi Israëlitici fuisse notoriam & visibilem: quomodo enim alioquin nouissent illi quod Moyses eduxisset Ecclesiam Domini: & quomodo Rex conuertisset faciem suam ad Ecclesiam Israël, & benedixisset illi, si visibilis non esset. Huc etiam faciunt parabolæ Euangelicæ, vbi Ecclesia comparatur Lagenæ missæ in mare, Areæ, Ouili, Conuiuio nuptiali, quæ sunt res sensibiles.

74 Probatur Secundò ex antiquis PP. D. Chrys. hom. 4. capite 6. Isaiæ, dicit facilius solem exstingui posse, quàm Ecclesiã obscurari. Origenes hom. 30. in Matth. Ecclesia plena est fulgore ab Oriente vsque ad Occidentem &c. Cypr. lib. de Vnitate Ecclesiæ: Ecclesia Domini, inquit, luce perfusâ radios suos per orbem terrarum spargit. D. August. tract. 1. in epistolam Ioannis: Numquid ostendimus (scilicet digito sicuti res exiguas & quasi inuisibiles ad homos) Ecclesiam fratres mei? quasi diceret: minimè. & tunc addit: Nõne aperta est? nonne manifesta? nonnè obtinuit omnes gentes? &c. & Tract. 2. Quid amplius dicturus sum, quam cœcos esse qui tam magnũ montem non vident, qui contra Lucernam in candelabro positam, oculos claudunt. Similia habet lib. 3. contra epistolam Parmeniani; & alijs diuersis locis.

75 Probatur Tertiò ratione ex Scripturis desumptã: Christus in Euangelio mandat fidelibus, vt si frater priuatim correptus non emendetur, quatenus tunc *Dicant Ecclesiæ.* Matth. 18. Rursum mandat illis, *Vt si qui Ecclesiã non audierit, habeant illum tanquam Ethnicum & Publicanum:* atqui neutrum mandatum valebunt explere fideles, si Ecclesia sit inuisibilis, & in occulto tantùm latens, neq; hominibus sit nota vera Ecclesia: sed Deo tantùm sit congnita, vt hæretici volunt. Quomodo enim poterit [illegible]is Ecclesiæ dicere errorem aut delictum fratris, si Ecclesiam videre & cognoscere non possit? & quomodo sciet quod frater non audiat vel obtemperet Ecclesiæ, si Ecclesia inuisibilis sit. Rursum tenentur omnes sub periculo salutis se adiungere veræ Dei Ecclesiæ, eiusque membris communicare, & Capiti obedire: quæ etiam fieri nequeunt, si Ecclesiam exterius cognoscere & videre non possumus: ergò &c.

Sed contra Obijciunt Primò: Lucæ 17. 76
Interrogatus à Pharisæis Christus: *Quando venit regnum Dei?* respondet ille & dixit: *Regnum Dei non venit cum obseruatione: neque dicent: ecce hic, aut ecce illic: ecce enim regnum Dei intra vos est:* ergò Ecclesia quæ per regnum Dei hic intelligitur, non potest obseruari aut exterius videri: sed tota est interna, & intus in homine occulta latet. Respondetur Neg. Conseq. quia quod dicit Christus: *Regnum Dei non venit cum obseruatione* &c. non habet eum sensum, quod regnum illud adueniens videri aut obseruari non possit: sed è contra, quod veniat cum tantâ manifestatione, cum tantâ euidentia, & claritate (loquitur enim de regno Ecclesiæ noui testamenti) vt non opus erit aliquâ accuratiori attentione, & obseruatione, sicuti circa res obscuriores & latentes, opus est, vt dum venerint, videantur: sed erit tam conspicuum & ita palàm apparebit, vt facilè videri & cognosci à cunctis possit. Vnde non erit in hoc angulo, aut isto angulo quærendum, sed publicè & vbique erit expositum & visibile: quod significat Christus quãdo dicit: *Neq; dicent: ecce hic, aut ecce illic.*

Imo qui sic in angulo & obscuro volunt illud constitutum, ibique remonstrare, non sunt audiendi. Et hinc etiam monet Christus, vt ad tales voces non exeamus, neque credamus. Per illud verò quod addit: *Ecce enim regnum Dei intra vos est*, non docet illud esse merè internum & inuisibile; sed arguit implicitè cœcam pharisæorum malitiam, quæ non sinebat eos Regnum Dei tam manifestum, quod Christus in medio illorum annuntiabat, & deprædicabat, attestante quoque illi Ioanne Baptista, videre & agnoscere. Quàm autem regnũ illud intra eos fuerit euidens & manifestũ, satis declarat Christus Matth. 11. quando à discipulis Ioan. Baptistę, ex eius nomine interrogatus: *Tu es qui venturus es? an alium exspectamus?* nõ aliud 77

respondit

respondit, *Euntes, renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis, Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt* &c. quasi diceret: Hæc omnia sufficienter loquuntur me esse illum, de quo Ioannes inquirit, ita vt nullus dubitandi vel inquirendi relinquatur locus.

78 Objicitur Secundò: 1. Petri capite 2. dicitur: *Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium Sanctum*, &c. atqui domus ista spiritualis est Ecclesia; ergò ea est inuisibilis. Confirmatur ex illo Ioannis cap. 4. vbi dicit Christus: *Crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolimis adorabitis Patrem*: & paulò intrà: *Sed venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* ergò Ecclesiæ filij qui sunt veri adoratores, non sunt alligati locis, aut externis ceremonijs, quibus ipsi innotescant & efficiantur visibiles: sed omnis eorum ratio est interna & spiritualis, & proinde eorum cœtus siue Ecclesia est inuisibilis.

79 Pro explicatione, obseruandum est, dupliciter aliquid dici spirituale: vno modo, quia secundum suam substantiam aut propriam rationem est tale, vt excludat omnem materiam sensibilem, siue interim sit substantia, siue accidens: estque illud etiam physico modo spirituale. Sic accipitur quando ad Ephes. cap. 6. dicitur: *Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem* &c. *Sed contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*: Alio modo dicitur aliquid spirituale accidentaliter: & moraliter magis quam physicè, licet interim aliquid physici concurrat; vt scilicet dicatur illud spirituale, quod à Spiritu Sancto proficiscitur, & ad Deum ordinatur ac tendit, vel in quo spiritus dominatur, siue interim illud sit quid externum & materiale, siue insensibile & immateriale: quo pacto 1. ad Cor. 2. dicitur homo spiritualis, qui contra animalem ibi distinguitur. Et ad Gal. 6. *Vos qui spirituales estis*. Item 1. Petri cap. 2. hostiæ spirituales dicuntur opera pietatis, vt eleemosinæ, ieiunia, beneficentia, & similia. Quare sic acceptum opponitur carnali, quatenus omne illud carnale dicitur, quod spiritui aduersatur, scil. quod à prauis concupiscentijs carnis aut mentis proficiscitur, vel in quo cupiditates illæ prædominantur, siue interim sit aliquid secundũ suam rationem materiale & sensibile, siue immateriale & insensibile: nam ad Galat. cap. 5. inter opera carnis non tantùm numerantur fornicatio, immunditia, ebrietates; sed etiam inimicitiæ, iræ, dissensiones, sectæ, inuidiæ quæ secundum substantiam suam quidem immaterialia sunt; sed tamen quia oriuntur ex prauis hominis cupiditatibus, ideo opera carnis dicuntur.

Respondetur itaque N. C. Quia fideles Christiani dicuntur à Diuo Petro superædificari domus spiritualis, non secundum priorem rationem spiritualis quę excludit materiam & visibilitatem; sed secundum rationem posteriorem, qua scilicet propter certum ordinem aliquem, vel habitudinem ad spiritum gratiæ, dicitur aliquid spirituale. Et quod sic spirituale est, potest quoque esse visibile, non tantũ materialiter siue secundum materiam suã, sed etiam cum ordine suo ad spiritum. Sic spiritualis domus Ecclesiæ relucet & videtur in cõstanti sanæ fidei doctrinæ professione, in cõtinuatione in bonis & sanctis operibus, quæ tam euidenter apparent, vt etiam æmuli & aduersarij Ecclesiæ, alioquin parati ad detrahendum, sæpius confundantur ista intuentes & obmutescant: imò ex illorum consideratione glorificent Deum in die visitationis suæ, vt significat D. Petrus 1. epistolę suæ cap. 2. & 3. 80

Ad Confirmationem Respondetur, Christum prioribus verbis docere, quod occasio altercationis inter Iudæos & Samaritanos de cætero cessabit: quia scilicet adorandi siue sacrificandi ratio Iudæorũ, quæ Hierosolimis obseruabatur, abolenda erat, & quoque sacrificia Samaritanorum erant tollenda; atque ita non amplius in vno tantum templo, vel in vno tantum loco aut monte, Deo Patri sacrificium in posterum fore exhibendum; sed in omni loco & per totum orbem, vt exponit Diuus Basilius lib. 2. de Baptismo cap. 8. Posterioribus autem verbis explicat Christus, qualis adorandi & sacrificãdi ratio succedet, scilicet quę erit in spiritu, id est, quæ spiritualis erit: & in veritate, id est, quæ erit secundum verę fidei dogmata, vt exponunt Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 93. Theophilactus in ipsum locum: Ambros. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 12. In eo itaque quod dicit, hanc adorationem futuram in spiritu, siue spiritualem, secundum scilicet posteriorem rationem spiritualitatis ante explicatam, opponit eam sacrificijs Iudæorum, quæ omnino corporalia erant, & ab eis sine spirituali intellectu & virtute exercebantur: Si qui enim ea exercebant ex fide & cum spirituali sensu, hi etiam dicendi erant tum adorare in spiritu, verùm nõ erat hoc commune istis sacrificijs: In eo autẽ quod dicit futuram, In veritate, opponit rationi sacrificandi Samaritanorũ, qui in multis à veritate aberrabant, & cõmiscebant cultũ Idolo- 81

Idolorum cum cultu Dei Israël. Vnde hæc adoratio in spiritu & veritate non magis excludit externam visibilitatem, quã quælibet alia pietatis & Spiritus S. opera, secũdum rectam fidem facta, eam excludunt.

82 Quare in suis adorationibus & diuino cultu in spiritu & veritate exercitis, est Ecclesiâ visibilis: neq; enim negare poterũt hæretici Paulum in spiritu adorasse (extendendo adorare ad omnem Dei cultum, nec restringendo ad sacrificium de quo principaliter est sermo apud Ioannem) quando ad Ephes. 3. dicit: *Huius rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini nostri* IESV *Christi:* ac similiter Petrum Act. cap. 9. *Quando posuit genua orauit:* ac in spiritu quoq; fieri eam confessionem fidei de qua dicitur *Ore confessio fit ad salutem.* Vnde Apostolus ad Rom. 12. & 1. ad Cor. 12. & 14. inter operationes spiritus (quæ fiunt sine dubio in spiritu & veritate) refert plurimas actiones externas & visibiles. Non itaque docet Christus tollendam Ecclesiam visibilem, aut visibilem & externum Dei cultũ aut sacrificium; sed solum quod prædixit Malachias c. 1. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis vsque ad occasum magnũ est nomen meũ in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda* &c.

83 Obijcitur Tertiò: ad Hebr. cap. 12. dicitur: *Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem &c. Sed accessistis ad Sion montem, & Ciuitatem Dei viuentis Ierusalem Cælestem* &c. hic, inquiunt, comparatur Synagoga monti Sion visibili & corporali; Ecclesia autem monti Sion spirituali & cœlesti: ergo Ecclesia inuisibilis est. Respõdetur cum Chrys. Theophilacto, & D. Thomâ in illum locum, Apostolum ibi per *Montem Sion & Ciuitatem Dei viuentis,* non intelligere Ecclesiam militantem, in quam fideles intrauerant; sed triumphantẽ quæ ex Beatis & Sanctis Spiritibus constat: confert enim Synagogã cum Ecclesiâ noui Testamenti: & dicit homines veteris Testamenti accessisse ad montem Sion corporalem & tractabilem seu palpabilem: vbi aliquo modo per corporeas imagines & species in fumo, igne, fulgure, ac tonitru Dei Maiestatem viderunt, & cognouerunt: sed homines noui Testamenti accessisse (nondum quidem adhuc re, sed spe, nam spe salui facti sumus, vt habet idem Apostolus ad Roman.) ad montem spiritualem scilicet Beatorum, vbi Deus videtur non in speculo & ænigmate: neque cum metu & horrore, sicuti in monte illo corporali: sed facie ad faciem cum summo gaudio & securitate. Vnde Apostolus addit: *Et multorum millium Angelorum frequentiam* &c. *& spiritus iustorum perfectorum* &c.

Obijcitur Quartò: Ecclesia est corpus mysticum, non corpus naturale: atqui nõ videmus, aut sensibus percipimus nisi res naturales & corporeas: ergò &c. Respontur, Ecclesiam esse corpus mysticum, non tamen tale, quod excludat omnem materiam, & formas sensibiles: sed quod potiùs includat & importet ea, ex quibus ipsum fit visibile: Inprimis enim constat hominibus, vt suâ materiâ. Deinde forma eius externa est vnius fidei Christianæ professio, & in Sacramentis, ac alijs diuini cultus cæremonijs communicatio. Item alias habet proprietates siue notas sensibiles, in quibus etiam sese satis monstrant exteriùs ipsæ formæ eius per se internæ, quæ ad eius tum constitutionẽ, tum perfectionem & ornatum diuinitùs Ecclesiæ promissa, pertinent: Sed de istis infrà latiùs. 84

Obijcitur Quintò: In Symbolo Apostolorum dicimus, nos credere Ecclesiam Catholicã: ergò eam non videmus oculis aut sensibus corporeis. R. N. C. quia etiam S. Thomas post Christi resurrectionem credidit Christum, & tamen videbat & palpabat eum: vnde dixit illi Dominus Ioan. 20. *Quia vidisti me Thoma, credidisti,* &c. Ratio est, quia non repugnat idem sensu aut scientiâ cognosci, & fide etiam propter diuinum testimoniũ teneri. Credimus itaque Ecclesiam, quia ex Scripturis sanctis, & diuinâ reuelatione tenemus illum hominum cœtum esse Ecclesiã, qui fidei Christi professione & Sacramentorũ communione adunatus cohæret sub vno in terris Vicario scil. Romano Pontifice: & etiam videmus Ecclesiam, quia oculis & auribus percipimus hunc hominũ cœtum fidei professione & Sacramentorum cõmunicatione seruire & adhærere Christo sub vno Vicario eius generali: sicuti & Apostoli credebant & videbant Messiã venisse, quando Christo adhærebant, & ab eo fieri cernebant omnia, quæ de Messia erant prædicta. 85

DVBIVM III.

Vtrum Ecclesia aliquando defecerit aut deficere possit?

HÆretici admittunt & docent eam quæ est vera coram Deo Ecclesia; sed nobis inuisibilis, nunquam deficere: Ast Ecclesiam extrinsecùs visibilem, quã dicunt esse putatitiam tantum, posse in necessarijs errare, ac deficere: & quidem de facto sæpiùs errasse & defecisse. 86

Catholici autem nunquã duas Ecclesias agnoue-

agnouerunt, licet Donatistæ tempore D. August. hoc eis obiecerint: quod accuratè D. August. pluribus locis negat, ac diluit; & docet quod vnam tantùm agnoscunt quæ & coram Deo sit vera Ecclesia, & quæ extrinsecùs ab omnibus est visibilis & cognoscibilis.

87 Ad duplicem autem eiusmodi Ecclesiam fingendam fuerunt coacti hæretici ex vnâ parte, ne alioquin cogantur omnē Ecclesię perpetuitatē & indefectibilitatem negare, quam tamen nimis manifestè testantur Scripturę, loquendo saltem de Ecclesiâ noui Testamenti, de quâ & ipsi potissimum agunt; & ex alterâ parte, ne si externam & visibilem eamdemq; indefectibilem admittant, compellantur consequenter demonstrare proximos suos Antecessores, in quibus ea exstiterit Ecclesiæ visibilis forma, & fidei professio cum simili Sacramentorum vsu, prout ipsi docent & seruant, & à quibus ipsi ista omnia immediatè acceperint; à quâ demonstratione nunc sese excusant, dicentes: quod quidem haud dubiè semper aliqui fuerint, qui ista sic tenuerūt, & quidem etiam proximè ante illos: sed quod occultè latuerunt soli Deo cogniti: ipsi autem à Spiritu Sancto docti & excitati rursum incipiant veram Dei Ecclesiam in lucem reproducere: atque ita faciunt veram, quam vocant Ecclesiam, aliquando visibilem in visibilitate deficere.

88 Sed contra eos sit hæc Conclusio: Ecclesia visibilis, præter quam nulla est alia vera Dei Ecclesia militans, non potest deficere, multò minus vnquam defecit: vnde neque potest in necessarijs errare. Probatur primò ex Scripturis veteris Testamenti, in quibus prænuntiantur magnitudo, splendor, & soliditas ac perpetuitas Ecclesiæ Christi, siue noui Testamenti: Ps. 47. *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum: in ciuitate Dei nostri: Deus fundauit eam in æternum*, &c. *Secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ.* Vbi in eo quod dicitur: *Sicut audiuimus, sic vidimus*, explicantur relucentia & manifestatio siue manifesta visibilitas huius ciuitatis, quæ Ecclesiam designat: In eo quod dicitur: *Deus fundauit eam in æternum*, significatur eius indefectibilitas: sicuti & in eo quod additur: *Sic & laus tua in fines terræ*, prænūtiatur eius amplitudo & vniuersalitas per totum orbem: locus autē vbi accipiet originem hęc splendidissima Ecclesiæ forma, indicatur quando dicitur ibidē: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*: scilicet in Ierusalem. Psal. 88. *Thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum*: & ibidem: *Ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies cæli.* Vbi iterum manifestissimè promittit Deus Ecclesię indefectibilitatem & perpetuam eius visibilitatem. Isaię 61. *Et fœdus perpetuum feriam eis: & scient in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum, omnes qui videbunt eos, cognoscent illos; quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.* Et ne quis forsitan dicat has promissiones frustrandas effectu suo propter peccata filiorum Ecclesię, additur Psam. 88. citato: *Si dereliquerint filij eius legem meā*, &c. *Et mandata mea non custodierint*, &c. *Visitabo in virgâ iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea*: & paulò infrà: *Neque profanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita.* Danielis cap. 2. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum quod in æternū non dissipabitur*, &c. & ibidem: Regnū illud prætignatur in lapide qui *excisus est sine manibus &. factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram*: atqui magnus mons qui vniuersam implet terram non potest nōn videri: cuius etiam stabilitas significatur, quando dicitur regnum per montem hunc significatum in æternum non esse dissipandum: ergò &c.

Probatur Secundò ex Scripturis noui Testamenti: Matth. 16. *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Vbi sermonem esse de Ecclesiâ visibili ex eo patet; quia constituitur & ponitur fundamentum visibile ipsius Ecclesiæ, de quâ Christus loquitur. Perpetuitas autem illius in eo significatur, quod dicitur: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*: nam haud dubiè aduersus eam præualerent, si ad defectum seu interitum aliquando eam redigerent. 1. ad Timoth. cap. 3. *Hæc tibi scribo, vt scias quomodo oporteat te conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.* Hic docuit Apostolus quomodo Timotheus Episcopus deberet in Ecclesia conuersari, tam quoad mores, quam quoad doctrinam, quæ frustra scriberentur illi si non posset Ecclesiam videre & nosse in quâ oporteat eum sic conuersari. Est igitur sermo de Ecclesia visibili & eam dicit Apostolus esse columnam & firmamentum veritatis: non potest igitur Ecclesia visibilis deficere aut aberrare. Ad Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas: alios verò Euangelistas: alios autē Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorū in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi donec occurramus omnes in vnitatē fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, 89

vbi Apostolus apertè docet, permansura in Ecclesiâ Pastorum & Doctorum ministeria ad continuam ædificationem Corporis Christi vsque ad iudicij diem; & proinde Ecclesiam in suâ visibilitate quoque perseueraturam vsque ad mundi finē. Matth. vltimo: *Ecce ego vibiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Hic Christus Ecclesiæ visibili, scilicet Apostolis & reliquis discipulis tum Ecclesiæ Rectoribus constitutis, loquitur & promittit quod ad finem vsque sæculi sit futurus cum illis: quandoquidem verò isti homines in suâ persona non erant in hoc mundo permansuri vsque ad sæculi consummationem, necesse est dicere hanc promissionem pertinere simul ad eorum successores.

90 Vnde hunc locum de perpetuâ Ecclesię duratione intelligunt D. Leo epist. 31. ad Pulcheriam Augustam; & D. August. in Psalm. 101. Concione secunda disputans contra Donatistas, qui volebant visibilem Ecclesiam aberrasse & defecisse, ac in solis quibusdam iustis in Africâ remansisse. Hinc ita scribit: Sed illa Ecclesia quę fuit omnium gentium, iam non est? perijt? Hoc dicunt, inquit, qui in illâ non sunt: O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illâ non es? vide ne tu ideo non sis, quia illa erit etsi tu non sis. Et infra sic inducit Ecclesiam loquentem: Quamdiu ero in isto sæculo? annuntia mihi propter illos qui dicunt: fuit & iam non est: annunciauit: nec vacua fuit vox ista, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Similia habet in Psalm. 147. & lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 13. & 20. Diuus Bern. quoque serm. 79. in Cantica ad illa verba: *Tenui eum, nec dimittam illum,* &c. Ita est, inquit, & tunc & deinceps non deficit genus Christianum, nec fides de terrâ, nec charitas de Ecclesiâ: venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in eam: & non cecidit: eò quod fundata sit super Petram: Petra autem erat Christus. Itaque nec verbositate Philosophorum, nec cauillationibus hæreticorum, nec gladijs persecutorum potuit ista, aut poterit aliquando separari à charitate &c. vbi manifestè loquitur de Ecclesiâ visibili, quia cōtra inuisibilem, quam fingunt hæretici, nō pugnant verbositates Philosophorum, nec cauillationes hæreticorum, neque persecutorum gladij.

91 Idem Tertiò Probari potest ex parabolis Ecclesiasticis de areâ: de sagenâ missâ in mare: de agro: de ouili. Area enim in quâ sunt paleæ cum frumento, Rete quo trahuntur boni & mali pisces: Ager in quo creuerunt triticum & zizania, & ouile in quo sunt oues & hœdi, designant Ecclesiā & quidem externam ac visibilē: quod nec hæretici possunt negare: quia in suâ Ecclesiâ inuisibili malos esse negant: atqui eædē parabolæ docent Ecclesiam, quam denotant, non interituram: sed perseueraturā talem, vt bonos & malos complectatur & proinde visibiliter quoq; apparituram vsque ad diem iudicij. Nam Mat. 3. dicitur: *Et permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum: paleas autem comburet igni extinguibili:* quod manifestè ad diem iudicij refertur: & Matth. c. 13. *Sinite vtraq; crescere vsque ad messem:* & infra exponit Dominus Apostolis: *Messis verò consūmatio sæculi est:* Item ibidem post narratam parabolam de sagenâ missâ in mare, additur: *Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorum* &c. Similiter Matth. 25. ostenditur, quod in die iudicij separabuntur hœdi ab ouibus: ergo Ecclesia illa quæ promiscuè congregat & complectitur bonos & malos sine intermissione & defectu durabit vsque ad finem sæculi.

Neque tantùm Ecclesia noui testamenti ab aduentu Christi indefectibilis est, & indefectibiliter visibilis, de quâ potissimū loquuntur testimonia hactenus allegata: sed neque à tempore quo cœpit Ecclesia esse, vnquam defecit in se, aut in visibilitate, etiam ante tempora nouæ legis: quod breui deductione declaratur: quia iuxta veriorem & magis communem sententiā, cœpit Ecclesia in primis parentibus à lapsu ipsorum, quando per merita agni, qui dicitur occisus ab origine mundi, ipsi educti sunt ex peccato, & ad fidem reuocati, si modo dicendi sint fidem in lapsu amisisse, vt quidam volunt: quibus fauet D. Prosper responsione ad dubium tertium Genuensium: D. August. lib. 14. de Ciuitate cap. 17. Ambr. lib. 5. epist. 33. & Tertull. lib. 2. aduersus Marcionem: quamuis hi Patres benè aliquam admittant aliā expositionem: Aut certè quando ex Redemptoris meritis hoc ipsum concessum est; vt in Adamo peccante donum fidei conseruaretur, nō obstante eius demerito, idque iuxta eos qui existimant Adamum non amisisse fidem. 92

Sic Ecclesiæ origine constitutâ ostenditur ab inde non defecisse: quia vixit Adam vsque ad tempora Enoch, qui cum Deo ambulasse legitur: Interea autem Adam & filij eius fidem Dei professi sunt, & etiam muneribus & sacrificijs Deum coluerunt, vt legitur Geneseos capite 4. *Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino: Abel quoque obtulit de primogenitis gregis,* &c. 93

Enoch

Enoch autem translatus non fuit ante dies Lamech, qui genuit Noë magnum & nominatissimum Dei Cultorem. A Noë autem perseuerasse Ecclesiam vsq; ad Abraham declaratur: quia Noë vixit ferme vsq; ad annum 60. Abrahæ: & Sem filius Noë vixit etiam post Abraham. Iam verò vlterius manifestum est ex Scripturis, fidem perseuerasse in posteris Abrahæ vsque ad mortem filij eius Ioseph. Similiter à morte Ioseph vsq; ad Moysem perseuerasse dubitari non debet: inprimis quia paucæ, scilicet tres, intercesserunt generationes: & quod parentes Moysis fuerint fideles, colligi potest ex Apostolo ad Heb. 11. vbi dicitur quod fide Moyses, iam natus, fuerit à parentibus occultatus mẽsibus tribus &c. Deinde Exodi c. 2. dicitur quod filij Israël ingemiscentes, vociferati sint: & quod clamor eorum ascenderit ad Dominũ, quodque Dominus audiuerit gemitum ipsorum. A tempore autem Moysis, qui legem accepit à Domino, deductio clara est vsque ad Christi tempora, quod penes populum Iudæorum fuerit fides & cultus vnius Dei.

94 Ab initio igitur, quo homines ex peccatis & tenebris ad fidem sunt vocati (à quâ vocatione ipsa Ecclesia nominatur) nunquam ad hæc vsque tempora desijt ipsa esse in se, aut in suâ externâ apparentiâ & visibilitate.

95 Sed contra Obijcitur Primò: Antiquis temporibus videtur aliquoties defecisse: Confirmatur primò, quia tempore Moysis, Aaron Summus Sacerdos proposuit vitulũ conflatilem adorandum, & totus populus clamauit: *Isti sunt dij tui Israël:* ergò tota Ecclesia apostatauit à fide & cultu vnius Dei: Secundò, quia Elias 3. Regum 19. dicit: *Derelictus sum ego solus*, & Dominus ad eum: *Et derelinquam mihi in Israël septem millia virorum, quorum genua non sunt curuata ante Baal:* ergò fuit saltem Ecclesia tunc occultata & omnino inuisibilis facta, cùm ne Elias quidem vllos fideles & Dei cultores nouisset. Tertiò, quia dicitur Isaiæ c. 1. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me nõ cognouit.* Et Ierem. cap. 2. *Confusi sunt domus Israël, ipsi & reges eorum, Principes, & Sacerdotes, & Prophetæ eorum, dicentes ligno: Pater meus es tu* &c. *Quid vultis mecum iudicio contendere: omnes dereliquistis me, dicit Dominus:* ergò &c.

96 Respondetur Neg. Ass. Ad primã confirmationẽ, Respondetur, eo tempore, neq; Caput, neq; totum corpus Ecclesiæ defecisse: nam Caput Ecclesiæ ex Iudęis quæ erat illustrior, tunc erat Moyses, quem certum est non aberrasse nec defecisse in fide, vel cultu veri Dei: Aaron siquidem tunc nõdum erat Summus Pontifex: quia c. 40. Exodi demum fit Pontifex. Non etiam corpus totum; nam Leuitæ fuerunt immunes ab illâ Idololatria, vt patet ex c. 32. Exodi, vbi dicit Moyses: *Si quis est Domini, iungatur mihi: congregatique sunt ad eum omnes filij Leui.*

Ad Secundam Confirmationẽ Respondetur, antiquis temporibus Ecclesiã populi Iudaici inprimis non fuisse Ecclesiam vniuersalẽ, sicuti modò est Ecclesia Christianorum: sed particularem, quamuis notior & notabilior pars esset. Vnde etiam extra Abrahę sobolẽ inuenti fuerũt fideles & iusti, vt Melchisedech, Iob, & alij. Quare etsi Synagoga siue populus Iudæorum totus apostatasset, non tamẽ inde conuinceretur Ecclesiam aliquando totam defecisse. Sed Secundò Respondetur, neq; Ecclesiam in toto populo Iudaico tum defecisse, aut inuisibilem factam fuisse: quia non loquitur Elias de omni populo, sed tantùm de illâ parte, quę subiecta erat Regi Samarię: vnde etiã dixit Dominus illi: *Et derelinquam mihi in Israël septem millia virorum* &c. quatenus Israël scilicet contra Iudã tunc distinguebatur. Constat enim ex eodem 3. lib. Regum, tempore Eliæ in Hierusalem regnasse Aza & post illũ Iosaphat (qui in Scripturâ commendantur) & sub illis fuisse, & populum, & Sacerdotes persistentes in verâ religione. 97

Sed contra replicari potest, quod Elias conqueritur Altaria esse destructa, atqui apud Israëlitas siue Samaritanos non erant Altaria legitima, sed Idololatrica, de quorũ destructione non potuisset Elias conqueri: ergò generaliter loquitur de toto populo Iudęorum. Et Probatur, quia etiam de Aza & Iosaphat dicit Scriptura, quod excelsa non abstulerint: item quod fœdus fecerint cum impijs: ergò &c. Respondetur huic difficultati optimè posse satisfieri ex Lyrano ad illum locum, vbi sic scribit: Non loquitur, inquit, hic de altaribus quæ erant in Hierusalem, scilicet altare incensi & altare holocaustorum; quia illa manebant: sed de altaribus quæ fuerant facta in excelsis, tempore quo licitum erat, ibi immolare Deo ante ædificationem templi: & licet post ædificationem templi non esset licitum ibi Deo immolare, nisi ex speciali dispensatione Dei, tamen minus malũ erat ibi Deo immolare, quã idolis. Itẽ, inquit, destructa fuerant in contemptũ Dei, & in idololatriæ exaltationẽ: & propterea Elias plangebat eorũ destructionẽ. Conqueritur itaq; & dolet Propheta: quod populus iste Israëliticus tanta procliuitate, & insaniâ ad idola raperetur, vt omnia Altaria & quid quid reliquũ erat diuini cultus destrueret: 98

 non

non ex zelo bono, quia altaria ista essent prohibita; sed in contemptum & abiectionem Dei sui: vbi erat sine dubio iusta querelæ causa.

Ad id quod in probationem adducitur, dicendum est: ex eo quod Reges illi tolerauerint excelsa in terris suis per dissimulationem, non posse conuinci, eos non fuisse veræ religionis cultores, præsertim cū eos Scriptura quoad reliquam viuendi rationem commendat; sed solùm colligi, quod vel fuerint nimis eâ in parte pusillanimes, aut non sufficienter pro diuinâ lege zelosi. Multò autem minus idem conuinci potest ex eo, quod cum impijs fœdus inierint, licet in hoc malè egerint.

99 Ad Tertiam Confirmationem ex Isaia & Ieremia Respondetur: Prophetas & Apostolos frequentiùs reprehendere vniuersum populum, quasi nemo sit bonus, licet permulti adhuc boni sint: & è contra etiam collaudare & consolari aliquando, quasi sint omnes boni, etsi in illo sint multi mali: qui enim in communi scribit, aut loquitur communitati, solet siue redargutionem, siue collaudationem sæpius generaliter instituere pro materiæ ratione, quā tractat: si vel vitium aliquod grauiter regnet, aut virtus aliqua vel bonum opus notanter in Communitate emineat: etsi neutrum absolutè habeat locum in omnibus. Sic Ezechielis cap. 3. dicitur omnis Israël attritâ fronte esse & duro corde. Et tamen capite 9. dicitur: signum τ super frontes virorum dolentium & gementium super vniuersas abominationes &c. ad Gal. cap. 3. O *insensati Galatæ quis vos fascinauit non obedire Euangelio?* & cap. 6. *Fratres etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis*, &c. Sic igitur etiam accipienda sunt verba allegata Isaiæ & Ieremiæ. Quam doctrinam & solutionem tradit August. lib. de Vnitate Ecclesiæ cap. 12. & lib. contra Donat. post collationem cap. 20.

100 Obijcitur Secundò: Arrianorum tempore videtur Ecclesia defecisse, nam scribit Hier. in dialogo contra Luciferianos: Ingemuit orbis totus, & se esse Arrianum miratus est: & Hilar. lib. contra Auxentium circa finem scribit: Malè vos parietum amor cœpit: malè Ecclesiam Dei in tectis ædificijs veneramini; malè sub his, pacis nomen ingeritis: montes mihi, & lacus, & carceres, & voragines mihi sunt tutiores: ergo secundum Hilarium ea, quæ tunc apparebat Ecclesia, non erat vera Ecclesia: sed hæc, in abstrusis latebat.

101 Respondetur Neg. Ass. ad Hier. verò Respondetur, quod dicat, orbem ingemuisse, non Christianos omnes: idque quia multi ex Episcopis Catholicis, qui ad Conc. Ariminense conuenerant, fuerint ibidem ab Arrianis quadam vocis obscuritate, decepti, & sic cum illis decreuerint nomen ὁμοούσιος è symbolo esse tollendum: qui postquam melius vim & proprietatem huius nominis intellexerunt, de sua deceptione & facto indoluerunt: sed idcirco sine dubio non fuerunt isti hæretici, nec à fide aberrantes: sed tantummodo laborantes ignorantiâ significationis istius vocabuli. Dicit tamen Hier. quod orbis se Arrianum esse miratus sit: non quod verè & formaliter hæresi Arrij præbuissent illi assensum: sed quia propositioni hæreticæ ex ignorantia significationis subscripsissent, aut subscribendo approbassent: & forsitan postmodùm ita quoque apud suos docuissent: vbi autem melius significationem illius vocabuli apprehenderunt, tunc mirati sunt & ingemuerunt, quod sic ignoranter hæresim saltem materialiter approbassent. Quod verò Hieron. non velit Ecclesiam tunc totam factam Arrianam, patet ex adiunctis: quia dicit, quod nauicula Apostolorum periclitabatur, non quod submersa erat.

Ad Hilarium, Respondetur, Eum agere aduersus Auxentium Episcopum Arrianū, qui apud Mediolanenses potestate & viribus præualens occupabat Ecclesias & templa, ibidemque callidè hæresim disseminabat, ita vt à suis agnosceretur Arrianus, & à Catholicis simplicioribus haberetur Catholicus: qui inter cætera pro se & sua doctrinâ videtur vsus fuisse etiam hoc argumento: quod ipse doceret in antiquis templis, & ordinarijs suggestibus, aut Cathedris: ac in consuetis Ecclesijs sacras suas functiones administraret: Cum è cōtra Sacerdotes Catholici ab hæreticis oppressi cogerentur in locis occultioribus sua sacra facere. Respondet itaque Hilarius, non esse populo attendendum ad parietes & ædificia, ac tecta templorum: quia scilicet ab hæreticis in istis locis erant occupata: sed in tali Prouinciâ melius ac tutius esse in montibus & latebris adhærere sanæ fidei doctoribus: quia licet isti tenerent antiqua templa, non tamen tenebant antiquam & orthodoxam doctrinam. Ex quo non sequitur quod Ecclesia vniuersaliter fuerit facta inuisibilis, quia loquitur Hilarius tantùm de Mediolanensi districtu: non negamus autem quin fieri possit, quod Ecclesiâ in vno aliquo loco siue regno, aut Prouinciâ possit aliquando quasi inuisibilis fieri, aut etiam deficere. Sed tamen nequidem id de facto sic ibi euenisse ex Hilario conuincitur: nam & modò si hæretici qui in Angliâ, aut Hollandia

landia imperant, vellent gloriari penes se esse veram fidem & religionem; quia antiqua templa occupant, posset illis idem dici, quod Hilarius respondit Auxentio: nec propterea sequeretur, quod vel ibi Ecclesia Catholica idcirco sit inuisibilis, cum adhuc passim cognoscatur, & quasi digito demonstretur ab omnibus.

103 Obijcitur Tertiò: D. Chrys. hom. 49. in Matthęum docet, aliquando nullum esse visibile signum, quo vera Dei Ecclesia cognoscatur, & ideo tunc solùm ad Scripturas esse recurrendum: ergò &c.

Respondetur homiliam illam citari ex opere imperfecto, quod vel habet authorem hæreticum Arrianum, vel certè fuit ab hæreticis deprauatum: nam & hom. 48. Homousianos vocat hæreticos: vbi est aperta professio hæresis Arrianæ.

104 Obijcitur Quartò: Tempore Antichristi Ecclesia omnino obscurabitur, & reddetur inuisibilis: quod D. August. epistolâ 80. ad Hesichium videtur interpretari prædictum in illis verbis Matth. 24. vbi dicitur: *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo*; ad quæ verba loco citato scribit: Ecclesia, inquit, non apparebit, impijs tunc persecutoribus vltra modum sæuientibus: & Confirmatur ex illo Lucæ cap. 18. *Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?* & ex Paulo 2. ad Thessal. cap. 2. *Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati*: vbi Apostolus significat ante iudicij diem debere præcedere discessionem, siue Apostasiam à fide: & sic Ecclesiam defecturam.

105 Respondetur: Posse concedi quod vltimis istis temporibus obscurabitur aliquo modo Ecclesia, hactenus quidem quod non erit in tanto splendore vbique; nec ita in publicis locis ac templis poterit passim omnia sua sacra peragere, sicuti modò: nec erit tam frequens & copiosa in fidelibus filijs, sicut multis alijs temporibus. Sed negandum est, quod vel absolutè deficiet, vel totaliter obscurabitur, vt videri & cognosci nequeat. Ad Diuum Augustinum itaque dicendum est, non aliud velle illum docere, quàm quod modo iam explicato Ecclesia obscuranda sit: nam & quando dicitur, sol obscurari, aut obnubilari, vel luna non dare lumen suum, non significamus, quod vel in se deficiant, vel quod planè & omni modo inuisibiles efficiantur: sed quod minus resplendeant, & non ita sese ostentent; Quòd verò August. non existimauerit Ecclesiam tunc ita obscurandam, vt planè abscondita inuisibilis lateret, patet ex adiunctis: quia dicit, quod in eam sæuiēt persecutores, & quod ex illis qui gratiâ fulgere videbantur stellarum instar, multi persecutionum metu cadent, & quod etiam fortissimi turbabuntur: non sæuirent autem in eam persecutores, nisi illam viderent: neque stellæ Ecclesiæ conspicerentur cadere, nisi Ecclesia cognosceretur, & quidam de Ecclesia tanquam eius quædam luminaria fulgere cernerentur. Vnde idem Augustinus dicit: quod etiam tum in suis firmissimis, Ecclesia eminebit.

106 Ad verba Lucæ, Respondetur Christum non significare, quòd nullam fidem inueniet; sed quod charitate refrigescente, & persecutoribus grauioribus simul ingruentibus, fides in pluribus emorietur & deficiet, non tamen in omnibus: nam & fortes aliquos ac constantes futuros etiam vltimis temporibus, significat Dominus: quando propter electos docet dies illos abbreuiandos, qui proinde ad finem vsq; non deficient. Ad Diuum Paulum Respondetur: Iuxta Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium in locum illum, & Diuum August. lib. 2. de Ciuitate cap. 19. nomine *discessionis*, ibi intelligi ipsum Antichristum per metonimiam sic appellatum; quia causa erit quod plurimi discedent, & apostatabunt à Christo: non tamen omnes abducet, quia vt diximus, propter electos abbreuiati sunt dies isti: & sic accipiendo, tunc quod sequitur: *Et reuelatus fuerit homo peccati*, erit explicatio prioris. Quidam verò nomine, discessionis, intelligunt ipsam defectionem, quam Antichristus causabit: quæ tamen non erit absolutè generalis, sed multorum ac generalis omniū istorum qui tum erunt in Ecclesiâ occulti hæretici & infideles, vt docent quidam veteres apud August. loco supra citato: quia Antichristo veniente, omnes illi recedent, & se ei adiungent, Amb. autem, Sedulius, & nonnulli alij per discessionem intelligunt defectionem à Rom. Imperio. Quocumque autem modo verba accipiantur, non significant Ecclesiam totaliter defecturam, aut ita defecturā, vt incognita aut inuisibilis efficiatur.

107 Ex dictis colligi potest, ac consequens est, quod in conclusione adiecimus, scilicet quod non possit quoque Ecclesia in necessarijs errare, scilicet in sana fide, vt vel falsum aliquid tanquam fide proponat credendum, vel aliquem fidei articulum abneget vel anathematizet: neque in tradendis decretis quæ ad bonos mores spectant, secundum sensum supra explicatum: neque enim esset columna & firmamentum veritatis si in talibus posset aberrare: sed hæc latiùs supra in Tractatu de Concilijs explicata existunt.

DVBIVM IV.

De notis, siue externis signis, ex quibus licet deprehendere & cognoscere veram Christi Ecclesiam.

108 Diuus Augustinus lib. cõtra epistolam Fundamenti cap. 4. ita de his scribit: Multa sunt, inquit, quæ in eius (scilicet Ecclesiæ Catholicæ) gremio me iustissimè tenent: quæ paulò infrà appellat, Christiani nominis charissima vincula.

109 Caluinus autem lib. 4. Institutionum cap. 1. §. 9. & sequentibus, ac plerique huius temporis Sectarij, constituunt eiusmodi duas Ecclesiæ notas, scilicet sinceram verbi Dei prædicationem, & sincerum vsum Sacramentorum. Sed licet hæc duo sint quædam veræ Ecclesiæ qualitates inseparabiliter eam concomitantes, non tamen rectè constituuntur aut constitui possunt notæ ipsius Ecclesiæ: quia æquè aut magis obscurum est, penes quos sit sincera prædicatio verbi Dei, & sincerus ac legitimus Sacramentorum vsus; ac penes quos sit Ecclesia: vnde omnes Sectæ, quantumuis in doctrinis suis, & in Sacramentorum vsu & numero, maximè repugnent, iactitant tamen penes se illa duo reperiri. Quæ autem assignantur vt notæ rei alicuius, ex quibus liceat aut oporteat rem cognoscere, debent esse talia vt euidenter in re appareant, & facilè videatur an & cui rei conueniant, & cui non.

110 Vnde D. August. loco ante citato inter vincula Christiani nominis, siue notas Ecclesiæ, noluit allegare sincerissimam sapientiam quæ in Ecclesiâ Catholicâ reperitur: quia non tam euidens est, quin aduersarij negarent eam Ecclesiæ Catholicæ competere, & sibi nõn dubitarẽt eam adscribere. Quare nec debent, nec possunt quoque pro notis Ecclesiæ assignari ista duo prædicta, de quibus tanta est controuersia, vbi & penes quos reperiantur, quâ de ipsâ Ecclesiâ: imò Tertull. lib. de Præscript. vult vt per ipsam Ecclesiã cognoscamus, quæ sit vera & sincera Christi & Apostolorum doctrina: sic enim scribit: Quid prædicauerint Apostoli, quid illis Christus reuelauerit, & hoc perscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, &c.

111 Callidè itaque hæretici lucem odientes (qui studia, & opera illorũ mala sunt) statuunt eiusmodi obscuriores & controuersijs obnoxias penes quos reperiantur, Ecclesiæ notas: Si enim proprias, simul & euidentes ponerent, sicut D. Aug. supra, D. Hier. in dialogo contra Luciferianos, & alij, mox seipsos confunderent, & omnibus manifestum facerent penes ipsos nihil minùs, quam veram Dei Ecclesiam reperiri.

Catholici igitur lucẽ amantes, assignant alias euidenter cognoscibiles: quidam plures, quidam pauciores. D. August. loco citato indicat has quatuor generales quæ in Symbolo Constantinopolitano exprimuntur, & communiter assignari solent: scilicet quod Ecclesia sit VNA, SANCTA, CATHOLICA, & APOSTOLICA: sic enim ibidem scribit: Tenet me (scilicet in gremio Ecclesiæ) consensio populorum (quæ spectat ad Ecclesiæ vnitatem) tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, (quæ spectat ad Ecclesiæ sanctitatem:) tenet me ab ipsâ Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum: (vbi significat quod Ecclesia sit Apostolica) tenet postremò (inquit) ipsum Ecclesiæ Catholicæ nomen, quod non sine causâ inter tam multas hæreses, ista Ecclesia obtinuit: vt cùm omnes hæretici Catholicos se dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ait, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ita D. August. 112

Ex recentioribus autem Scriptoribus, qui particulariùs explicant, & latiùs deducunt prædictas quatuor generales notas, & nostræ Ecclesię competere ostendunt, licet colligere duodecim magis particulares, quæ tamen ad istas generaliores reuocari possunt: & sunt hę: Constans vnio partium siue membrorum inter se, & cum Capite suo: Conformitas siue consensus doctrinę quę nunc est cum doctrinâ antiquorum: Continuatio non interrupta: Sanctitas & vitæ Innocentia eorum qui religionem & fidem propagarũt, & in eâ formâ in quâ nunc obseruantur, coluerunt: Miraculorum donum & operatio: In ijsdem Doctrinę efficacia: Doctrinę puritas quoad mores: Lumen propheticũ: Successio Episcoporum continua in Romanâ Sede, quam magistrã & Caput omnium Ecclesiarũ agnoscimus: Antiquitas: Multitudo credentium ex omnibus nationibus & locis: Ipsum denique Ecclesię Catholicę nomen, quod verę Christi Ecclesię semper ab omnibus fuit attributum, non sic quibuscumque hæresibus aut sectis. 113

Prima pertinet ad Ecclesię vnitatem, 114

eamque potissimum constituit: nam corporis vnitas consistit in coniunctione mẽbrorum cum capite, & ipsorum inter se. Ad eandem etiam reduci possunt secunda & tertia: quatenus scilicet Ecclesia non tantùm vna est, prout hoc tempore existit: sed quatenus etiam vna secum est per modum continui successiui, vt fuit ab initio vsq; ad hoc tempus. Et quidẽ Ecclesiam debere esse vnam, patet ex Scripturis quæ dicunt esse vnum corpus ad Rom. 12. esse vnam sponsam, Canticorum 6. *Esse vnũ ouile*, Ioannis 10. & assimilant eam regno & familiæ, quæ etiam debent habere suam vnitatem, alioquin non subsistunt: hinc veteres semper pro notâ Ecclesiæ habuerunt coniunctionem cœtus cum capite, scil. Rom. Pontifice. Irenęus lib.3. cap.3. Hieron. in epistola ad Damasum de nomine hypostasis: & in Epitaphio Marcellę. Cypr. lib. 1. epistola 3. & lib. 4. epist. 8. vbi de Cathedra Petri loquens scribit: Scimus hortatos nos esse, vt Ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem agnoscerent & tenerent. Optatus lib. 2. contra Parmen. à principio per aliquot paginas, docet Ecclesiæ Christi dotem primam & præcipuã esse Cathedram Petri, quæ Romæ est: & inde ostendit Donatistas non pertinere ad veram Ecclesiam, quia non essent coniuncti cum Siricio Papa, qui tunc sedebat in Cathedra Petri: Augustinus epistola 162. de Cæciliano Episcopo qui impetebatur à Donatistis, scribit: Quod possit non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret Rom. Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, per communicatorias litteras esse coniunctum. Vide eundem in Psal. contra partem Donati. Leo epistola 87. ad Episcopos Viennensis Prouinciæ, & alij plures, quos licet requirere supra in tract. de Pontifice.

115 Quin & experientia docet, omnes illas Ecclesias seu populos, qui in fide & religione se diuiserunt ab isto Capite, mox tanquam ramos auulsos aut præscissos cõtinuò arescere: Ecclesiæ enim Asiæ & Africæ quæ quondam ita floruerunt, vt frequentissima celebrarent Concilia, & semper haberent plurimos viros cùm doctrinâ, tùm sanctitate præcellentes: ab eo autem tempore quo ab Ecclesiâ Rom. fecerunt diuisionẽ & Schisma, omiserunt celebrare Concilia, neque habuerunt sic vitę sanctitate aut doctrinâ viros celebres, & toti orbi notos sicut prius. Euidens quoq; est coniunctionem membrorum inter se, signum esse regni Christi & veræ Ecclesiæ: nam & Christus illam nobis dedit notam, quando Ioannis 13. dixit, in hoc cognoscendos discipulos suos, si dilectionẽ habuerint ad inuicem: & sæpius pacem suam Ecclesiæ promisit, quam & eidem in Apostolis dedit Ioannis cap. 14. dicens: *Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis. Neq; enim est dissensionis Deus, sed pacis*, vt dicitur 1. ad Cor. 14. *Et omne regnum in se diuisum desolabitur*, vt dicitur Matth. 12. Et ideo vt scribit August. lib. 18. de Ciuitate cap. 52. Diabolus summopere laborauit per hæreticos efficere, vt in Ecclesiâ Christi essent liberæ dissensiones (ad quod etiam modò multi eius ministri contendunt) quomodo erant in Academijs Philosophorum, vt quemadmodum hæ per multas tandem diuisiones ab inuicem consumuntur & intereunt; ita fieret quoque in Ecclesia Dei.

Vtramque verò coniunctionem inesse ac conuenire Corpori Ecclesiæ catholicę, in quâ versamur, facilè ab omnibus videri potest: siquidem inprimis Ecclesia nostra constanter fuit omnibus sæculis vnita & coniuncta illi, cui dixit Christus: *Pasce oues meas*: eiusdemque cathedræ & successoribus, quod nec aduersarij diffiteri possunt: quemadmodum & modò coniungitur & vnitur. Deinde Catholici omnes toto orbe dispersi de omnibus fidei dogmatibus idẽ sentiunt: easdem Leges vniuersalis Ecclesiæ recipiunt, atque ita in vnitate fidei, & morum qui ad religionis capita pertinent, omnino conueniunt: quod nulla vnquam secta qualiscumque religionis, siue gentilium, siue hæreticorum obtinere potuit, vt ex Scriptoribus cùm antiquis, tùm modernis manifestissimè constat. 116

Et quidem de sectis paganorum, ac Philosophorum gentilium id ostendit D. August. homil. 11. De verbis Domini; & lib. 18. de Ciuit. cap. 41. & D. Basil. Oratione prima de opere sex dierem, vbi dicit, non esse opus vt nos pugnemus cõtra Philosophos, cum illi mutuis dissensionibus sufficiant ad suã ipsorum doctrinam euertendam. Idẽ de primis hæresibus, vt Simonis Magi & aliorum subsequentium demonstrant Irenæus lib. 1. cap. 21. & aliquot sequentibus: Epiphanius hæresi 80. & Theodoretus lib. 4. de Hæreticorum Fabulis: Diuus Augustinus libro 1. de Hæresibus cap. 46. Et lib. 1. de Baptismo cap. 6. scribit hæresim Donatistarũ in multa minutissima frusta concisam fuisse suo tempore. Quomodo autem Arriani mox fuerint diuisi, scribit Rufinus lib. 1. Hist. cap. 25. de quibus etiam testatur S. Hilarius in vtroque lib. ad Constantinum, quod singulis pene annis mutarent fidem. Denique quam diuisa statim fuerit hæresis Lutheri, & quomodo hæreses inde exortę quotidie 117

quotidie inter se discindantur, magis cunctis notum est, quàm vt authoritate probari indigeat: ita vt de omnibus ex Luthero ortis non incommodè dicatur, quod scribit Irenęus de Valentinianis: quod cum essent plurimi, vix duo aut tres conuenire reperiebantur in suis dogmatibus omnibus.

118 De conformitate autem doctrinæ fidei cum doctrinâ antiquorum, qui veram Ecclesiam omnium consensu tenuerunt, nemo potest dubitare, quin ea sit certissima Ecclesiæ Christi nota. Constat verò etiam aduersariorũ confessione, eos quos Ecclesia Catholica modò recipit Scriptores, & Doctores Ecclesiasticos ac Pontifices, qui saltem primis 400. aut 500. annis post Christum vixerunt & scripserunt, tenuisse, ac constituisse veram Ecclesiam. Quod autem doctrina Ecclesię Catholicę huius temporis concordet cum doctrina istorum, euidens est: quia omnia dogmata fidei; & Scripturas ipsas ab illis accepimus & hausimus: ac in omni difficultate aut dubietate, quæ oritur, & contradictione quæ opponitur, ad illos refugimus: vt ex ipsis difficultatem resoluamus aut determinemus, & contradicentium argumenta reijciamus: quod sufficienter cõstat ex totâ doctrinâ fidei, & ex omni Theologiâ Ecclesiæ, quæ vbique, siue in Scholis ex Cathedrâ, siue in templis ex suggestu Christiano populo traditur & docetur: Tota enim finaliter in litteris sacris & in antiquorum PP. scriptis ac testimonijs semper fundatur: ita quidem vt D. Aug. suo tempore pro re planè diuina habendũ censuerit lib. 18. de Ciuitate cap. 41. quod omnes Scriptores Sacri tam mirificè consentiunt, quantumuis diuersorum temporum, quin & diuersorum locorum, nationum & linguarum.

119 E contra autem, hæreticorum doctrina, quatenus à fide Ecclesiæ Catholicæ recedit, discordat omnino ab antiquorum sensu & doctrinâ. Vnde Caluinus, quando nostra dogmata oppugnat, passim quoque super ijsdem redarguit antiquitatem, quã inficiari non potest nobiscum fuisse loquutam, & sensisse.

120 Quod, quia ipse inter hæreticos huius temporis primariæ authoritatis habetur, operæpretium fuerit ex eius scriptis particularius ad eius doctrinæ confutationem ac illius confusionem demonstrare. Itaque lib. 2. Inst. c. 2. § 4. scribit, Semper apud Latinos nomen liberi arbitrij exstitit: apud Græcos vero vocabulum multo arrogantius: & tum infra: Ego verò, inquit, neque ipse eiusmodi vocem vsurpare velim, & alios, si me consultât, abstinere optarim. Ibidem dicit omnes veteres, excepto Augustino in hâc re plus æquo extulisse humanas vires: & cap. sequenti § 7. etiam Augustinum reprehendit in eo, quod epistola 106. dicat voluntatem nostram gratiæ cooperari, non vt præuiam, sed vt pedissequam: vult autem Caluinus voluntatem, ne vt pedissequam cooperari: sed totum fieri à gratia: & lib. 3. cap. 11. § 18. Ac ne Augustini quidem, inquit, sententia per omnia recipienda est: qui gratiam ad sanctificationem refert, quia in vitæ nouitatem regeneramur per Spiritum.

In quæstionibus igitur de libero Arbitrio, de Gratiæ operatione, & de Sanctificatione per gratiam fatetur se recedere ab omnibus antiquis Ecclesiæ Doctoribus, tam Græcis quam Latinis. Item lib. 2. cap. 16. scribit: Fabula de loco subterraneo, qui dicitur Limbus, tametsi magnos Authores habeat, tamen nihil aliud quam fabula est: vbi doctrinam de Limbo & de purgatorio reijcit contra antiquos PP. quos intelligit per magnos authores: quia Scholasticos non solet appellare nisi Sophistas lib. 3. cap. 3. § 10. Ab vno August. inquit, sumant lectores si quid de sensu antiquitatis habere velint: Deinde addit: Porro inter illum & nos, hoc discriminis videri potest: quod ipse morbum concupiscentiæ tunc demum peccatum fieri docet, cum appetitioni cedit voluntas: nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quod aliquâ cupiditate contra legem Dei homo titillatur: vbi contra totam antiquitatem, fatetur se docere concupiscentiam, etiam sine consensu esse peccatum. Eodem lib. cap. 4. § 38. Omnes veteres quorum libri existunt, aut hac in parte lapsi sunt, vbi de satisfactione scribunt, aut nimis asperè & durè loquuti sunt: & cap. 5. § 10. Ante mille & trecentos annos, inquit, vsu receptum fuit, vt præcationes fierent pro defunctis: sed veteres omnes, fateor, in errorem abrepti sunt, & cap. 15. § 2. Vsi sunt, fateor, passim vetusti Doctores nomen meriti: & infra addit, Eum pessimè consuluisse fidei sinceritati, qui hoc nomine inuenit: & lib. 4. cap. 4. § 10. Peccauit antiquitas immodicâ seueritate, quod plus requireret in Episcopo, quam Paulus requirat, ac præsertim successu tẽporis, cœlibatum: & 18. Excusari, inquit, non posse arbitror veteres, quin aliquid in actionis modo peccauerint: imitati sunt enim magis Iudaicum sacrificandi morem, quam aut ordinauerit Christus, aut Euangelij ratio sinebat.

Quibus allegatis locis, ostendit se recedere ab antiquis in doctrina de Satisfactione, de Orationibus faciendis pro defunctis, 122

functis, de meritis operum, de cœlibatu Sacerdotum, & de sacrificio. Similiter loquitur de obseruatione ieiunij quadragesimalis lib. 4. cap. 12. & cap. 15. reprehendit id quod ipse dicit multis ab hinc sęculis atq; adeo ab ipso pene exordio Ecclesiæ fuisse vsu receptum, quod nimirum absente ministro Ecclesiæ, Laicus in necessitate baptizet.

123 Ita quoque Centuriatores Magdeburgenses in singulis Centurijs cap. 4. annotant omnes fere DD. cuiusque sæculi docuisse ea dogmata quæ hoc tempore Ecclesia Catholica contra ipsos sustinet: quæ ab illis Nœui vocantur antiquorum Patrum. In secunda Centuria admittunt nostram doctrinam de libero arbitrio fuisse omnium PP. illius sæculi: ipsi tamen oppositum statuunt, quasi fundamentum totius suę reformatæ religionis, adeo vt Lutherus in assertione articuli 36. velit in eo versari summam rerum, ita vt alij articuli eius de Papatu, Concilijs, similibusque (inquit) respectu illius, nugæ dici possint. Ibidem dicunt doctrinam de iustificatione negligentiùs & obscuriùs à DD. illius sæculi fuisse traditam scilicet; Non docent (inquiunt) nos solâ fide iustificari. In Centuria tertia scribunt: Videas non obscura vestigia inuocationis SS. in Doctorum huius sæculi scriptis: & in Centuria quarta ponunt testimonia pene omnium veterum istius sæculi pro inuocatione SS. quam ipsi tamē audent vocare Idololatriam: & sic de multis alijs articulis consequenter agunt.

124 In quibus autem sic à Sanctis Patribus & probatis Scriptoribus antiquis recedūt, in illis coincidunt cum diuersis antiquatis hæresibus, & hæresiarchis, qui cum suis doctrinis fuerunt notoriè ab Ecclesiâ reiecti, & hæretici habiti, vt facilè poterit videre, qui doctrinam Lutheri, Zuinglij, Caluini, & aliorum voluerit conferre cum hæresibus, quas in suis Catalogis recensent Irenęus, Hieronymus, Epiphanius, Augustinus, Theodoretus, Damasen. & alij probati Authores.

125 De duratione non interruptâ fidei ac religionis siue ab initio mundi, siue à Christo Domino & temporibus Apostolorum, non potest quoque dubitari, quin sit certa Ecclesię Dei nota. Et hanc rursum Ecclesię Catholicæ, quæ nunc est, competere, cùm ex alijs, tū ex ijs quibus paulò antè ostendimus Ecclesiam esse indefectibilem, & indefectibiliter visibilem, potest esse manifestum. Nulla autem alia religio potest hoc de se demonstrare, quin è contra facilè sit ostendere de quâlibet, quo tempore, quo loco, quo authore inceperit, sic quod initiū vel originem suam non possit absq; interruptione deducere ad Christum & Apostolos: quod ab illis manauerit: multo minus ad Prophetas & Patriarchas.

Vnde factum est, quod cogantur hæretici facere Ecclesiam aliquando inuisibilem, quia non possunt Hæresiarchę ostendere proximè ante se vllos Pontifices, Episcopos, Doctores aut Pastores, de quibus constet quod continuò à Christi temporibus sine interruptione eiusmodi doctrinā & fidem docuerint, & tradiderint, qualem ipsi effingunt & proponunt: & si quis forsitā ante illos partem aliquam nouitatis ipsorum docuerit, constat è contra quod talis cū suis adhærentibus fuerit habitus ab Ecclesiâ alienus & reiectus. Quare Tertull. lib. de Præscriptionibus meritò ridet tales, qui iactitant se adducere verum lumen & intellectum Euangelicæ doctrinæ, & omnes Ecclesias iam dudum in errore & tenebris fuisse versatas: Ecquid verisimile est, inquit, vt tot & tantæ (scilicet Ecclesiæ) in vnam fidem errauerint? aliquos Marcionistas aut Valentinianos (nos diceremus aliquos Lutheranos, aut Caluinistas) liberanda veritas exspectabat? inter eos perperam euangelizabatur, &c. Ait itaque Tertull. Ecquid verisimile est, vt tot & tantæ Ecclesiæ, &c. quasi diceret: nullo modo verisimile est: imò prorsus incredibile quod tot & tantæ Ecclesiæ in tam diuersis locis ac regionibus & gentibus constitutæ omnes errantes conuenissent & coaluissent in vnam erroneam fidem: cum enim error & recessus à veritate soleat esse varius, sicut & mendacium, fieri sanè id nullo modo potuit. 126

Sed ad argumentum quod contra Sectarios ex ipsorum inter se dissensionibus & scissuris facimus, cōnatur respondere Caluinus in Præfationibus Institutionum, & dicit: non mirum videri debere, si ex suâ religione mox oriantur diuisiones & sectæ contrariæ; quia id acciderit etiam Ecclesiæ Apostolorum: ex illâ enim prodierunt Simoniani, Nicolaitæ, & alij: semper enim diabolus vbi bonum semen videt seminari, accedit & superseminat zizania. 127

Verùm contra illam responsionem replicatur, longe disparem esse rationem inter sectas natas ex Ecclesiâ Apostolorum, in ordine ad illam Ecclesiam, & inter sectas quæ suboriuntur ex hæresi in ordine ad illam: quia sectæ exortæ ex Ecclesiâ Apostolorum, siue ex Ecclesiâ Catholicâ, postmodū nunquam pari passu progressæ sunt, aut pari gradu & ordine habitæ fuerunt, aut habentur cum ipsâ Ecclesiâ: sed 128

hæc

hæc semper ab ipso exordio suo longe superauit quascumque hæreses ex se exorientes. Primò, authoritate, quia eas omni tempore condemnauit, & adinuentores à corpore suo separauit & reiecit: idque cum tantâ apprehensione omnium & efficaciâ, vt nec Nouatores illi, nec eorũ doctrina apud alios fideles reciperentur: Ast verò semper temerarium & quasi ridiculum fuit æstimatum, si quis hæreticus aut Schismaticus quantuncumq; alioquin etiam antea præemineret Ecclesiasticâ dignitate, voluerit attentare in Ecclesiã Catholicam, siue in eorum Episcopos & Rectores dicere Anathema: neq; ex eâ parte vnquam hæretici profecerunt. Secundò, Ecclesia Apostolorum & Catholica sectas ex se natas superauit amplitudine, & vniuersalitate locorum: quia nunquam hæresis aliqua valuit se extendere ad omnia loca, in quibus prædicatur Christiana fides, & vbi viget Catholica religio: sed dum variæ exoriuntur hęreses, vna inuadit vnam partem Ecclesiæ, & altera aliam. Tertiò etiam superat duratione: quia omnes hæreses exortæ ceciderunt & cadunt à dextris, & à sinistris Ecclesiæ: & nunc vna emoritur, & alia nascitur: Ecclesia autem semper eadem stat & perseuerat.

129 E contrà verò hæreses ex qua statim nasci solent sectæ variæ, neque authoritate illas ex se ortas superant: neq; fundamentum illi suppetit cur magis illas damnare, quam ab ipsis damnari & anathematizari possint. Deinde solent malæ proles vix natæ statim amplitudine locorum superare infelicem matrem suam, ac simul excedere etiam temporis duratione, sic vt primæua doctrina cuiuslibet hæresiarchæ mox pro maiori sui parte soleat obsolescere, & discipuli singuli noua & contraria dogmata adinuenire, & populo obtrudere: atque ita proprias adinuentiones dilatare, sic vt non à lateribus hæresis prioris cõcidant hinc inde sectę ab ea exortę, manente ipsâ in suâ integritate, & crescente ac dilatante sese, & perseuerante in statu suo; sicut cadunt hæreses à lateribus Ecclesiæ Catholicæ: sed hæresis ipsa scinditur in partes, & sui diuisione citò ad nihilum deducitur, & sic interit: quod omnino experientia docuit de omnibus hæresibus hactenus exortis, quæ sic perierunt: non autem ita Ecclesiæ Catholicæ accidit.

130 Quinque notæ sequentes ad Ecclesiæ sanctitatem possunt referri: quas Ecclesiæ nostrę competere, breuiter de singulis ostẽditur. Est enim Ecclesia nostra primitùs propagata per Patriarchas & Prophetas. Deinde Sacerdotio translato, & statu legis mutato in Aduentu Christi Domini, aucta & per totum orbem dilatata fuit per Apostolos, eorũq; successores, & Pontifices & Episcopos, & alios Doctores qui & suis temporibus, & ab omni deinceps posteritate fuerunt habiti viri boni, innocentes, iusti, qui neminem lęderent, nemini iniuriam inferrent: sed neque malum pro malo, quin è contra bonum pro malo redderent: & pro suis persecutoribus orarent, & apud Deum intercederent.

Vnde D. August. lib. 2. contra Iulianum scribit: Isti sunt Episcopi & Pastores, docti, graues, sancti, veritatis acerrimi defensores, qui Catholicam fidem in lacte suxerunt: in cibo sumpserunt; cuius lac & cibum paruis, magnisque ministrauerunt: talibus post Apostolos Sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus credit. 131
E contra autem Sectæ inprimis Paganorum habuerunt Authores & Præcones homines leuissimos, & superbissimos, vt Poëtas, & Philosophos, vtrosque autem impurissimos: quod apertè significat Apostolus ad Rom. cap. 1. & satis ex Scriptoribus profanis passim constat. De Hæresiarchis plurima dici possent; sed vnum est vitium omnibus commune, scilicet superbia: vnde lib. de Pastoribus cap. 8. scribit D. August. de illis, eorumque doctrinis: Diuersis locis, inquit, sunt diuersa: sed vna mater Superbia omnes genuit: sicut vna mater nostra Catholica omnes Christianos fideles toto orbe diffusos. Quâ de re videre licet plura apud Bellarm. lib. 4. de Ecclesiâ militante cap. 13.

Miracula patrata in testimonium fidei, quam quis annuntiat & profitetur, vel etiam in declarationem & attestationẽ sanctitatis vitæ illius pręconis ante peractę, & glorię ęternę nunc adeptæ, certissimè significant fidem illam quam annuntiauit, siue in cuius professione talis mortuus fuerit, esse fidem veram, & consequenter congregationem quę illam tenet & profitetur, esse veram Dei Ecclesiam: quod sic ostendi & probari potest: quia miracula, vt hic supponimus, sunt diuina opera, & quidem talia, vt nullâ virtute creatâ vel absolutè, aut saltem non eo modo fieri possint, quo patrantur: quæ proinde non possunt magis fieri in attestationem fidei falsę aut falsę religionis; quàm Deus possit attestari falsum & mentiri. 132

Eadem est ratio de illis quæ fiunt ad declarandam sanctitatem & beatitudinem alicuius, quia non potest quoque Deus attestari aliquem esse sanctum & beatum, qui talis non est: vnde si miracula sint certa signa sanctitatis eius, erunt etiam 133

certa

certa ſigna rectæ fidei quam tenuit, & profeſſus eſt: quia ſine rectâ fide impoſſibile eſt placere Deo: *Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Hinc Dominus Deus ad confirmationem ſermonis ſui, quẽ poſuit in ore prophetarũ aut Euangelizantiũ, ſolet adijcere virtutẽ & gratiam miraculorum. Sic Exodi c. 4. cũ Dominus mitteret Moyſem ad filios Iſraël & ad Regem Ægypti: dedit illi Dominus poteſtatem miraculorũ: & dixit illi: *Vt credant quod apparuerit tibi Dominus,* &c. Sic etiã Mat. c. 10. quando mittebat Chriſtus diſcipulos vt prædicarẽt regnũ Dei, dixit: *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate* &c. Quod verò ex illis qui fidẽ noſtram, quam modò tenet contra hæreticos omnes, Eccleſia Catholicâ, coluerunt & profeſſi ſunt, plurimi claruerint notorijs & teſtatiſſimis miraculis, facile eſt ex Scriptoribus Eccleſiaſticis per ſingula ſæcula demonſtrare: & quidem de primis vndecim ſæculis Centuriatores Magdeburgenſes notant in ſingulis centurijs cap. 13. ex Authoribus illorum temporum, miracula plurima in confirmationem dogmatũ no-
134 ſtrę Eccleſiæ facta & deſcripta: vt Confeſſionis Sacramentalis, Euchariſtiæ, Primatus Pontificis, venerationis reliquiarum, imaginum, & ſimilium, vt ipſi ibidem affirmant: ſed prætendunt omnia fuiſſe dæmonum illuſiones, aut falſas narrationes: quod non aliter oſtendunt aut probant, niſi quod dogmata illa ad quorũ cõfirmationem facta ſunt, pugnent cum Euangelio, iuxta ſcilicet ſenſum & perſuaſionem non fundatam Martini Lutheri.

Sed inprimis non niſi inſolentiſſimè ab eis reſponderi poteſt, falſas ac mendaces eſſe narrationes eiuſmodi factorum; qui enim iſta ſcribunt & memoriæ tradiderunt, ſunt plerique Scriptores primariæ authoritatis, vt Tertullianus in Apologetico capite 5. & libro ad Schapulam. Diuus Baſilius libro de Spiritu Sancto capite 29. Gregorius Nicenus in vita Gregorij Taumaturgi, Hieronymus, Athanaſius, Auguſtinus libro 22. de Ciuitate cap. 8. D. Gregorius in dialogis, & lib. 9. epiſt. 59. Beda lib. 1. Hiſtor. cap. 13. Sulpitius, & alij plures. Non itaque niſi inſipientiſſimè & ſtolidè poteſt quis plus tribuere & magis fidẽ adhibere noſtri tẽporis Sectarijs, quoad illas hiſtorias antiquas, quibus hi non interfuerunt, veritatem earum negantibus, quàm huiuſmodi Scriptoribus grauiſſimis, qui referunt ea quæ ſuis temporibus acciderunt. Deinde ſicut Auguſtinus libro 10. de Ciuitate cap. 18. reſpondet Ethnicis negantibus hiſtorias miraculorum veteris Teſtamenti; ſic & nos reſpondere poſſumus hæreticis: Si abſque ratione & fundamento liceat negare facta olim miracula memoriæ ab antiquis tradita, euacuabitur fides omnium librorum: & ſic tolleretur omnis religio: quia (inquit) omnes qui pro Dijs habentur, quibuſdam operibus mirabilibus voluerunt ſuam diuinitatem, ſiue veram, ſiue fictam hominibus perſuadere, quæ à
veteribus per ſcripta ſunt poſterioribus 135
tradita. Quemadmodum itaque D. Aug. eodem illo reſponſo Ethnicorum euacuat fundamentum religionis etiam ipſorum (ſi reſponſio aliquid valeret) ſic quoq; poſſet ſimili modo euacuari fundamentum religionis Hæreticorum, ſcilicet negando miracula quæ in Scripturis ſacris narrãtur à Chriſto & Apoſtolis patrata; ſicut ipſi negant patrata ab Apoſtolorum ſucceſſoribus, quæ à Scriptoribus fide apud omnes digniſſimis, memoriæ ſunt tradita.

Quod verò dicunt fuiſſe Dæmonum præſtigias, & illuſiones, eſt antiqua calumnia omnium hoſtium Chriſtianæ religionis: ſic enim malitioſè calumniati fuerunt Scribæ & Phariſæi miracula Chriſti Domini, quando ea negare non poterant, dicentes Matthæi cap. 8. *Hic non eijcit dæmones, niſi in Beelſebub Principe dæmoniorum:* & iterum Ioannis cap. 8. *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Hos imitati ſunt gentiles qui ſimiliter calumniabantur miracula Martyrum, quos Magos & Nicromanticos vocare ſolebant: & ſequuti quoque ſunt antiqui hæretici, vt Arriani, Eunominiani, Vigilantiani, qui ſimiles calumnias Catholicis impegerunt, vt teſtantur Diuus Ambroſius ſermone de Sancto Geruaſio & Protaſio: Hieronymus contra Vigilantium, & Victor libro 2. de Perſecutione Wandalica. Deinde nullum allegant huius calumniæ fundamentum, neque ſubeſt vel minima illius apparentia: nam & illi qui hæc miracula ſcripſerunt, viri fuerunt doctiſſimi, & plerique Sancti, qui rerum naturalium habuerunt magnam intelligentiam, & ſpirituum bonam diſcretionem: vnde nec ſpeciem probabilitatis habet, quod hi pro veris miraculis mandaſſent ſcriptis dæmonum operas, & illuſiones, & eas populo & poſteritati obtruſiſſent. Præterea ipſi Authores qui leguntur ea feciſſe, vt ſanctus Gregorius Taumaturgus, Antonius, Hilarion, Nicolaus, Benedictus, Martinus, & infiniti alij, fuerunt viri modeſtiſſimi, humiles, ſimplices, ſancti: qui tales & ſuis temporibus, & apud poſteritatẽ ſemper fuerunt habiti. Vnde non niſi improbiſſimè opponuntur eis eiuſmodi calumniæ cũ ſummâ

iniuriâ tum diuinæ operationis, quâ facta fuerunt; tum veritatis fidei Christianæ, ad cuius testificationẽ, confirmationem & celebritatem Deus illa operari dignatus fuit per sanctos suos.

136 Post vndecim autem sæcula prędicta, multi etiã sequentibus temporibus in Ecclesiâ Catholica claruerunt miraculorum operatione: Sæculo duodecimo Beatus Malachias, de quo in vita eius scribit S. Bernardus: Quo antiquorum, inquit, genere miraculorum Malachias non claruit? si bene aduertimus pauca ipsa quæ dicta sunt, non prophetia defuit illi; non reuelatio; non gratia sanitatum: non mutatio mentium: non denique resuscitatio mortuorum. Eodem sæculo ipse D. Bernardus innumeris miraculis effulsit, vt videre est in vitâ eius apud Godfridũ, qui lib. 4. cap. 4 scribit vna die illum in Diocæsi Constantiensi illuminasse cæcos vndecim: curasse mancos decem, & claudos octodecim. Sæculo decimotertio miraculis claruerunt D. Dominicus: B. Franciscus: item B. Petrus martyr. & S. Thomas ex ordine Prędicatorum: & B. Antoninus, & D. Bonauentura ex ordine Minor. Item S. Cœlestinus V. tam ante Pontificatum, quã postea, vt in eius vita scribit Petrus Cardinalis Cameracensis. Similiter sæculo 14. miraculis clari fuerũt, S. Bernardinus, Catharina Senensis, Nicolaus Tolentinas, vt in vitis eorum habetur. Sęculo 15. plurimis miraculis effulsit S. Vincentius tum viuus tum mortuus: de quo, sicut de illis qui relati sunt, sæculo 13. & 14. videre licet B. Antoninum Florentinum ex ordine Prædicatorum 3. parte Historiæ: Titulo 23. & 24. qui & ipse isto sæculo quindecim miraculis claruit, vt patet ex eius vitâ apud Surium. Deniq; sæculo decimosexto claruerunt B. Franc. de Paula, vt in Bulla Canonizationis eius scribit Pontifex Leo X. Sanctus Franciscus Xauerius apud Indos, & alij plurimi omnibus istis sæculis.

137 Sed contra notam hanc Ecclesię ex miraculis desumptam Obijcitur, quod D. August. Tract. 13. in Ioannem doceat, non esse credendum Donatistis, etsi faciant miracula: vbi etiam per contemptum eos mirabiliarios vocat: & lib. de Vnitate Ecclesiæ, de miraculis scribit: quæcumque talia in Catholicâ fiunt, ideo sunt approbanda, quia in Catholicâ fiunt; non ideo ipsa manifestatur Ecclesia, quia hæc in eâ fiunt: ergo miraculorum operatio non debet poni inter notas Ecclesiæ. Confirmatur, quia legitur etiam Vespasianus apud Suetonium cœco lumen, & claudo gressum reddidisse: qui tamen erat Idolorum cultor, ergò &c.

Respondetur D. Augustinum loco allegato contemnere miracula, seu potius mirabilia Donatistarum, eaque contemnenda esse docere: Primò, inquit, quia aut falluntur aut fallunt. Rationem itaque suę doctrinæ reddit, quia venditant pro miraculis quæ non sunt vera miracula; sed vel illi ipsi illuduntur & decipiuntur à Dæmone, dum existimant se diuinas habere visiones, & reuelationes quas iactant (de quibus ibi potissimum Augustinus loquitur) cum sunt tantùm dæmonum illusiones; vel fallunt, quia scilicet scientes ea quæ iactitant aut faciunt, non diuinâ, sed dæmonis virtute, aut illusione fieri, nihilominus tanquam à Deo essent, obtrudunt ea populo. Vnde August. præmittit: Pontius miraculum fecit, & Donatus orauit, & respondit ei Deus de cœlo: hæc scilicet iactitant Donatistæ: Respondet verò August. & monet: nemo vobis fabulas vendat: ridet ergò & contemnit tanquam figmenta, & illusiones. 138

Sed Dices: addit August. ibidem: Fac illum (scilicet Donatum) montes transferre; quasi diceret: Esto, quod montes transferat, & tamen non vult ideo Donatum esse recipiendum: præter vnitatem enim facit miracula, nihil est &c. vt ibidem habet: ergò &c. Respondetur Augustinũ, istis hoc solum docere, scilicet quod tametsi hæretici aut Schismatici non tantùm apparenter per præstigias & illusiones oculorum, aut phantasiæ, facerent aliqua mirabilia: sed à parte rei fierent ea quæ apparent, tamen eos nihil esse, ipsisque non esse credendum; quia licet veri essent isti effectus: v. g. quod reuera mons transferretur; tamen illa non essent vera miracula, quorum operationem statuimus pro nota Ecclesiæ: sed quædam mirabilia & inusitata, sicut plurima faciet Antichristus, quę non superant tamen virtutem creatam, & præsertim ipsius Dæmonis. 139

Patet hic sensus Augustini ex adiunctis: addit enim: Contra istos, vt sic loquar, inquit, mirabiliarios, cautum me fecit Deus meus dicens: In nouissimis temporibus surgent Pseudo-prophetæ facientes signa & prodigia, vt in errorem ducant, si fieri potest etiam electos. Vult itaque Augustinus quod sicuti doctrina eorum quæ ab Ecclesiæ vnitate separant, sic & opera eorum quantumcumque mira videantur, debeant tamen esse suspecta, & minimè recipienda: quia aut falluntur ipsi, aut fallunt.

Ex his potest etiam colligi sensus Aug. in lib. de Vnitate Ecclesiæ: quod scilicet miracula siue mirabilia & inusitata opera (sic enim generaliter de miraculis loquitur 140

non

non debent nos mouere & inducere, vt mox credamus penes eos esse Ecclesiam, qui aliqua talia operantur, & interim à doctrinâ antiquorum, & sensu Ecclesiæ recedunt, faciuntque scissuras & schismata: quia eo casu ista suspecta sunt habenda, & tanquam illusoria aut fraudulenta reijcienda sunt. Nec hoc mirum videri debet, cum Apostolus contra similes audeat dicere ad Gal. cap. 1. *Licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, Anathema sit:* Oportet enim nos supercertare semel traditæ sanctis fidei, vt monet Iudas Apost. in suâ epistolâ: contra quam nulla mirabilia manifestant satis alibi esse Ecclesiam: sed quando fiunt ab ijs qui Ecclesiæ vnitatem tenent, & fidem semel acceptam, prædicant: vel ab alijs qui iuxta Prophetarum Vaticinia annunciant Christi aduentum, eiusq; Euangelium promulgant, tunc ea vtpote vera miracula, ad fidem prædicatoribus, & eorum doctrinæ, in cuius confirmationem fiunt, conciliandam, plurimum valere satis agnoscit Augustinus & illis ipsis locis citatis, & lib. contra epistolam Fundamenti cap. 4. vbi inter vincula, quibus in Ecclesiâ Catholicâ scribit se contineri, numerat authoritatem miraculis inchoatam.

142 Ad illud autem quod allegatur de Vespasiano, Respondetur, Cœcum illum & claudum non laborasse cœcitate verâ, neque claudicatione incurabili, vt refert Tacitus lib. 4. Historiarum respondisse medicos illius temporis: quare mirum non est, si operâ Dæmonis potuerint illi à malo suo liberari. Adde, quod vt docet Tertull. in Apologetico cap. 22. credibile sit totum illum morbum fuisse à Diabolo, qui insidens in oculo vnius, & alterius tibiâ impediebat vsum istorum membrorum: idque eo fine vt videretur sanare, quando desinebat nocere.

143 Doctrinæ puritas illustrat quoque & demonstrat veram Dei Ecclesiam, quam oportet esse sanctam, vt Scripturę sacrę, & ratio loquūtur & dictant: ad sanctitatem verò inprimis requiritur, vt professio eius nullam contineat falsitatem, quoad ea quæ proponit credenda, & nihil iniquum aut turpe, vel contra rectam rationem in moribus, quoad ea quæ tradit & mandat facienda. Vnde Psal. 18. vocatur Lex Domini immaculata, testimonium fidele, sapientiam præstans paruulis: iustitiæ Domini rectæ.

144 Ex hac autem notâ licet quoque ostendere, nullam esse aut fuisse veram Dei Ecclesiam præter nostram, quam demonstrauimus ab origine mundi per certam successionem & traditionem huc vsque perdurasse: nulla enim est, aut fuit cuiusuis religionis secta, siue Paganorum, siue Philosophorum, siue Turcarum, aut hæreticorum, quæ non contineat & suis proponat aliquos exploratos errores, & rectæ rationi naturali apertissimè contrarios. Ad Paganos plurium Deorum cultores quod attinet, quàm absurda & indigna senserint, ostendunt Arnobius lib. 4. 5. 6. & 7. contra Gentes; & D. August. lib. 7. de Ciuitate Dei. De Philosophis antiquis idem declarat Theodoretus libro 9. aduersus Græcos; vbi allegat plurima ab omni ratione admodum aliena, diuersorum Philosophorum legibus constituta, aut concessa; etiam legibus ipsius Platonis quæ fuerunt visæ tamen saniores: approbant enim vitia horrenda, vt communionem vxorum, nefandam libidinem, exstinctionem conceptuum, cędes infantium, & similia. De Turcis patet ex Alcorano ipsorum: docent enim beatitudinem futuræ etiam vitę consistere in cibo & potu, & vxorum multitudine. Item dicunt Deum & Angelos pro suo Mahumeto orare, & similes nugas obtrudunt.

De antiquis hæreticis idem potest ostēdi: nam de Gnosticis refert Epiphanius hæresi 26. quod docerent scortationes, & omnem luxuriam debere exerceri, tamen vitandos esse conceptus, & alia grauiora, ac absurdiora, quę ibidem explicat: Montanistę sacrificium offerebant ex sanguine infantis, quem per minuta vulnera aciculis exprimebant incredibili crudelitate, vt refert August. hæresi 26. Manichæi docebant esse peccatum ęquale præscindere folium de arbore, & hominem interficere: de quibus vide August. hęresi 46. Donatistæ vt seipsos facerent Martyres, pręcipitabant ipsi se de montibus, in ignē se conijciebant, aquis se præfocabant, aut ab alijs se occidi curabant; qui si nollent, ipsis mortem minabantur, & inferebant, vt testatur August. epistola 50. & Theodoretus lib. de Hæreticorum Fabulis: & similis generis alia plurima de cæteris hęreticis antiquis liceret adducere. 145

Hæretici verò nostri temporis docent Deum ab omni æternitate absque peccati consideratione, quosdam homines æternis exitijs & ignibus deuouisse, eosdemque ad peccata commouere, inducere, impellere, vt hoc suum propositum sub titulo iustitię exequi valeat: hominem carere libero arbitrio, ex necessitate omnia agere: omnia opera hominis lapsi esse peccata, & alia similia, quę & diuinę bonitati, sapientiæ, iustitię, & naturali rationi planè repugnant. 146

E contra autem Ecclesia Catholica non 147

potest ostendi docere errores vllos, aut vllas turpitudines, vel quicquam contra naturalem & rectam rationem: licet multa credat & doceat supra rationem naturalem: quod olim pulchrè & doctè demonstrarunt contra Ethnicos, Iustinus in vtraque Apologia: Tertull. in Apolog. cap. 36. & sequentibus: Arnobius lib. 1. 2. & 3. contra Gentes: August. in libris de Ciuitate: & D. Thomas tam contra paganos, quam contra hæreticos in libris contra Gentes. Quare meritò August. lib. 2. de Ciuit. cap. 28. scribit: Nihil in Christianis Ecclesijs turpe & flagitiosum spectandum, imitandumque proponitur: vbi veri Dei aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur: & lib. 22. cap. 7. Persuadebatur veritas noua, consuetudini, sed non rationi contraria.

148 Similiter Ecclesiæ veræ Dei nota est doctrinæ eius efficacia, quod scilicet non tantùm pura sit, & omne illud quod rectę rationi & honestati cōtrariatur, excludat: sed insuper potens sit ad cōuertendas animas: hoc enim diuinæ legi tribuitur. Psal. 18. & quod sit sermo viuus & efficax penetrans vsque ad diuisionem animę & spiritus: vt dicitur ad Hebr. cap. 4. Quod neque Philosophorum, neque hæreticorum doctrinæ competijt, aut competit; quantumuis enim magnam sapientiam iactarent veteres Philosophi, & eam summā eloquentiā cum suis præceptis & legibus proponerent, nunquam tamen mundū, aut notabilem eius partem quisquam ad suarum legum acceptationem & obseruātiam adducere potuit: imò nequidem viciniora oppida & loca, vt notant Athanas. lib. de Humanitate Verbi: & Theodoretus lib. 9. supra citato, qui est de Legibus.

149 Vnde rectè de dogmatibus illorum scribit D. Hier. in cap. 13. Matth. ad parabolam de grano Synapis: Sed illa, inquit, in se nihil continent mordax; nihil viuidum aut vitale demonstrant: totum flaccidum marcidumque ebullit in olera & herbas, quę cito arescunt & corruunt: quia scilicet non erant verba viua, sed mortua: non verba spiritus Dei, sed spiritus hominum. Similiter hæretici non leguntur primitùs implantasse aut implantare potuisse gentibus doctrinam Christianam: sed tantummodò, vbi ea iam prædicata & suscepta fuit, corrupisse, & seduxisse fideles ac in errores misisse: quamuis enim & ipsi Scripturas habeant, quę sunt Verbum Dei viui, tamen eis abutuntur, & corrupto sensu exponunt: atq; ita spiritum & virtutem earum eneruant, ac tollunt. Vnde fit quod inefficaces sint & in animis audientium non operentur: neque ab alijs suscipiantur.

Quod etiam notauit Tertull. lib. de Præscriptionibus: De verbi administratione (scilicet hæreticorum) quid dicam? inquit; cum hoc sit negotium illis, non Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi: nostra suffodiunt, vt sua ædificent &c. Quod verò Catholicos peruertant, non magnæ virtutis est, nec mirum videri debet: quia proni sunt homines ad errores, prurientes auribus, & ad viam latiorem ingrediendam propensi: vnde facilè à veritate, quæ est supra rationem, se auertunt, & ad fabulas conuertuntur: quod plerumque etiam propter ingratitudinem hominum, Deus videtur permittere, quia semel illuminati, & quando gustauerūt bonum Dei verbum, non student bonis operibus correspondere gratiæ oblatæ, & cooperari lumini accepto. Mahumetus quidem multos traxit, sed non persuasibilitate & efficaciā, quibus valet eius doctrina: sed terrore & vi armorum. Vnde in suo Alcorano docet, homines bello & armis ad fidem esse compellendos. 150

Doctrina autem Christiana olim breuissimo tempore per homines ex se rudes, pauperes, inermes pertraxit in sui amplexum & obedientiam, mundum quasi totum, magnos, paruos, doctos, indoctos, viros, fœminas, iuuenes & senes: neque traxit ad delitias & sæculi voluptates: sed ad res credendas supra omnem humanum captum, ad corporis marcerationem, carnis castigationem, ad paupertatem, mansuetudinem, ad tolerantiam iniuriarum, persecutionum, verberum; ac denique ad mortis ipsius promptam perpessionem: idque non propter aliquod præmium huius vitæ quod conspiciatur; sed propter spem & præmium vitæ futuræ, quæ nondum apparet: de quibus videre licet Athanasium, Theodoretum locis supra citatis; & D. Augustinum lib. 22. de Ciuitate cap. 5. vbi inter præcipua miracula ponit, quod pauci Apostoli solâ diuini verbi efficaciâ sine eloquentiâ & armis, totum orbem subegerint: nec tantùm ea vis doctrinæ Christianæ se exeruit in Apostolis; sed etiam sequentibus temporibus in ijs, qui pro patribus nati sunt filij, & eorum successoribus; vt ex historijs Ecclesiasticis passim constat. 151

Quin & his vltimis sæculis in nouo orbe, vastissimæ prouinciæ, & regna gentilium persenserunt efficaciam huius doctrinæ, & colla iugo Christi ad Euangelij prędicationem submiserunt. Nihil autem tale pręstiterunt vnquam noui isti Euangelistę, aut præstare potuerunt. Quare rectè Aug. 152

lib. 13.

lib. 13. contra Faustum c. 12. applicat Hereticis illud Ierem. c. 17. (vt ipse legit) perdix congregauit, quæ non peperit: & pulchrè ostendit in eis locū habere: cum è contra Catholica sit columba fœcunda quę non cessat ipsa nouos pullos parturire & parere.

153 Lumen Propheticum ad notas quoque Ecclesiæ pertinere, inde patet: quia sicut Marci vltimo promittitur Ecclesiæ miraculorū operatio, ita Ioelis cap. 2. promittitur donū Prophetię, vti declarat D. Petrus Act. 2. Et Isaiæ 41. dicitur: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos.* E contra Deuter. cap. 18. ponitur vt nota Pseudo-prophetæ & falsæ doctrinæ: si quis voluerit vaticinari, & vaticinia non euenerint. Apud gentiles verò & hæreticos nulla fuerunt, aut habeantur vera vaticinia: sed falsa plurima, nisi fortè fierent in testimonium fidei nostræ, vt fuerunt vaticinia Sybillarum, & Balaam. Quomodo autem apud Ethnicos in oraculis siue Apollinis, siue aliorum nihil fuerit veræ prophetiæ, sed omnia fuerint illusoria aut falsa, vide explicatum apud D. Athanas. in vitâ Sancti Antonij, & apud August. lib. de Diuinatione Dæmonum, & Theodoretum lib. de Oraculis.

154 Similiter quotiescumq; voluerunt hæretici agere Prophetas, in mendacijs & falsitatibus deprehensi sunt. Vide Euseb. lib. 5. Historiarum cap. 16. & 18. vbi agit de falsis prophetijs Montani, & ei adhærentium Priscæ & Maximillæ, quę se prophetissas ostentare volebant: & Cochlęum in actis Lutheri de anno 1525. & de anno 1533. vbi refert falsas Prophetias Lutheri, & Thomæ Munceri, & aliorum.

155 Sed in Ecclesiâ Catholica præter Prophetas antiqui Testamenti, & eos qui fuerunt Apostolorum temporibus, de quibus in Actis, semper etiam fuerunt sequentibus sæculis: vt Gregorius Taumaturgus, de quo testatur Basil. lib. de Spiritu Sancto cap. 29. D. Antonius de quo B. Athanas. in vita eius. Abbas Ioannes de quo August. lib. 5. de Ciuit. cap. 25. D. Benedictus, de quo S. Greg. lib. 2 Dialogorum cap. 15. S. Malachias, de quo Bern: in vita eius. Item ipse S. Bernardus, vt in eius vita habetur lib. 4. cap. 3. vbi inter alia de illo scribitur, quod cuidam petenti quatenus Bern. pro conuersione parentis illius oraret, responderit: Ne timeas, ego illum probatum Monachum in hac Claravalle sepeliam: vbi multa simul prædicebat, scilicet illum pro quo eius preces petebantur, futurum Monachum; in ordine monastico perseueraturum vsque ad mortem, & probatè ac sanctè moriturum; idque ante Bernardum, & in Clara-valle, & ab ipso Bernardo sepeliendum: quæ omnia sic, vt prædicta erant, euenerunt, & impleta sunt: sic & alij plurimi Sancti qui vt miraculis excelluerunt, ita etiam spiritu prophetico illustres fuerunt.

Nona & Dicima notæ; scilicet successio Episcoporum continua in Romana Sede, & Antiquitas, ad tertiam notam generalem pertinent: quod scilicet Ecclesia sit Apostolica. Ex istâ namque Episcoporum successione in Rom. Cathedra, veteres passim argumentum sumpserunt pro suâ Ecclesiâ contra hæreticos. D. Irenæus lib. 3. cap. 3. enumerat Episcopos Romanos à Petro vsque ad Eleutherium, qui tunc præsidebat, & per eam successionem dicit confundi hæreticos omnes. Tertullianus in lib. de Præscriptionibus, improperat hæreticis, quod nec origines suarum Ecclesiarum, nec ordinem suorum Episcoporum ad aliquem ex Apostolis, aut ex Apostolicis viris tanquam antecessorem vel Authorem, possint referre: Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum, refert Episcopos omnes Romanos vsque ad Siricium, qui tum sedebat, vt ostendat Ecclesiam non esse apud Donatistas, qui per similem successionem ad Apostolos ascendere non poterant: Vos, inquit, vestræ Cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare. August. epistola 163. ad eundem finem enumerat Pontifices à Petro vsque ad Anastasium: & in Psal. contra partem Donati: Numerate Sacerdotes vel ab ipsâ Sede Petri, & in ordine illorum Patrum, quis, cui successerit videte: & lib. contra epistolam Fundamenti c. 4. Tenet me in Ecclesiâ, ab ipsa Sede Petri, cui pascẽdas oues suas Dominus commendauit vsque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum. 156

Euseb. quoque in historia & in Chronico: D. Hieron. & Prosper qui chronicon Eusebij continuarunt, diligenter annotarunt successionem Romanorum Pontificum, vt inde continuatio Ecclesiæ manifesta fieret. Vide etiam Epiphanium hæresi 27. Quod si Veteres tanti fecerint continuationem istam Pontificum, in Sede Petri per annos 300. 400. aut 500. ad ostendendam veram Christi Ecclesiam contra quoscumque hæreticos aut Schismaticos, quanti ergo nos facere debemus eam; quæ durauit nunc per annos mille sexcentos, non obstante, quod in vrbe Romanâ sæpius mutata fuerit forma tẽporalis dominij: nunc Imperatoribus: nunc Regibus Gothorum: nunc Exarchis Græcorum: nunc etiā consulibus, siue iustè siue iniustè 157

dominantibus: non obstante quoque quod Vrbs aliquoties euersa fuerit.

158 Hæretici autem non possunt Ecclesias suas per successionem Episcoporum neque ad Petrum, neque ad aliquem alium Apostolum qui primitùs Ecclesiam fundauit, deducere: inprimis quia huius temporis hæretici nullos habent Episcopos veros, qui dici possint antiquis successisse: nam vt quis Episcopus fiat, debet iuxta veteres Canones à tribus Episcopis ordinari, qui & ipsi ab alijs sint ordinati: & hi ab alijs donec ad Apostolos veniatur, vt habetur Can. 1. Apostolorum: & in Concil. Nicæno 1. Can. 4. & in Carthaginensi 4. Can. 2. quod etiam D. Paulus 1. ad Timoth. cap. 4. indicat, quando scribit: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterij*. Siquidem nomine Presbyterij intelligitur ibi cœtus Presbyterorum siue Episcoporum, qui simul cum principaliter ordinante, imponebant manus super caput ordinandi, vt exponunt D. Chrys. Theophil. & Oecumenius: Ideoque hæretici antiqui solent esse solliciti de huiusmodi ordinatione: hæresiarchæ autem nostri, neque ab initio fuerunt Episcopi ordinati ab alijs, neque se, aut discipulos suos ab alijs Episcopis qui ab Apostolis ducerent originem, ordinari curarunt: quare dum Martinus Lutherus iactitatur Episcopus Wittembergēsis: Zuinglius Episcopus Tigurinus: Oecolampadius Episcopus Basileensis primus, vt in eius Epitaphio inscriptum habetur, & Caluinus Episcopus Geneuensis, rectè in eos quadrat quod scribit D. Cyprianus lib. de Simplicitate Prælatorum: Ij sunt qui se vltrò sine diuinâ dispensatione præficiunt, qui se præpositos sine vlla ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt.

159 Deinde ad Sedem aliquam Apostolicam se reducere non possunt: quia ipsi qualescumque sint verbi Ministri, vt se vocant, nullis Episcopis successerunt: sed veros & proprios Episcopos ex suis sedibus pepulerunt: vnde etiam se primos Episcopos istorum locorum esse iactitant, (vt diximus ex Epitaphio Oecolāpadij) ad suam ipsorum confusionem & conuictionem. Nam inde iterum de istis rectè dici potest, quod scribit Cypr. epist. 6. lib. 1. In Ecclesiâ non est, inquit, neque Episcopus computari potest, qui Apostolicâ traditione contemptâ nemini succedens, à se ipso ordinatus est: debent ergò priùs vacare Sedes, siue per mortem, siue per legitimā depositionem, priusquam possit fieri vera & legitima successio. Quod significat etiā Cyp. epist. 2. lib. 4. dum scribit: Cornelius Episcopus factus est, cum Fabiani locus, id est, inquit, cum locus Petri & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret: quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrûm consensione firmato, quisquis iam Episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est. Quod si forsitan ex hæreticis velint aliqui contendere se nouos & primos Episcopos esse locorum, vbi prius non fuerint, tunc saltem si non ad aliquem Apostolum aut Apostolicum virum tanquam antecessorem in Sede, saltem ad aliquem talem, vt Authorem illius Sedis, & suæ ordinationis deberent posse munus suum & Episcopatum per continuam successionem deducere, vt patet ex Tertull. supra.

De antiquitate autem Ecclesię nostræ supra omnes sectas & hæreses, quæ modo vigent, satis doceri potest ex antè dictis, tum dubio pręcedenti de Ecclesiæ indefectibilitate, tum hoc dubio de Duratione non interruptâ, De continuâ Episcoporum successione, & de Conformitate doctrinæ huius temporis cum doctrinâ antiquorum: quæ sanè Conformitas etiam rectè ad notam Ecclesiæ Apostolicę referri potest: docet enim Tertull. lib. de Præscriptionibus, Ecclesiam dici Apostolicā, non tantùm propter Episcoporum successionem; sed etiam propter doctrinæ consanguinitatem, vt ipse loquitur: quia scilicet doctrinam retinet quam Apostoli tradiderunt. Quod verò ad alias sectas attinet, quæ aliquando exortę fuerunt: sed interierunt, manifestum de illis est, quod non fuerint vera Dei Ecclesia, quæ vsque ad mundi consummationem, iuxta promissionem Christi Matth. vltimo, durare debet. 160

Duę postremæ notę pertinēt ad quartam generalem, scilicet quod Ecclesia sit Catholica: ac inprimis quidem Amplitudo & Multitudo credentium ex omni loco & gente ad illam spectant: quia Ecclesia verè Catholica non tantùm debet complecti omnia tempora, sed etiam omnia loca, & omnium hominum genera: vnde rectè Vincentius in suo Commonitorio scribit: Eos propriè esse Catholicos, qui tenent id quod semper, quod vbique, quod ab omnibus creditum est. Hinc Propheta Dauid Psalmo 2. prædixit: *Et dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Et Psalm. 71. *Dominabitur à mari vsque ad mare*, scilicet Christus Rex Ecclesię. Et Lucę vltimo, & Actor. 1. Similiter, significat Christus Euangelium ad omnes gentes diuulgandum, & apud omnes pędicandum, sumpto exordio à Hieru- 161

Hierusalem. Idem docent August. lib. de Vnitate Ecclesiç cap. 6. Et Beda in caput 6. Canticorum: In quo etiam distinguunt Ecclesiam à Synagogâ, quç Catholica nō fuit: quia alligata erat ad præfinitū tempus, scilicet vsque ad Messię aduentum: tum enim cessare debebat: Item ad certum locum, imò ad vnum templum Salomonis, extra quod non poterant Sacrificare, & ad vnam gentem, scilicet filiorum Iacob.

162 Notandum tamen ex Augustino epistola 80. Quod vt Ecclesia sit Catholica non requiri, quod in omnibus omnino sit hominibus totius mundi: sed sufficere quod in omnibus mundi partibus innotescat, & fides eius vbique annuntietur, & fructificet, sic vt per totum mundum habeat suos filios.

163 Notandum Secundò, non requiri etiā, vt hoc simul fiat, sic vt vno tempore in omnibus mundi partibus & prouincijs reperiantur aliqui de Ecclesiâ: sed satis esse vt fiat hoc successiuè: quod significat Christus, Matth. 10. *Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam: Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israël, donec veniat filius hominis.* Et capite 24. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: tunc veniet consummatio.*

164 Quod verò Ecclesia nostra sit amplitudine suâ omnes mundi partes amplexata, ita vt vbique, siue in omni gente fructificare inciperet, testatur Apostolus etiam de suo tempore, ad Coloss. cap. 1. *Si tamen permanetis in fide fundati & stabiles, & immobiles à spe Euangelij quod audistis, quod prædicatum est in vniuersâ creaturâ* (inquit) *quæ sub cælo est.* Et ad Rom. cap. 1. *Quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.* Idem de suis temporibus scribunt Irenæus lib. 1. cap. 3. Tertull. lib. contra Iudæos cap. 3. Cyprian. lib. de Vnitate Ecclesię. Athanas. de Humanitate Verbi. Chrysost. & Hieron. in cap. 24. Matth. August. epist. 78. & 80. Leo serm. 1. de sancto Petro & Paulo. D. Gregor. idem satis ostendit per epistolas quas scripsit ad Episcopos Oriētis, Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Anglię, &c. Beda in cap. 6. Canticorum. Et quàm pateat modo latissimè, & quo modo omnes mundi partes peruaserit, ita vt nusquā fideles planè desint, notissimum est, neque potest à quoquam negari.

165 E contra autem sectæ omnes & hęreses, sicuti certis temporibus circumscriptæ fuerunt, ac interierunt, ita quoque certis locis aut Prouincijs remanserunt quasi conclusæ: Mahumetismus, qui inter omnes sectas, vti tempore, sic & locorū spatijs magis videtur se extendisse, nunquam tamen ad Occidentem transiuit. Hæreses huius temporis alioquin satis famosæ, extra Europam non sunt egressæ: sed neque omnes Europæ partes penetrarunt: quia ad Hispaniam, & Italiam non habuerunt ingressum. Imò si singulę seorsim spectentur, vt inter se sunt diuisæ, quælibet non nisi pauca & exigua loca principaliter occupauit.

Quāuis ergò sicuti Ecclesia est vbiq; sic quoque vix vsquā defecerint, aut deficiant aliquæ hæreses; illa tamen est differentia quam obseruat Aug. lib. de Pastore cap. 8. quod nimirum Ecclesia vna, eademque sit vbique, non sic vna hæresis: sed hæreses diuersissimæ & maximè inter se pugnantes, quæ se inuicem non recognoscant, imò se lacerent, & anathematizent, occupauerint Ecclesiæ loca, aliæ scilicet hunc locum, alię illum locum. 166

Denique ipse nomen Catholicum siue Ecclesiæ Catholicæ, manifestam quoque facit veram Christi Ecclesiam: quod semper communi intellectu & sensu ita fuit attributum & appropriatum veræ Ecclesiæ ab Apostolis sine interruptione descendenti, vt etiam ipsi hæretici quâcumq; occasione, aut casu interrogati, vbi sit Catholica, vel vbi sint Catholici, non domos suas aut conuenticula sua, sed Ecclesiam eorum qui antiquæ fidei & traditioni, atque adeo Ecclesiam nostrā demonstrent, sicuti supra id etiā ex Augustino diximus: qui refert quid suo tempore fieret. Et quāuis modò quidam sectarij callidiores, & obseruantes quantum intersit istius nominis compellatio, conentur illud suffurari & sibi applicare: nihilominus communis apprehensio vulgi, & passim omnium etiam hęreticorum eadem adhuc perseuerat, vti ex vulgaribus conferentijs, & sermonibus satis semper apparet. Vnde etiam monuit Cyrill. Catechesi 8. Si iueris ad aliquam vrbem, inquit, non petas vbi sit Ecclesia, vel domus Dei: nam etiam hæretici dicunt se habere domum Dei, & Ecclesiam: Sed petes, vbi sit Catholica Ecclesia: id enim nomen proprium est huius sanctę Ecclesiæ matris omnium nostrûm: quasi diceret, Si hoc petas, nullus hęreticorum suam domum aut conuenticulum demonstrabit. Ipsi enim, vt Iustinus in Tryphone ait, sunt distincti cognominibus denominati à quibusdam viris, vt quisq; fuit Author alicuius nouę doctrinę Ex illis scil. hęreticis, inquit, alij vocantur Marcionistę, alij Valentiniani, alij alio vocabulo: quisque à primo inuentore sui dogmatis. Conformiter etiam D. Irenęus lib. 1. cap. 20. scribit de sectatoribus Simo- 167

monis Magi: Habent & vocabula, inquit, à principe impijssimę sententię Simone, dicti Simoniani. Vnde de istis & similibus rectè Lactantius lib. 4. cap. 30. Cum Marcionitę, aut Arriani nominãtur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana & externa vocabula induerunt: non sic veri Ecclesię filij ab hominibus particularibus nomen sortiuntur: nam vt bene notauit Athanas. serm. 2. contra Arrianos, nunquam populus ab Episcopis suis, sed à Domino in quem creditum fuit, nomen accepit: Certè à Beatis Apostolis pręceptoribus nostris, inquit, appellationes adepti non sumus, sed à Christo Christiani sumus & appellamur: quapropter explosus est Marchion inuentor Hęreseos: reliqui qui remanserunt, Christiani titulum retinuerunt: qui verò Marcionem sequuti sunt, non iam inde Christiani, sed Marchionistæ appellati sunt.

168 Sic etiã hoc tempore obseruamus, quod nulli sectarij, vulgari & communi nomine Christiani, & multo minus Catholici cõpellentur; sed Lutherani, Caluinistę, Zuingliani, Armeniani, Gomaristę, &c. & si de Catholicis aut de Catholicorum Ecclesiã quis apud eos inquirat, apprehendunt omnes, non de suæ sectæ hominibus, nec de suis conuenticulis inquiri: sed inquiri de Ecclesiã nostrã, & de illis apud quos Sacramẽta & reliqua quę religionis antiquę sunt, administrantur, & fides prędicatur iuxta antiquam traditionem, qui nunquam ex parte fidei suę, aut religionis, sortiti sunt nomen ab aliquo particulari homine: quod tamen sine dubio non minus nobis accidisset, si ea quę à nobis fidei doctrina tenetur, fuisset ab aliquo superinducta aut inuecta (siue is Episcopus siue Pontifex fuisset) quàm omnibus cęteris, qui nouam doctrinam alienam à communi Ecclesię sensu, quem quasi per manus ab Apostolis simul cum Scripturis traditum accepimus, effingere & populo obtrudere pręsumpserũt: nam & Corinthij mox vt ad scissuras, & schismata erant procliuiores, cęperunt singuli dicere: Ego sum Pauli: ego sum Apollo: ego verò Cephę.

TRACTATVS DE TRADITIONIBVS.

DVBIVM I.

Quid & quotuplex sit Traditio?

SERMO est de Traditione, non rerum materialium, quę fieri solet manibus corporeis: sed de Traditione intelligibilium aut credibilium, quæ fit intellectu & signis seu notis significatiuis: & sic quidem generaliter de Traditione loquendo, significat omnem doctrinam, quæ ab vno communicatur alteri, siue scripturã, siue voce, siue alijs notis & signis. Vnde Apostolus 2. ad Tessal. cap. 2. sic de eã loquitur: *Tenete traditiones quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam.* Ita quoq; ad doctrinã scriptam extenditur Exodi 17. *Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade in auribus Iosue:* & Act. 6. Lex Moysis & cęremonialia in eã descripta, vocantur traditiones: *Audiuimus enim eum dicentem* (inquiũt) *quoniã* IESVS *Nazarenus hic, destruet locũ istũ, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.* Quamuis igitur nomen hoc generale sit, tamẽ ab antiquis Ecclesiæ Scriptoribus accommodatum fuit ad significandam tantùm doctrinam non scriptam: & sic à Theologis vsurpatur. Iren. lib. 3. cap. 2. Euenit (inquit) neque Scripturis, neque traditioni consentire eos, &c. Tertull. lib. de Coronã militis: Si legem postules, scripturam nullam inuenies: traditio tibi prętenditur authrix. Et Cypr. lib. 2. epistola 3. Admonitos autem nos scias, vt in calice Domini offerendo, Dominica traditio seruetur, vt calix qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur: quibus locis Traditio contra scripturam distinguitur.

Obseruandum autem est, quod vocemus doctrinam non scriptam; non quę absolutè nusquam scripta inueniatur: sed 2

quæ

quæ à primo Authore suo scripta non est, nec etiam scripta eo dictante.

3 Quod ad diuisionem Traditionis attinet, potest ea dupliciter fieri: vno modo vt desumatur ab Authoribus: alio modo vt desumatur à materiâ. Priori modo diuiditur in Diuinam, Apostolicam, & Ecclesiasticam. Diuinę Traditiones dicuntur illæ, quæ ab ipso Christo Domino emanarunt, & tamen à nullo scriptore Hagiographo litteris sacris sunt mãdatę, vt doctrina de plerisq; spectantibus ad materiam, formam, & ministros Sacramentorum. Apostolicæ autem sunt, quæ ab ipsis Apostolis sunt institutæ cum Spiritus Sancti assistentiâ, quas tamen non habemus ab illis conscriptas: vt ieiunium Quadragesimę, quatuor Temporum, & multi ritus Sacramentales. Solent tamen hæc duo membra in nominibus suis inter se aliquando confundi, vt diuinę Traditiones vocentur aliquando Apostolicæ: & è contra: quia scilicet istæ licet primitus non sint ab Apostolis inuentæ & institutæ, sed à Christo, nihilominus Apostoli eas primùm acceperunt, & Ecclesiæ promulgarunt: hę autem dicuntur etiam diuinę, non quod Christus eas immediate instituerit, sed quia non sine Spiritus Sancti instructione, Apostoli eas ordinauerint, & docuerint obseruandas. Ecclesiasticę Traditiones, vt contra prędicta membra distinguntur, propriè sunt consuetudines quædam antiquę ab antiquis Ecclesię Pręlatis, vel à Christiano populo inchoatę & introductę: quę sensim aut vim legis, aut opinionem salutaris regulę obtinuerunt.

4 Ex parte materię diuidi potest Traditio in doctrinalem, & moralem, siue in eam quę continet doctrinam fidei, & in eam quę continet pręcepta, aut directionem morum. Prioris generis est, v. g. quod Beata Virgo semper fuerit & permanserit Virgo: quod septem sint Sacramenta nouę Legis, non plura nec pauciora. Posterioris autem, quod certis diebus festa & ieiunia sint obseruanda, quod frons signo Crucis sit munienda. Inter traditiones autem, quę ad mores pertinent, quędam sunt perpetuę, vt exempla posita: aliæ fuerunt temporales, vt fuit obseruatio quorundam Legalium, quę ad tempus fiebat, vsque ad plenam scilicet Euangelij promulgationẽ, vt facilius Ecclesia ex Iudæis & gentibus coalesceret. Rursum alię sunt necessarię, vt quæ sunt in forma pręcepti, vt ieiunia dicta: alię autem sunt liberę, vt quæ sunt in forma Consilij, v.g. vsus aquæ lustralis, & similia.

DVBIVM II.

Vtrùm præter Scripturas sacras debeat Ecclesia admittere & recipere aliquam doctrinam non scriptam, siue traditiones à Christo vel Apostolis profectas?

HÆretici tam antiqui, quã moderni semper reiecerunt Traditiones omnes: & volunt in litteris sacris omnia esse expressa, quæ scitu sunt necessaria, siue quoad fidem, siue quoad mores: Contra quos sit 5

CONCLVSIO VNICA:

Præter Scripturam sacram omnino etiam admittendæ & necessariò recipiendæ sunt traditiones à Christo, & Apostolis profectæ, & fideli custodiæ Ecclesiæ demandatæ. Est de fide, vt patet ex Concil. Trident. Sess. 4. in Decreto de Scripturis Canonicis: vbi docet veritatem Euangelicam & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ: aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos vsque peruenerunt. Et in fine Decreti dicit Anathema illi, qui sciens & prudens Traditiones prædictas contempserit. Similiter Concil. Nycen. secundum, Actione 7. in fine: Si quis traditionem Ecclesiæ, siue scripto, siue consuetudine valentem, non curauerit, Anathema sit. Quod repetitur in Concil. Generali 8. Act. 8. 6

Probatur primò ex Scripturis quæ testantur Apostolos tum à Christo Domino, tum à Spiritu Sancto multa edoctos, quæ de mandato tradiderunt Ecclesijs: quæ spectabant tum ad instructionem & fidẽ, tum ad directionem & præcepta, quæ tamen scriptis non commiserunt. Ioan. 16. proximè ante passionem suam dicit Christus, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*. Ista autem non semper tacuit, sed post resurrectionem, haud-dubie explicuit: non enim sine rationẽ scribit Lucas Act. c. 1. de Christo: quod fuerit per dies 40. apparens eis, & loquens de regno Dei. Item eodem cap. Ioan. 16. *Cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*: Et rursum: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*: & cap. vltimo: *Sunt autem & alia multa quæ fecit* IESVS, *quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros*. Multa igitur Spiritus Sanctus docuit, & annuntiauit Apostolis: & Christus multa dixit & fecit quæ ad Ecclesiæ seruiunt instructionem (omnis enim Christi actio, nostra est instructio) 7

structio) quæ litteris sacris non continentur: paucissima enim de dictis & factis Christi post resurrectionem scripserunt Euangelistæ: nec tamen credibile est Apostolos illa neglexisse & non tradidisse Ecclesijs: neque enim inuidi, neque obliuiosi tùm erant, vt de illis dici queat, quod aut noluerint, aut non potuerint Ecclesiam de illis informare.

8 Et 1. ad Corinth. cap. 11. tractat Diuus Paulus duas materias, vnã de modo orandi in Ecclesiã: & alteram de modo sumendi Eucharistiam: Et vtriusque exordium sumit ab eis quę tradidit Corinthijs: sic enim de priori scribit: *Laudo autem vos fratres, quod per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Ista autem pręcepta quæ tenebant Corinthij, nõ erant tum scripta: imò nec modò exstant scripta, vt notarunt D. Chrysost. & Theophyl. ad illum locum. Epiph. hęresi 61. & Basil. lib. de Spiritu Sancto cap. 29. Quamuis Apostolus eo cap. alia adhuc adijciat, quæ ad conuenientẽ orandi modũ deerant, quę ibi scripta habentur. In fine autem concludens illam materiam, vt ostendat quantum sit traditioni & consuetudini Ecclesiæ tribuendum, adiungit: *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos* (inquit) *talem consuetudinem non habemus: neque Ecclesia Dei.*

9 Posteriorem autem quæstionem sic exorditur: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis:* illud itaque tradiderat eis, nõ tanquam scriptum, sed vt per se acceptum à Domino: & tamen nemo dubitare potest, quin Corinthij deberent illud recipere & credere, non minus quàm quæ scripta erant. In fine quoque huius materię & capitis, adiungit: *Cætera autem, cum venero, disponam.* Quę autem disposuerit nusquam in sacris litteris inueniuntur expressa: neque tamen cum fundamento vel ratione existimari potest, quod vel non disposuerit, vel quod omnia illa sint obliterata, & extra cognitionem Ecclesię exciderint: sed meritò illa creduntur esse inter ea, quę Ecclesia per traditionem acceperit, & tenet de Sacramentorum materiã & formã, de eorum ministris, de ministrorũ Ordinatione, & de multis ritibus sacramẽtalibus qui in Ecclesiã antiquissimi sunt. 2. ad Thessal. cap. 2. *Itaque fratres, state & tenete traditiones quas accepistis, siue per sermones, siue per epistolam nostram.* Hic pręcipit simpliter Apostolus, vt Thessal. teneant & obseruent non minus quę acceperant viuã voce sibi tradita, quàm quæ per epistolam: ergò indubitatè sunt tenenda, sicuti scripta.

10 Respondent hęretici, nihil Apostolum per sermonem tradidisse, quod non prius aut saltem postmodum fuerit sacris litteris demandatum. Sed contra facit primò: quia Apostolus voluit saltem illa teneri, etiam antequam omnia essent scripta, & licet nunquam fuissent scribenda, haud dubiè non idcirco Thessalon. fuissent liberati ab istã obligatione. Deinde, apparentiam non habet, quod nihil Apostolus aliud per sermonem tradidisset, quã quod scriptum est, quia eodem cap. dicit se illis prędicasse de Antichristo: & inter reliqua addit: *Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore:* vbi significat se quædam illis explicasse de aduentu Antichristi, eiusq; morã, quę nos ignoramus, nec inuenimus in litteris sacris expressa: quod etiam obseruauit August. lib. 20. de Ciuitate cap. 19. Plura itaque Apostolus per sermonem tradiderat, quàm quæ scripturis continentur. Et in hunc sensum acceperunt prędicta verba D. Basil. lib. de Spiritu Sancto, cap. 29. Apostolicum puto esse, etiam in traditionibus non scriptis perseuerare. Laudo vos, quod omnia mea meministis, scribit (scilicet Apostolus) & quemadmodum tradidi vobis, traditiones obtinetis. Similiter D. Chrys. ad ipsum locum Pauli: Hinc patet, inquit, quod non omnia per epistolas, sed multa etiam sine litteris tradiderint, scilicet Apostoli: eãdem verò fide digna sunt tam illa, quàm ista. Idem scribunt ibidem Oecumenius, & Theoph. Sic quoque locum istum intellexit Synodus 8. Act. vltima Can. 1. Rursus idem Apostolus 1. ad Timoth. cap. vltimo. *O Timothee, depositum custodi!* & 2. ad Timoth. cap. 1. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide, & dilectione,* &c. *Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.*

Quibus locis Depositi nomine nõ aliud intelligitur; quàm Thesaurus Euangelicus, qui in diuinã Christi, & Apostolorum doctrinã primitiuę Ecclesiæ traditã, plenã omnis veritatis, sanctitatis & honestatis; ac in huius doctrinæ sanã & verã intelligentiã, consistit. Quod colligitur ex oppositione quæ fit priori loco, dum additur: *Deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ:* & ex illo quod dicitur posteriori loco: *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audiuisti.* Deinde sic Depositum hic intellexit D. Irenęus lib. 3. cap. 4. vbi scribit: Apostoli quasi in depositariũ diues, plenissimè in Ecclesiam cõtulerunt omnia, quæ sunt veritatis: vt omnis quicumque velit, sumat ex eã potum vitæ; & lib. 4. cap. 43. Obaudire oportet Presbyteris Ecclesiæ, qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus 9

succes-

successione, Charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt. Ita quoque explicant D. Chrysost. Theophyl. & alij. Neque dici potest, ad illud Depositum pertinere tantùm libros sacræ Scripturæ: non enim tam sollicitè & frequenter commendaret Apostolus depositum illud custodiri: quia facillimè conseruantur libri: nec tantùm periculum est, ne excidant quando apud plures habentur: sicuti scientia viuâ voce tantũ tradita & accepta, licet pluribus sit communicata. Deinde vult illud conseruari per Spiritũ Sanctum, qui habitat, inquit, in nobis: libri autem magis in thecis & per seras & claustra conseruantur. Tertiò: quia sequẽti cap. 2. monet eundem Timotheum, quatenus ea quæ audiuit, commendet fidelibus hominibus qui idonei erunt, inquit, & alios docere: non dicit, quæ scripsi, aut quæ in scripturis sacris legisti: sed quæ audiuisti à me, eaque vult fidelibus hominibus tradi, qui idonei erunt alios docere: non dicit qui idonei erunt alijs libros sacros tradere. Vide de his plura apud Vincentium Lirenensem in Commonitorio aduersus prophanas vocum nouitates.

Necessitas Traditionum, siue Doctrinæ non scriptæ probata iam ex Scripturis, ostenditur quoque ex antiquis Patribus & Scriptoribus Ecclesiasticis.

12 Probatur Secundò Conclusio ex Sanctis Pontificibus, & antiquis Patribus tum Græcis tũ Latinis. Fabianus Papa epist. 2. ad Episcopos Orientis, posteaquam dixerat, sacrũ Chrisma singulis annis renouandum, subiungit: Ista à Sanctis Apostolis, & eorum successoribus accepimus: vobisque tenenda mandamus. Innocentius I. similiter scribit de institutis Apostolicis Ecclesiæ traditis epistola 1. quæ est ad Decentium. B. Ignatius Martyr, vt refert Euseb. lib. 1. Historiarum cap. 36. hortabatur omnes, quatenus Apostolorum traditionibus tenacius inhærerent: quas etiam cautelę gratia, dicebat scriptas se reliquisse, prout inueniuntur multę in eius epistolis: quarum epistolarum meminit D. Hier. in lib. de Viris illustribus. Vide eundem Eusebium lib. 4. cap. 8. & lib. 5. cap. 20. vbi de Ægesyppo, & Polycarpo refert, quomodo agnoscant & commemorent doctrinam Christi & Apostolorum traditam, quæ scripta non est. Dionysius Ariopagita lib. de Ecclesiasticâ hierarchia c. 1. Primi illi nostri sacerdotalis muneris duces summa illa & supersubstãtialia partim scriptis (ait) partim nõ scriptis institutionibus suis tradiderunt. Quod etiã docet Iustinus Martyr in fine secundæ apologię pro Christianis. Irenęus lib. 3. cap. 4. Quid autem, inquit, si neque Apostoli scripturas quidem reliquissent nobis? nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quem tradiderunt ijs quibus committebant Ecclesias? Vide plura ibidem, & cap. 2 & 3. vbi docet non esse aliam viam perueniendi ad veritatem, quam consulendo Ecclesias, in quibus est successio Episcoporum ab Apostolis, considerando quam illi dicant esse Apostolicam traditionem. Origenes in cap. 6. ad Rom. Ecclesia, inquit, ab Apostolis accepit traditionem etiam paruulis baptismum dare. D. Basil. lib. de Spiritu Sancto cap. 27. Dogmata quæ in Ecclesia prędicantur, quædam habemus è doctrinâ scripto prodita: quædam ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, inquit, in occulto, tradita, recepimus: quæ vtraq; eandem ad pietatem vim habent &c. vbi mox subiungit multas traditiones non scriptas. Idem docent Chrys. & Theophil. & Oecumenius in cap. 2. epistolę 2. ad Tessal. & dicunt eâdem fide digna esse tam ista (scilicet quę sine litteris) quàm illa (scilicet quæ per epistolam) Apostoli tradiderunt.

Vnde conformiter ad antiquos Ecclesiæ Patres loquitur Conc. Trid. Sess. 4. in Decreto de Canonicis scripturis, quando pari pietatis affectu & reuerentia dicit se suscipere traditiones à Christo & Apostolis profectas: & scripturam sacram. Quare immeritò Kemnitius & alij hæretici in eo redarguunt Patres Concilij, cum ipsi Contradictores contra totam Antiquitatem, magis redarguendi sint. Vide etiam Chrysost. hom. 3. in epistolam ad Philip. vbi inter alia scribit, Non frustra ab Apostolis sanxitum vt in celebratione tremendorum sacrorum memoria fiat eorum qui hinc discesserunt: vbi agnoscit & recipit tanquam ab Apostolis traditum, quod in missæ sacrificio fiat commemoratio defunctorum. Cyril. Hierosolimitanus in suis Catechesibus mistagogicis præcipuè explicat traditiones non scriptas, vt puta ritus baptismi, & aliorum Sacramentorum. Epiphan. hæresi 61. Oportet & traditione vti, inquit, non enim omnia à diuina Scriptura accipi possunt: quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in traditione Sancti Apostoli tradiderunt. Damas. lib. 4. cap. 17. Plurima, inquit, Apostoli sine scriptis tradiderunt. 13

Ex Latinis clarissimè & constantissimè pro Traditionum authoritate scribit Ter- 14

quia non omnes habeant ſupernaturales oculos, vt dijudicare inter ſacra & non ſacra poſſint: ſicuti etiam cœci corporaliter non poſſunt diſcernere inter lucem & tenebras. Secundò, fatemur quidem Scripturam ſacram etiam habere ſuā cognoſcibilitatem; ſed quam modis & medijs diuinitus ordinatis voluit Chriſtus ab Eccleſia & à fidelibus percipi, non per propriam cuiuſque particularis induſtriam, ingenium, aut ſpiritū: ſed per inſtructionem & traditionem maiorum, iuxta illud Deuter. 32. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi.* Ex quibus dum humiliter & fideliter pendemus, & credimus, ſimul quoque præſtantiam, virtutem, & diuinitatem iſtarum ſcripturarum, quas ſic acceptamus, percipimus & agnoſcimus; ſic vt viciſſim ex illis ipſis, diuino lumine intus cooperante, percipiamus & credamus Eccleſiam ſedulam & fidelem eſſe Euangelici theſauri cuſtodem, & omnis veritatis diuinitus reuelatę magiſtram.

19 Probatur Secundò & alia ratione: Quia non eſt ſatis ſcire, quod ſit aliqua Scriptura diuina, & noſſe qui libri eam contineant: ſed etiam oportet certā habere inſtructionem de vero eius ſenſu, præſertim cum in multis locis ſit obſcura, & verba ac ſententiæ diuerſum poſſint admittere intellectum aut explicationem: atqui quomodo poterit aliquid certi in iſtis ſtatui ſiue traditione, quæ patefaciat quomodo à viris Apoſtolicis, ſiue à proximioribus Apoſtolorum ſucceſſoribus, fuerint iſta intellecta: quæque teſtatum faciat intellectum talem ab Apoſtolis acceptum, & ad poſteros ad nos vſque per continuatam inſtructionem deriuatum. Vnde adeo traditiones ſunt neceſſariæ, vt Diuus Baſilius libro de Spiritu Sancto capite 27. dicat: Si conſuetudines non ſcripto proditas reijciamus, quod imprudentes & ea damnabimus quæ in Euangelio habentur: imò potius ipſam fidei prædicationem ad nudū nomen contrahemus. Quia ſcilicet pro cuiuſlibet affectu & prurigine traheretur verbum ſcriptum ad diuerſos & incertos ſenſus, ſi non inhæreatur intellectui à maioribus per traditionem accepto.

Obiectiones hæreticorum contra neceſsitatem Traditionum, ſiue Doctrinæ non ſcriptæ.

Obijciunt hæretici primò: Deuter. cap. 4. dicitur: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Quod etiam repetitur eodem libro cap. 12. Item Apocal. capite vltimo: *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto, & ſi quis diminuerit,* &c. ergò præter doctrinam in Scripturis contentam non eſt admittenda aliqua doctrina non ſcripta. 20

Reſpondetur Primò: Si argumentum illud conuinceret, non tantùm conuinceret traditiones non eſſe recipiendas: ſed nullam omnino Scripturam præter librum Deuteron. vel ſaltem nullam ex omnibus, quas poſteriùs Prophetæ & Apoſtoli ſcripſerunt, eſſe recipiendam: quod per ſe abſurdiſſimum eſt. 21

Reſpondetur itaq; Secundò, Negando Conſequentiā: quia iſtis verbis ſolum prohibetur, ne quis crimen falſi circa libros ſacros committat, deprauando illos ſiue per ſubtractionem eorum, quæ ad illos & eorum ſenſum pertinent, ſiue per additionem eorum quæ ad illos non pertinent. 22

Obijciunt Secundò, ad Gal. cap. 1. dicit Apoſtolus: *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquā quod euangelizauimus vobis, Anathema ſit:* ergò &c. Reſpondetur nihil inde ſequi contra concluſionē poſitam: Primò, quia Apoſtolus non dicit, præterquàm quod ſcripſimus vobis, vel præterquàm quod ex Scripturis ſacris didiciſtis: ſed præterquàm quod euangelizauimus: illud autem quod euangelizauerat Apoſtolus, non tantùm complectitur doctrinam ſcriptam, ſed etiam multa viuâ voce tradita ſine ſcripturis: vnde ſtatim alijs verbis idem quaſi repetit & dicit: *Si quis vobis euangelizauerit, præterquam id quod accepiſtis, Anathema ſit.* Secundò, quia illud *Præterquam* ibi idem ſignificat, quod contrà, ſeu contrariè, quam euangelizauimus: arguebat enim Apoſtolus Galatas quod tam citò transferrentur in aliud Euangelium, ſiue doctrinam contrariam Euangelio quod eis prædicauerat. Vnde cap. 3. ſcribit: *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati.* Non itaque ſenſus aut ſcopus Apoſtoli eſt, prohibere quo minus poſſent plura audire conformia Euangelio, ſeu Euangelicę prædicationi Apoſtoli; & ſic perfici in omni veritate Euangelicâ, ſed ne adhærerēt Euangelizantibus contraria. Sic etiam ſumitur vocabulum *Præter*, ad Rom. vltimo: *Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam* (id eſt, contra doctrinam) *quam vos didiciſtis, faciunt.* Eodem ſenſu vtitur Diuus Auguſtinus prædictâ Apoſtoli ſententiâ libro 3. contra litteras Petiliani, cap. 6. & tract. 98. in Ioannem, 23

vbi sic de istis Apostoli verbis scribit: Non ait; plusquam accepistis; sed, præterquam quod recepistis: nam si illud diceret, sibi ipsi præiudicaret, qui cupiebat venire ad Thessal. vt suppleret quæ illorum fidei defuerunt.

24 Objiciunt Tertiò: 2. ad Timoth. cap. 3. dicitur: *Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitiâ: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus:* ergò non est opus Traditionibus.

Respondetur Negando Consequentiã, siue accipiatur vocula Omnis, collectiuè, siue distributiuè, id est, siue pro totâ Scripturâ simul collecta; siue pro singulis eius libris: quia non dicitur, quod Scriptura sola sufficiat: sed quod omnis Scriptura sit vtilis, & seruiat ad illos effectus, scilicet ad erudiendum in iustitia, item ad arguendum, ad corrigendum, &c. Vnde etiam consequens non est, quod ipsa sufficiat, aut præter ea nihil requiratur: quia nequidem ex ipsis scripturis sufficimus nos haurire & capere doctrinam in illis contentam, nisi maiorum nostrorum instructio accedat, quæ nobis sensum aperiat, & in misterijs inibi latentibus inuestigandis nos iuuet & dirigat: sicuti Christus Lucæ cap. vlt. incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur Discipulis euntibus in Emaus, in omnibus scripturis quæ de ipso erant: quarum sensum & mysteria ipsi ex solâ lectione vel recitatione nudâ textus, non percipiebant.

25 Quod verò ad mentem Apostoli attinet, non loquitur ipse de totâ Scripturâ collectiuè, quæ nondum tota erat conscripta: sed de omnibus & singulis eius partibus, seu libris: adducit enim istud ad declarandum, quomodo cognitio sacrarum litterarum, seu veteris Testamenti, quam ab infantiâ Timotheus didicerat, valeret etiam ad illum instruendum ad salutem per fidem quæ est in Christo Iesv: nunc verò, nequidem hæretici dicere possunt vel auderent, singulas partes Scripturæ, & præsertim veteris Testamenti sufficere: quia tunc nouum esset superfluum. Objiciunt & alia Scripturæ loca: sed quę solent allegare etiam contra potestatem Ecclesiasticam condendi leges: quæ adduximus & explicuimus. 1. 2. q. 96. a. 4.

26 Objiciunt Quartò varia loca ex antiquis PP. Sed quid veteres sentiant & doceant de Traditionibus, ex ipsorum verbis supra allegatis, & ex alijs pluribus locis, satis euidenter constat.

27 Quoad ea quę adducunt, nihil omnino conuincunt. Quædam enim solùm significant scripturam continere fundamentũ doctrinæ Christianæ, siue eam doctrinam quæ omnibus est scitu necessaria: v. g. doctrinam symboli Apostolorum, & Decalogi, in substantiâ, vt ad baptismi gratiam & iustitiam possint peruenire: quam scil. Apostoli in suis prædicationibus solent coram omnibus proponere, & docere: Ita intellige, quæ scribit D. Irenæus lib. 3. cap. 1. & Augustinus lib. 2. de Doctrinâ Christianâ cap. 9. sicuti etiam lib. de Peccatorum meritis & remissione capite vltimo: vbi dicit: Credo quod etiam diuinorum eloquiorum clarissima authoritas esset, si homo illud sine dispendio salutis promissæ ignorare non posset: non autem volunt scripturam continere & explicare omnia omnino mysteria, & Sacramenta religionis Christianæ: quia neque hæc solent promiscuè omni populo proponi & explicari: sed Episcopis & Pastoribus tradi, sicut monet Apostolus Timoth. loco suprà citato: *Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere*, & 1. ad Corinth. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos* & cap. 3. *Ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam*, &c. Hoc etiam clarissimè docet D. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. Consecramus autem aquam Baptismatis, & oleum vnctionis, præterea ipsum qui baptismum accipit: ex quibus (inquit) scriptis? & respondet: Nonne à tacitâ secretaque traditione. Et licet non debeant necessariò ista ab omnibus sciri, præsertim quando primum præparantur ad fidem Christianam, tamen à nemine, quando de illis instruitur, possunt negari.

Quidam ex PP. istis loquuntur solũ de certis quibusdã dogmatibus, quæ satis clarè in scripturis exprimuntur; & ad ea statuenda & firmanda dicunt scripturã sufficere, & satis planè nos instruere, sic vt in illis non sit ad alia recurrendũ, siue ad quorundã particulariũ scil. figmenta, siue ad incertas quasdam authoritates, vel particularium locorum consuetudines, vel doctrinam: prout faciebant hæretici qui dogmata illa impugnabant. 28

Alij autem monent & hortantur Doctores aut Prædicatores, vt sua quę docent & prædicant, ex Scripturis sacris sumant & confirment: quia vbi ex litteris sacris prodijt diuinæ vocis testimonium (vt loquitur Diuus Chrysostomus) tum & loquentis sermo, & audientis animus confirmatur: idque contra illos qui sine testibus & testimonijs dignis ex solâ animi vanâ cogitatione, aut ex libris apographis confingunt suam doctrinam & concionem: quę sine dubio animum audientium 29

non

non satiant, neque quietum & contentum reddunt: sed quasi esurientē & vacuum relinquunt. Non autem contra illos, qui cum veterum testimonijs simul docent ea, quæ Ecclesia à Christo & Apostolis quasi per manus accepit.

30 Ad hæc itaque, si quis attenderit, poterit facilè explicare difficultates quas ex P P. hæretici adducunt. D. Cyprianus quidem in epistolâ ad Pompeium, duriùs aliquantulum contra traditionem quæ aduersus eum de hæreticis non rebaptizandis allegabatur, loquitur: sed hoc mirum non est, quod errantium more conaretur declinare traditionis argumentum, quo se videbat maximè premi, & conuinci. Vnde D. Augustinus lib. 5. contra Donatist. cap. 23. & sequentibus, epistolam illam Cypriani refellit. Non tamen Cyprianus vniuersaliter traditiones reijciebat, vt hæretici faciunt: sed traditionem istam quæ contra se adducebatur: quia apprehendebat eam manifestis scripturis, quibus pro suâ opinione vtebatur, repugnare.

31 Obijciunt Quintò: Videtur impossibile potuisse conseruari in sua integritate Traditiones non scriptas, cum plurima occurrant impedimenta, vt hominum obliuio, imperitia, negligentia, malignitas; quæ nunquam in humano genere defuerunt, aut desunt: ergò nihil eis est tribuendum. Respondetur Neg. Assump. quia cum Christus promiserit Apostolis suis, & in illis toti Ecclesiæ Sanctum Spiritum, qui suggerat eis omnia quæcumque ipse dixerat & docuerat: imò cum Christus promiserit se adfuturum Ecclesiæ suę vsque ad consummationem sæculi, scilicet ad sollicitudinem excitando, auxiliando, instruendo, dirigendo, illuminando, potius impossibile est, eiusmodi Christi, & Apostolorum traditiones quæ ad fidem & religionem spectant, excidere; vel aliquâ negligentiâ, aut peruersitate corrumpi: Quemadmodùm enim diuinâ prouidentiâ & curâ principaliter traditiones ad veri Dei cultum & fidem pertinentes, sine Scriptura conseruatæ fuerunt ab Adamo vsque ad Moysem, cur non similiter possent traditiones à Christo vel Apostolis institutæ ad nos integrè transmitti.

32 Præsertim cum præter particularem Dei prouidentiam, sint aliæ plures causæ eidem subseruientes: vt inprimis sunt libri veterum Scriptorum: quamuis enim traditiones non contineantur in Scripturâ Sacrâ, tamen inueniuntur in monimentis antiquorum, & apud Ecclesiasticos Scriptores.

33 Secunda sit earundem assiduus vsus: pleræque enim traditiones sunt in continuo exercitio, vt quæ ad Sacramenta pertinent, siue vt partes essentiales, siue vt ministri, siue vt ritus & cęremoniæ. Similiter Sacrificium missæ pro viuis & defunctis, ieiunia, dies festi, cultus Sanctorum, & imaginum, & similia.

Tertia causa sunt externa quædam monimenta durationis antiquissimæ: quæ quasi digito ostendunt, & mutâ veluti actione loquuntur ipsas traditiones semper fuisse, quas Ecclesia modò obseruat: vt sunt structuræ antiquissimæ templorum & altarium, memoriæ Martyrum, sacri fontes, imagines, Cruces, & alia similis generis. 34

Quarta est hæresis ipsa, quæ perpetuò, nunc ex vnâ, nunc ex alterâ parte in diuersis fidei dogmatibus, Ecclesiam impugnat: singulis enim ætatibus exorti fuerunt hæretici, qui Ecclesiæ doctrinam & diligentiam exercuerunt: vnde diuinâ quoque prouidentiâ factum est, quod singulis ætatibus exstiterunt viri docti & Sancti, qui se istis tanquam murum pro domo Dei opponerent, & Ecclesiam propugnarent: Ad quem finem & effectum diligenter inuestigarunt illi doctrinam & sensum suorum prædecessorum, & traditiones antiquas, & magnâ vigilantiâ ac cautelâ eas ad posteros transmiserunt. 35

Quemadmodum enim illi, qui in longâ pace possident bona sua; sæpius titulos suos per incuriam ignorant, & munimenta deperdunt; ita è contra qui frequenter litibus impetuntur, & habent aduersarios bonis ipsorum insidiantes, diligentissimè aduigilare solent, vt omnia instrumenta sua, titulos, & confines exactè cognoscant, & obseruent; ac vbi periculum fuerit, ne forsitan aliqua cum lapsu temqoris obliterentur, aut excidant, tempestiuè procurant ea publicis testimonijs signari. Sic itaque continuâ Ecclesiæ luctâ cum hæreticis, fecit & adhuc facit eam studiosè sollicitam, vt per omnia conseruet antiquorum doctrinam, & intellectum in negotijs Christianæ religionis. 36

Quintò Obijciunt: Videtur hæreticorum semper fuisse proprium, obtrudere populo quod Christus & Apostoli quædam duntaxat coram omnibus, & palam docuerint, quæ scilicet scripta sunt: sed quod multa mysteria in occulto docuerit, & paucis quibusdam ea tradiderit & explicuerit. Siquidem Irenæus libro 1. capite 23. de Basilidianis scribit: quod dicant non oportere mysteria ipsorum effari; sed in abscondito per silentium continere; & cap. 24. de alijs scribit: Quod 37

N ij IESVM

IESVM dicant in mysterio discipulis, & Apostolis loquutum, & hos expostulasse, vt dignis & assentientibus seorsim hæc traderentur. Tertullianus quoque lib. de Præscriptione: Solent (inquit) dicere non omnia Apostolos sciuisse: vel omnia quidem sciuisse, sed non omnia omnibus tradidisse: ergò videtur à talibus abstinendum, & minimè ad traditiones confugiendum; sed standum in Scripturis, quæ omnibus notæ sunt. Et Confirmatur, Quia dabitur alioquin occasio plerisque effingendi quidlibet, & introducendi multa falsa, & absona sub nomine & prætextu traditionum.

38 Resp. N. C: Sunt enim hæretici quasi simię Ortodoxorum, vt notat D. Cypr. epistola ad Iubaianum: & hinc volunt, etiam quædam habere mysteria, & occultiores doctrinas: quemadmodum Ortodoxi Patres loquuti fuerunt aliquando de mysterijs Christianæ religionis, quæ non volebant passim omnibus propalari.

39 Sed multum interest inter hæreticos illos, & Orthodoxos: quia illi occultabāt quædam sua, quia turpissima, & nefanda erant, vt refert Epiphanius de Gnosticis: & August. de Hæresibus c. 46 de Manichęis. Cuius etiam generis sunt occulta & mysteria Anabaptistarū. Catholici autem occultarunt præsertim ab initio quædam suæ religionis Sacramenta propter ipsorū sanctitatem, ne si omnibus in propatulo proponerentur, indignè fortassis ab externis gentilibus tractarentur: non autem quòd lucem timerent sicut isti.

40 Deinde voluerunt hæretici mysteria religionis esse abscondita apud doctos quoque, & apud ordinarios Ecclesiæ Pastores & Prælatos: manifesta autem esse tantùm quibusdam imperitis, & plebeis per particularem instructionem & illuminationem; quod Irenæus, & Tertullianus potissimùm redarguunt in antiquis illis: quod scilicet dicerent Christum non explicuisse omnia mysteria Ecclesiæ suæ: neque Apostolos ea suis successoribus tradidisse, vt manifestè Irenæi verba præ se ferunt. Catholici autem docent Christum plenissimè tum per se, tum per Spiritum Sanctum cœlitus missum instruxisse Apostolos, & hos quoque docuisse omnia, non quidem hunc, vel illum particularem hominem duntaxat: sed ipsam Ecclesiam, ac præsertim Episcopos & Pastores, quibus cura demandata est depositi custodiendi: atque ita non hic cuilibet datur facultas obtrudendi quiduis sub nomine Traditionis.

DVBIVM III

De Regulis, & medijs quibus licet cognoscere, & discernere veras & germanas Traditiones ab alijs.

QVinque possunt assignari ad eum effectum regulæ: quarum Prima sit. Quando vniuersa Ecclesia aliquid tanquā fidei dogma tenet, & non inuenitur in sacris litteris expressum, necesse est dicere & fateri, quod ex Apostolorum traditione illud habeatur. Patet, quia vt suprà ostendimus. Non potest Ecclesia vniuersa, quæ columna est, & firmamentum veritatis, aberrare, vt tanquam diuinitùs reuelata, & fide Catholica credenda proponat, quæ talia non sunt. Quando igitur aliquod dogma, vt tale proponit: & in Scripturis nō reperitur, debet ipsa ab Apostolis hoc per traditionē accepisse: non enim nouis reuelationibus fides Catholica nūc accrescit; sed in ijs permanet quæ tradiderūt illi qui fuerunt Apostoli ministri sermonis Christi. & propterea ad Eph. 2. dicitur: *Ædificata supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum:* non tamen negamus quin aliqui articuli reuelati, aliquando minus fuerint tanquam tales cogniti, qui postmodū elucidantur, & tales declarantur per Ecclesiæ inquisitionem & definitionem. 41

Secunda regula sit: Quando vniuersa Ecclesia aliquid seruat, vt ad religionem pertinens, quod nemo instituere potuit, nisi Deus solus, quodque non inuenitur in litteris sacris scriptum, sine dubitatione etiam tenendum est, illud à Christo institutum, & ab Apostolis Ecclesiæ traditum. Rationem similem habet cum regula præcedenti. Et Confirmatur ex D. August. epistola 118. vbi arguit eos insolentissimæ insanię, qui existimāt non rectè fieri, quod vniuersa obseruat Ecclesia; aut contra illud volunt disputare. Tale quid est baptisma paruulorum: nisi enim verum esset quod Christus hoc instituisset, grauis foret error, & magna temeritas baptizare eos, qui nullum actum fidei, aut motionis in Deum habent, vel habuerunt: vnde Diuus Augustinus libro 10. de Genesi ad litteram cap. 23. Inter Apostolicas traditiones, illud reponit. Eò quoque spectat, quod Ecclesia non rebaptizet baptizatos ab hæreticis, vel infidelibus: sed baptismum illum vt validum approbet: neque enim potest Ecclesia illi dare valorem, nisi Christus etiam tales admisisset Sacramenti ministros: quod per Traditionem Ecclesia accepit, & cognouit. Hinc August. lib. 2. de Baptismo cap. 7. & alibi contra Donatistas, & quem pro se allegabant 42

bant Cyprianum, defendit principaliter valorem huius baptismi ab hæreticis collati ex consuetudine Ecclesiæ.

43 Tertia regula: Id quod in Ecclesiâ vniuersâ, & omnibus retro temporibus seruatum fuit, meritò creditur ab ipsis Apostolis institutum esse, & profluxisse, etsi alioquin tale sit, quod Ecclesiæ potestatem non excedit. Indicat hanc regulam Aug. lib. 4. de Baptismo cap. 24. Eiusmodi quid est obseruantia quadragesimæ, quia licet Ecclesia possit eam instituere, tamen sursum ascendentes, & originem eius inquirentes, deprehendimus eam omni tempore vsque ad ipsos Apostolos in vsu fuisse.

44 Quarta regula: Quando omnes Ecclesiæ Pastores, & DD. communi consensu tenent quippiam ex Apostolicâ traditione descendere, omnino tenendum est, illud Apostolicã esse traditionẽ. Ratio est, quia isti repræsentant Ecclesiam vniuersalem, & si omnes isti errarent, cùm populus debeat sequi Pastores & DD. consequenter fieret, quod Ecclesia tota in negotijs fidei, vel religionis erraret. Sic ad traditionem Apostolicam pertinere cognoscimus Cultum imaginum, quem vt talem asseruerunt Patres, & DD. Ecclesiæ in Concil. Nycæno 2. Actione vltima. Hâc ratione etiam probantur ritus baptismi pertinere ad Apostolicas traditiones; quia ita plerique Patres & DD. semper docuerunt; nec inueniuntur alij contrarium docuisse, aut aliter sensisse: quod dici potest sufficere, vt omnes communi consensu censeantur sic tenuisse.

45 Quinta & vltima regula sit: Id deniq; credendum est ex Apostolicâ traditione descendere, quod pro tali habetur in illis Ecclesijs, vbi est integra & continuata successio Episcoporum ab ipsis Apostolis. Hanc regulam statuunt Irenæus lib. 3. c. 3. & Tertull. lib. de Præscriptionibus: quia Apostoli cum officio Episcopatus tradiderunt suis successoribus & ijs quos instituebant Episcopos, etiam doctrinam Christianæ religionis, tam quoad fidem, quàm quoad mores: vt satis colligitur ex Apostolo in epist. ad Timotheum & ad Tit.

46 Et quidem olim reperiebatur successio integra, & sine interruptione in pluribus Ecclesijs, vbi Apostoli habuerant sedes suas, vt Hierosolymis, Antiochiæ, Ephesi, & alijs locis: ac propterea Tertull. remittebat ad tales Ecclesias ad cognoscendum de verâ, & Apostolicâ doctrinâ, ac traditione: sed nunc certa successio in omnibus, præterquàm in Ecclesiâ Romanâ defecit: & idcirco ex testimonio huius duntaxat, potest modo sumi firmum illius rei argumentũ; non sic ex alijs istis Ecclesijs.

DVBIVM IV.

Cuius Authoritatis haberi debeant Traditiones?

Respondeo & Dico Primò: Traditiones diuinæ & Apostolicæ sunt respectiuè paris authoritatis cum doctrinâ diuinâ, & Apostolicâ scriptâ, siue ad fidem, siue ad mores pertineant: & paris quoq; sunt dignitatis, quatenus in pari versantur materia. Declaratur: quia quod Christus docuit, vel quod Apostoli diuinitùs reuelatum receperunt, non minori fide & veneratione dignum haberi debet, si istud nobis per traditionem innotuit, quàm si per Scripturam: quia authoritas & dignitas doctrinæ non ex scriptione, & litteris: sed ex ipso magistro dictante, aut docente vel reuelante dependent. Sic etiam præcepta morum à Christo, vel Apostolis instituta pari obseruantiâ respectiuè sunt amplectẽda, siue scripta, siue tradita inueniantur. Neque enim ista Apostoli mandata de quibus 1 ad Cor. cap. 11. dicit: *Et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis*, minus obligabant Corinthios, quàm alia eius præcepta, quæ deinceps in eodem capite per epistolã superadidit, & sic de reliquis. Patent autem hæc ex Concil. Trident. Sess. 4. in Decreto de Scripturis Canonicis: & ex Patribus, vt Chrysosthomo, Basilio & alijs supra allegatis. 47

Addidi autẽ, quatenus in pari versantur materiâ, ad obuiandum offendiculo hæreticorum, quod in eo constituunt, quòd dicant Catholicos æquè æstimare minimas suas traditiones, ac ipsam Scripturam sacram. Verum etenim est, quod ęque æstiment quoad veritatem, quando Apostolicæ sunt; non autem, quantum semper est ex parte materię: sicuti & Scripturę partes omnes sunt æqualis authoritatis ex parte authoris edocentis, quamuis ratione materię, possint dici non paris esse dignitatis. 48

Dico Secundò: Similiter Ecclesiasticæ Traditiones, id est, ordinationes, siue constitutiones ab Ecclesiâ antiquitùs factæ, & solo vsu ac verbali doctrinâ ad nos deriuatæ, habent parem authoritatem cum alijs Ecclesię præceptis, & ordinationibus, quæ in sacris canonibus inueniuntur expressa. Ratio eadem est: quia nõ minor est Ecclesiæ authoritas viuâ voce duntaxat expressa & tradita, quàm scriptis cõmendata. Ad huiusmodi traditiones potest pertinere, quod matrimonium iniquo metu extortum sit inualidum, saltem iuxta eos qui tenent eiusmodi metum non inualidare iure naturæ matrimonium, & similia. 49

QVÆSTIO II.

De Actu Fidei interno.

In decem Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

An credere sit cum assensione cogitare?

1 HVIC articulo occasionem dedit: quod D. Aug. lib. de Prædestinatione Sanctorum, cap. 2. scriptũ reliquit: vbi dicit, Ipsum credere nihil aliud esse, quàm cum assensione cogitare.

2 Notat autem D. Thomas cogitare dupliciter sumi: Vno modo generaliter pro quâcumque, & qualicumque actuali consideratione intellectus: sicuti accipitur à D. Augu. lib. 14. de Trinitate cap. 7. dum ait: Hanc nunc dico intelligentiam, quâ intelligimus cogitantes. Alio modo magis strictè & propriè, scilicet pro eâ tantùm consideratione intellectus, quæ est cum quâdam inquisitione, vt est ea quę præcedit, antequam perueniatur ad eam perfectionem intellectionis, quę habetur per visionem rei.

3 Quamuis igitur D. Aug. loco citato non inuestiget ex proposito totam rationem siue definitionem actus credendi: sed solùm intendat ostendere actum credendi sine cogitatione non haberi: & proindè nec sine Dei gratia, iuxta Apostolum: nihilominus D. Thomas respondet & docet dictis Augustini verbis contineri totam rationem actus credendi, si cogitare posteriori modo capiatur: nam per hoc verbum sic acceptum, excluduntur actus intelligendi, & actus sciendi: quia hi quidem cum assensione sunt: sed non sunt cum inquisitione: sunt enim considerationes omninò formatæ per cognitionem perfectam ipsius obiecti. Excludit quoque D. Thomas alios actus intellectus adhuc informes, qui sunt cum inquisitione, vt dubitationem, suspicionem, opinionem: quia non sunt cognitiones cum assensione, seu firmissimâ adhæsione ad vnam partem. Vt verò etiam pertinax hæreticorũ error excludatur manifestius, conuenienter addi potest, Cum assensione ex reuerentia diuinæ authoritatis ortâ.

Sed pro pleniori intelligentia & explicatione eorum, quæ ad actum credendi concurrunt, vlterius obseruandum est, D. Augustinum loco allegato agnoscere duplicem cogitationem quæ ad fidem concipiendam, & exercendam concurrat: vnam scilicet præuiam, quæ voluntatem & actũ credendi antecedat, de quâ ait: Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitauerit esse credendum. Item, quod quædam cogitationes; quàuis raptim & celerrimè, semper anteuolent voluntatem credendi: & rursum; Necesse est, vt omnia quæ creduntur, præueniente cogitatione, credantur; Alteram verò, quæ sit ipsum credere: de quâ dicit, quanquam & ipsum credere nihil aliud est, quà cũ assensione cogitare. 4

Prior itaque cogitatio, de quâ Augustinus, consistit potissimùm in illo iudicio, quo homo ex notis fidei propositis & attentis, statuit & iudicat res fidei esse omninò credibiles, atque adeo secundum prudentem rationem esse amplectendas, & credendas propter diuinam authoritatem: & hoc quidem iudicium in substantiâ est naturalis adhuc ordinis: sed in modo tamen potest censeri supernaturale; fitque eo mediante quasi transitus in actibus ab ordine naturali ad supernaturalem: nam in eo fundatur voluntatis actus, siue voluntas absolutè credendi, quæ subsequitur, & in substantia est supernaturalis: non potest autẽ, saltẽ moraliter loquendo, hoc iudicium tam absolutũ vti requiritur, absq; speciali gratiæ auxilio, & interiori illustratione diuinitus concurrente, formari solis naturæ viribus: vt etiam indicauimus sup. q. 1. art. 4 & 5. nu. 147. 5

Quàuis enim notæ fidei sint tales, vt faciant res fidei euidenter credibiles, multa tamen concurrunt in mysterijs fidei quæ actum huius iudicij reddant valdè difficilem: vt inprimis, quia occurrunt non pauca quæ iuxta communem intelligendi rationem apparent inuoluere repugnantiam, ad quæ ægrius intellectus se inclinat, aut potius eleuat, iudicãda credibilia, quia supra naturalẽ eius intelligendi sunt rationẽ. 6

Deinde plurima proponuntur, à quibus sensus & affectus hominum valdè abhorrent, 7

rent, quæ etiam efficiunt iudicium illud de talibus credendis magis arduum & difficile: & quasi offuscant & impediunt, quo minus appareat, aut apprehendatur credibilitas, quæ in Notis ipsis relucet: quod impedimentum indicat Christus Ioannis 5. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* & Apostolus 1. ad Timoth. c. 1. dum scribit: *Habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt.*

8 Obseruandum Secundò, ex eodem Augustino, intellectum ad prædicationem, & sufficientem rerum fidei propositionem non ex necessitate, sed liberâ voluntate in earum moueri assensum: quod inprimis significat, quando loco citato dicit: quod quædam cogitationes voluntatem credendi anteuolent: & clariùs exprimit eodem lib. cap. 5. dum scribit: Non quia credere, vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanę; sed in electis præparatur voluntas à Domino, ideo ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est, pertinet: *Quis enim te discernit* &c. Et hinc in scripturis frequenter fides ad cor, seu voluntatem hominis refertur: vt quando ad Rom. 10. dicitur: *Corde creditur ad iustitiam:* & Lucæ 24. *O! stulti & tardi corde ad credendum.* Et rationem indicat D. Tho. quando dicit, quod intellectus credentis determinatur ad vnum, non per rationem; quodque assensus in definitione, siue verbis Augustini sumatur pro actu intellectus secundum quod à voluntate determinatur. Fundamentum itaque est: quia per solam obiecti fidei propositionem non determinatur intellectus ad vnum: vnde debet accedere alia causa determinans & applicans ad agendum: nam se ex indeterminato reducere ad determinationem, ac sese determinare ad vnum, omnibus reliquis eodem modo se habentibus, est voluntati inter potentias, proprium, quæ intrinsecè & per se libera est, non autem intellectui conuenit: & ideo debet accedere actus voluntatis qui intellectui imperet, vt rebus sic propositis assentiatur, & credat.

9 Sed occasione eius quod Augustinus dicit, fidē in voluntate esse, Quæri potest: An igitur credere sit formaliter actus voluntatis, in eâq; tanquam proprio subiecto resideat? Respondetur negatiuè: certū enim est, quod formaliter sit actus intellectus, & in eo formaliter subiectetur: quod significant litterę Sacræ diuersis locis, vt quando credere exponunt per discere, contemplari, videre: quæ omnia manifestè ad intellectum pertinēt: Ioannis c. 6. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit,* &c. 2. ad Timoth. cap. 3. *Tu verò permane in ijs quæ didicisti,* 2. ad Cor. cap. 2. *Non contemplantibus nobis* (scilicet per fidem) *quæ videntur: sed quæ non videntur.* 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate:* ac denique ex illo 2. ad Corinth. cap. 10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei:* Ad Augustinum itaque Respondetur, illa verba non habere difficultatem: quia ex adiunctis manifestum est, quod dicat fidem in voluntate esse, quia in potestâte voluntatis est, vt intellectus credat vel non credat: non autem quod voluntas actum fidei efficienter eliciat, aut elicitus in voluntate subiectetur.

Quæritur Secundò: Quomodo Diuus Thomas in descriptione actus credendi, rectè accipiat & explicet illud cogitare de cognatione cum inquisitione, cum fides hominem reddat securissimum & certissimum de veritatibus creditis, ita vt de illis nulla relinquatur dubitatio aut inuestigatio? Respondetur dupliciter posse haberi cogitationem cum inquisitione: vnò modo, vt inquisitio procedat ex dubitatione, aut aliquâ formidine de opposito quoad veritatem: Alio modo, vt ex tali fundamento non oriatur, sed teneamus veritatem tanquam certissimam: Ast verò quia rem ipsam non videmus clarè, inquirimus & adlaboramus vt possimus eam intueri. Priori modo non habet fides adiunctam inquisitionem secundum se: quamuis in cogitationibus voluntatē credendi anteuolantibus seu antecedentibus, illa sæpiùs sese immisceat, vt D. Thomas ad 3. significat. Posteriori autem modo etiam fides habet inquisitionem: quamuis enim non dubitēmus quin verissima sint, quæ credimus, nec desideremus certiores esse de fidei veritate, tamen desideramus & inquirimus, siue hîc quantum possibile est, siue in patriâ claram videre veritatem. 10

Vnde assensus fidei est quasi informis, in ratione scilicet cognitionis, vt hic indicat D. Thomas: quia non attingit rem vt est in seipsâ: sed ad hoc tendit: formabitur autem perfectè in patria per claram visionem: tunc enim animus non tendet ad vlteriorem intelligentiam; sed ibi plenè satiatus quiescet. 11

Cæterùm posset breuiter & clare definiri Credere hoc modo, vt dicatur esse, Assentiri ob diuinam authoritatem obscurè reuelantem, ac testificantem. Hic enim ponitur genus credendi, quod est assentiri: Deinde explicatur obiectum formale, scil. diuina veritas reuelans, vnde fides speciē accipit, per quod facilè potest ab alijs omnibus actibus intellectus distingui. 12

ARTICVLVS II.

Vtrùm conuenienter distinguātur actus fidei, per hoc quod est, Credere Deo, credere Deum, & credere in Deum?

13 CONCLVSIO D. Thomæ est affirmatiua. Et probat ex Augustino, qui diuersis locis, vt serm. 61 de Verbis Domini, serm. 181. de Tempore, & Tract. 29. in Ioannem, illa tria distinguit. Explicat verò D. Tho. eorum distinctionem secundū diuersam relationem actus fidei ad obiectum, quod est Deus. Siquidem quatenus Credere est ab intellectu eliciente, versatur inprimis circa Deum, seu primam veritatem vt formalem rationem, & medium credendi: sicuti supra fuit explicatum: & secundùm hoc dicimur credere Deo. Quia illi vt veritates reuelatas testificanti credimus. Deinde idem Credere etiam vt ab intellectu procedit, versatur circa Deum, tanquam materiale obiectum: & secundum hoc dicimur credere Deum, videlicet esse cum omnibus suis attributis, & perfectionibus. Tertiò, quatenus credere à voluntate imperatur, sic quoque secundum particularem respectum & rationem versatur circa Deum, vt scilicet habet rationem finis, tùm respectu intellectus, cuius suprema perfectio consistit in contemplatione & apprehensione primæ veritatis; tum etiam respectu voluntatis: idque dupliciter: vno modo, quia voluntatis est mouere omnes potentias in suos fines, & sic singularum virium fines, quatenus voluntas eos pro singulis curare debet, sunt quodammodo etiam fines ipsius. Secundò quatenus habet rationem summi boni, & sic circa illum versatur tanquam obiectum suum proprium. Iuxta hoc igitur quod ex voluntatis imperio actus fidei tendit in Deum, seu primam veritatem vt finem, sic dicimur credere in Deum. Ex quibus licet colligere quod tria ista non sint diuersi actus realiter distincti: sed in vno eodemque actu concurrant, quatenus sub diuersa ratione seu consideratione respicit idem obiectum quod est Deus.

14 Explicat autem Beda hæc breuiter sic scribens in cap. 2. Iacobi: Credere illi (inquit) est credere vera esse, quæ loquitur: Credere illum, est credere, quod ipse sit Deus: Credere in illum, est diligere illum.

15 Sed inde inferet aliquis: ergò peccatores non credunt in Deum; atque adeo falsum loquuntur, quando symbolum fidei recitant: Respondetur insistendo rigori dictæ distinctionis, sic quidem peccatores non perfecto modo credere in Deum, quod satis aperte habet Beda loco citato, dum addit: Credere Deo, & malos posse: Credere Deum & Dæmones posse; Credere in Deum soli nouere qui diligunt Deum, qui non solo nomine sunt Christiani; sed & factis & vitâ: in quibus imitatur Beda Augustinum locis supra citatis.

Addo tamē posse peccatores nihilominus, modo quodam imperfectiori dici credere in Deum: quia licet non diligant illum amore perfecto & charitate formato, qui tamen verè fideles sunt, non carent omni omnino animi & affectus tendentiâ ac motione in Deum: quamuis enim mundi & carnis illecebris & cupiditatibus possessi non valeant, aut non velint sese efficaciter resoluere, vt Deum omni creaturæ præponant, eiusque mandata omnia obseruent, nihilominus habent suas velleitates & affectus imperfectæ dilectionis, quibus suo modo desiderant & optant Dei amicitiâ, eiusque bonis frui; & ratione eiusmodi motionis animorum possunt dici credere in Deum, quamuis modo minus perfecto: & hoc sensu non erunt censendi falsum loqui, quando symbolum recitant. 16

Quo pacto & sensu docet Suarez Tom. 2. de Relig. l. 3 de Oratione vocali in communi cap. 8. Peccatores etiam obduratos posse orare & dicere in Oratione Dominica: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimitimus debitoribus nostris: modò ea proferant animo petendi dispositionem, & vt Deus animum illorum emolliat, auferendo ab eis cor lapideum, & dando cor carneum & pœnitens. Vnde addit etiam absque mendacio posse intelligi eos dicere: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; qui tamen nondum plenè remittunt, non tantùm quatenus ex personâ Ecclesiæ quæ suis debitoribus remittit debita, censentur hoc dicere, vt exponit D. Tho. 2. 2. quæst. 83. art. 16. ad 3. sed etiam vt ex personâ propriâ dicunt; quatenus confitētur necesse esse, alijs remittere debita, vt conditionem necessariam ad veniam obtinendam: quam licet nondum efficaciter ponant, tamen optant illā & supplicant pro auxilio vt eam ponant, & sic initialiter remittunt. 17

Quod itaque ad sermonem Credere in Deum attinet, haud dubiè non solis iustis tribuitur credere in Deum: nam Ioannis cap. 12. dicitur: *Ex Principibus multi crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non eijcerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam* 18

gloriam Dei. Isti enim Principes iusti non erant, neque perfecto amore Christum diligebant, vt satis Euangelista explicat: & tamen dicũtur credidisse in Christum, quia ei credendo simul affectu aliquo in eum mouebantur. Ipse quoque August. lib. de Fide & Operibus cap. vltimo dicit, Malis non sufficere ad salutem, quod credant in Christũ: vbi loquutio ista supponit, quod mali etiam possint dici credere in Deum, scilicet vel propter motum illum imperfectum tendentem in Deum vt finem: vel dicendum est, quod discrimen illud non fuerit perpetuò siue in Scripturis, siue apud Scriptores Ecclesiasticos exactissimè obseruatum; quin aliquando credere in Deũ, & credere Deo, habeantur pro ijsdem: quamuis alioquin ista phrasis credere in aliquem, habeat aliquid plus energiæ: atque adeo simul importet aliquem motum credentis in eum, in quem credere dicitur: videlicet tanquam in finem, & caput cui desideret esse coniunctus, potissimùm si modus latinè loquendi spectetur.

19 Vnde Rufinus in expositione Symboli, de hoc loquendi modo, Credere in: sic scribit: Hac itaque præpositionis sillabâ Creator, à creatura secernitur, & diuina separantur ab humanis: quod etiam docet Aug. sermone supra citato de Tempore: & tract. 54. in Ioannem, vbi dicit nos posse credere Apostolo: sed non in Apostolum. Idem ex D. Leone tradit S. Thomas.

20 Hinc patet quid respondendum sit: Si quæratur an rectè possimus dici credere in Ecclesiã? Dicendum enim est, id non propriè dici posse, propter ea quæ diximus. Vnde quod iuxta lectionem Concilij Chalcedonensis reperitur in Symbolo Constantinopolitano: Credimus in vnam Sanctam Catholicam & Apostolicã Ecclesiam, exponit D. Tho. supra ad tertium fuisse dictum per Metonymiam, vt in effectu causa intelligatur, nimirum in Ecclesiâ Sanctâ, Spiritus Sanctus sanctificans: aut dici posset id dictum ad imitationem modi loquendi Hebræorum; & nihil per hoc significari aliud, quàm si diceretur: Credo Sanctam Ecclesiam, vt exponit Epiph. in fine Anchorati: quò etiam videtur inclinari D. Hieron. in epistolam ad Philemonem. Interim verò magis genuina est cõmunis lectio, & Symboli istius recitatio, quæ habet: Et vnam Sanctam Catholicam &c. & non, In vnam.

ARTICVLVS III.

Vtrùm credere aliquid supra rationem naturalem, sit necessarium ad salutem?

Manichæi olim docuerunt nihil esse credendum, nisi quod ratione naturali euidenter probetur. Vnde totius suę doctrinæ promittebant discipulis claram scientiam, vt tradit D. Augustinus lib. de Vtilitate credendi cap. 16. vbi dicit, Se per annos complures cum illis sub eâ spe versatum. Sed rectè e contra idem Aug. ibidem cap. 16. & sequentibus ostendit, nequidem humanam vitam more humano & ciuili posse transigi absque fide aliquorum, quæ euidenter non videantur: quia omnes contractus passim, omnia fœdera, & humanę societates nituntur fide aliquarum rerum, quæ non cognoscantur euidenter: sicuti etiam hominum amicitiæ: nullus enim diligit tanquam amicum, nisi eum, à quo se credit diligi. Item iudicia & tribunalia fide nituntur. Denique pietas filiorum erga parentes, & contra parentis in filios fide humanâ nititur: neque enim filij euidenter scire possunt, qui sint eorum parentes, nisi credant: nec pater euidenter nouit prolem suam, nisi quatenus credit matri: & sic in alijs multis, ex quibus patet vanitas istorum Manichęorum. Respondeo itaque, & sit 21

Conclusio Vnica: Semper fuit, estque modò etiam necessarium ad iustitiam & salutem, credere aliqua, quæ sunt supra rationem naturalem. Quod intellige, non tantùm ex parte actus, & causæ efficientis ea quæ sunt ordinis supernaturalis propter imbecillitatem virium naturalium; sed etiã ex parte ipsius obiecti, quod scilicet oporteat credere res aliquas, quæ humano ingenio comprehendi non possunt. Probatur ex Scripturis: Id enim indicatur Psalm. 93. dum dicitur: *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt: Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tuâ docueris eum:* vbi significat cognitionem rerum, quæ humano intellectu cognosci possunt, ad beatitudinem non sufficere: sed ad eam requiri instructionem diuinam altiorem. Sapientiæ cap. 9. *Si quis fuerit consummatus inter filios hominum, si fugerit ab illo sapientia tua: in nihilum computabitur:* & ad Hebr. cap. 11. scribit Apostolus: *Est fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium:* ac proinde est rerum quæ supra naturalem nostram sunt cognitionem: & de illâ fide dicit 22

dicit ibidem: *Sine fide impossibile est placere Deo:* & ostendit illâ fide saluatos omnes antiquos Patres: idque tam in lege naturæ, quàm in lege veteri: eamque semper fuisse necessariã. Et ex exemplis quę subijcit, manifestè constat, quod ad eam fidem pertinuerit credere ea quę naturalem rationem excedunt; vt quando dicit, *Fide intelligimus aptata esse sæcula*: & similia quæ per totum eius discursum ibi miscentur.

23 Ex illo autem, *impossibile est:* colligitur, non solum necessitate præcepti, sed etiam necessitate medij requiri ad salutem consequendam, vt homo credat aliqua, quæ supra rationem sunt: quod videtur esse contra Vegam lib. 6. in Concil. Trident. capite 17. 20. & 21. Vbi dicit inprimis: Etsi quis inuincibiliter ignoraret esse vnũ Deum (quod fatetur esse impossibile) nihilominus eiusmodi hominem posse saluari stante illâ ignorantiâ, si seruaret legem naturæ: & doleret de peccatis, si quæ cõtra legem illã commisisset. Sed quia Casus ille supponitur impossibilis, docet vlterius naturalẽ cognitionẽ, quæ de Deo naturaliter potest haberi, posse ad salutem sufficere absq; fide, si quis inuincibiliter ignoraret fidem. Verùm ne hæc sententia arguatur Pelagianismi, addit eiusmodi hominẽ non iustificari sine gratiâ: quia quando habet talem cognitionem, datur auxilium voluntati necessarium; vt eliciat actum charitatis, qui in voto & implicitè continet fidem: hic enim includitur affectus, vt si sciret aliqua esse credenda ob diuinam authoritatem, vellet credere. Quod gratiæ auxilium diceret Vega similiter præstari & concurrere in eo, qui inuincibiliter ignorans Deum esse, seruaret legem naturalem, & doleret de illis, quæ contra legem commisisset, si casus ille supponatur. Existimat itaque ille fidem rerum supernaturalium necessitate medij ad salutem non requiri, dum admittit quod possit homo saluari solâ cognitione naturali vnius Dei, si absque suâ culpâ fidem ignoraret.

24 Sed isti opinioni erroneæ aduersatur Apostolus ad Hebræos loco supra citato. Quod euidentius etiam constat ex Conc. Trident. Sess. 6. cap. 8. vbi de fide supernaturali tractans, dicit, Fidem esse fundamentum & radicem omnis iustificationis, sine quâ (inquit) impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire: & cap. 7. dicit, sine fide nulli vnquam contigisse iustificationẽ. Vide Conc. Mileuit. Can. 4. & Arausic. Can. 5. Idem sumitur ex toto argumento epist. ad Rom. & epist. ad Galatas: & huc faciunt etiam alia multa Scripturæ loca; Ioan. 3. *Qui credit in filium, habet vitam æternã: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum:* ac rursum Marci 16. *Qui verò non crediderit, condemnabitur.*

Neque satisfacit figmentum illud, quo videtur huiusmodi argumenta ex Script. & Concil. velle euadere, dicendo scil. fidem esse quidem absolutè necessariam, non tamen in re, sed in re aut in voto; sicuti dici solet de baptismo. Inprimis, quia hic loquendi modus cum tali distinctione de necessitate fidei, hactenus fuit inauditus: neque habet in Scripturis, aut antiquis Patribus fundamentum. Deinde subsistere non potest: quia fides est humanæ salutis initium, vt dicit Conc. Trid. cap 8. supra citato; & fundamentum ac radix omnis iustificationis: vnde non potest aliquid antecedere, ratione cuius vel in quo dicatur quis habere fidem in voto: secus est de baptismo: quia hunc præcedunt prædicatio & auditus verbi Dei, & ex auditu fides, ad quam consequitur voluntas adimplendi omnia, quæ lex & doctrina Christiana tradunt obseruanda: & sic illis positis potest in illâ voluntate generali obseruandi omnia præcepta religionis Christianæ, haberi implicitè votum baptismi: vel etiam explicitè formari tale votum siue voluntas suscipiendi baptismum, etsi nondum in rę suscipiatur. Hoc autem votum tenuit semper Ecclesia sufficere, quando debitæ dispositiones adsunt, & realis susceptio baptismi haberi non potest. Præterea si dicatur fides aliquando haberi in voto, quod ad iustitiam sufficiat, multo magis videbitur id dici posse de charitate: quia hanc antecedunt fides, & spes: & quædam aliæ bonæ in Deum affectiones: atqui nullus dixerit aliquem posse saluari per charitatem, quã habet in voto: & non in re: ergò &c. 25

Probatur Conclusio denique ratione: Primò, quia fini debent esse consentanea & proportionata media; atqui finis noster, scilicet beatifica Dei visio, est supernaturalis: ergò & media scilicet cognitio & amor, quibus ad illum tenditur & peruenitur, debent esse supernaturalia. Confirmatur: quia finis iste est perfecta Dei & diuinorum mysteriorum scientia: atqui rationi consonum est, vt ad plenam tantę rei visionem non perueniatur, nisi prius credendo iuxta illud Isaiæ 7. *Nisi credideritis, non intelligetis*, iuxta versionem 70. 26

Secundò, vt tendat homo in finem supernaturalem, debet illum cognoscere, & media quibus ad illum itur; quæ non potest solâ ratione naturali intelligere: quia hæc non dictat Deum velle hominem admittere ad tale consortium gloriæ suæ: neque explicat media, quibus eò peruenirĩ debeat: 27

debeat: ergò ad salutem necessarium est, vt quæ supra rationem sunt, & Dei tantùm reuelatione cognoscuntur, credantur.

28 Tertiò, si cognitio, quæ solis naturæ viribus haberi potest, aliquando sufficiat ad iustitiam consequendam; ergò principium salutis erit ex nobis; quod est Pelagianum. Et patet, quia principium salutis incipit ab eâ Dei cognitione, quæ sufficit ad pœnitentiam & charitatem consequendam. Vnde D. August. sæpe docet, principium salutis ex nobis fore, si vel fides, vel initium fidei, siue affectus credendi ex nobis esset. De quo licet illum videre lib. de Prædestinatione Sanctorum, vbi per plura capita eam doctrinam tradit: & lib. 1. Retract. cap. 23.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm credere ea, quæ naturali ratione probari possunt, sit necessarium?

29 CONCLVSIO D. Thomæ est affirmatiua, scilicet, quod oporteat quędam credere, quæ alioquin etiam probari possunt naturali ratione. Talia sunt, quod sit Deus, quod sit omnipotens, habeat omnium rerum prouidentiam, & similia. Affert autem D. Thomas huius suę conclusionis tres rationes. Prima est, quia de his fides est necessaria, vt citius ad eorum cognitionem homo perueniat: quandoquidem enim sint fundamenta bonæ ac honestæ vitę, debet statim eorum cognitio comparari & haberi: ergò necessarium est ea credere: nam ratione naturali tardiùs aut seriùs solent ista cognosci. Secunda, quia fides horum est necessaria, vt cognitio sit vniuersalior & pluribus communis: nam pauci hæc valent solâ ratione naturali penetrare.

30 Tertia, vt cognitio sit quoque firmior, & absque periculo erroris. Ratio enim humana in ijs quę Dei sunt, seu in diuinis rebus intelligendis multum est deficiens: nam Philosophi non tantùm in illis, sed etiam de rebus humanis, & creatis naturali inquisitione perscrutantes, errauerunt in pluribus, & sibi contraria statuerunt: vt igitur indubitata & certa cognitio apud homines de Deo haberetur, oportuit (inquit D. Tho.) quod diuina eis per modum fidei traderentur, tanquam à Deo dicta, qui mentiri non potest.

31 His licet addere quartam rationem: quia harũ rerum cognitio, vt sit regula & mensura operum supernaturalium, quibus in Deũ tendimus vt finem supernaturalem, debet esse supernaturalis: quia requiritur vt sit proportio inter cognitionem dirigentem actionem ad finem, & inter ipsas actiones, ipsumque finem.

ARTIC. V. VI. VII. & VIII.

Vtrùm homo teneatur ad credendum aliquid explicitè?
Vtrùm omnes teneãtur ad habendum fidem explicitam?
Vtrùm explicitè credere mysterium Incarnationis Christi, sit de necessitate salutis apud omnes?
Vtrùm explicitè credere Trinitatem, sit de necessitate salutis?

QVatuor hos Articulos, propter materiæ connexionem, vnà explicabimus: ne sæpius idem cum tœdio & ordine confuso dicere & repetere cogamur. Pro explicatione itaque & intelligentia doctrinæ horum Articulorum: Notandum dum Primò, Illa nos dici credere explicitè, quibus, vt sub proprijs & particularibus terminis nobis propositis & expressis, assentimur: v. g. credit explicitè mysterium Incarnationis, qui credit filium Dei hypostaticè assumpsisse humanam naturam, & Christum esse Deum & hominem: sic credit explicitè mysterium Trinitatis, qui credit Patrem, Filium & Spiritũ Sanctum esse vnũ Deum, & tres personas. Implicitè autem credimus illa, quæ fide tenemus in alio, siue tanquã in principio vniuersaliori in quo ea continentur; siue tanquam in sententia & sensu Magistri fidei, cui adhæremus, siue tanquam in figurâ vel vmbrâ, quam scimus non carere significatione: quàmuis rem significatam non clarè & particulariter cognoscamus. 32

Notandum Secundò: Dupliciter aliquid dici ad salutem necessarium, videlicet, vt necessarium necessitate medij, & vt necessarium necessitate præcepti. Priori modo necessarium est illud, sine quo salus obtineri simpliciter non potest, quàcumque ex causa illud abesse contingat; etiãsi absit absque nouâ culpâ, aut præcepti alicuius violatione. Posteriori autem modo necessarium dicitur, quod quidem demandatum est vt fiat, sic tamen, vt si absque nouâ culpâ contingat abesse: v. g. ex ignoran- 33

ignorantiâ inculpabili, tum defectus eius non impediat salutem.

34 Notandum Tertiò: In adultis solere ex necessitate medij oriri necessitatẽ præcepti eiusdem obiecti, modo cognita sit necessitas medij. Quando autem inuincibiliter necessitas illa ignoraretur, tunc absque nouâ culpâ contingeret medium istud non adhiberi, quia ignorantia inuincibilis excusaret ab obligatione illius præcepti, quod dicimus ex necessitate medij nasci: nihilominus propter obices peccati siue originalis, siue personalis non remotos, talis damnaretur, quia absque medio tali adhibito, liberari à peccatis, & saluari non potest.

35 Notandum Quartò: à SS. Patribus & Doctoribus distingui diuersos mundi, siue humani generis status: v. g. Primum ponunt qui fuit innocentiæ ante lapsum primorum parentum; Alterum, qui fuit post lapsum ante datam legem in manu Moysis: Tertium, qui fuit à datâ lege vsque ad Christi aduentum: Quartum denique, qui comitatur & sequitur aduentum Christi.

36 Notandum Quintò: Inter homines in omni etiam statu, fuisse diuersos ordines in negotijs religionis; vt sicuti alij alijs præessent: sic quoque alij ab alijs erudirentur, & instruerentur in rebus fidei, & religionis diuinæ: quidam enim maiores peculiariter semper fuerunt à Deo illuminati & edocti in diuinis rebus, quibus incumberet, vt alios instruerent: Nunc sit

37 CONCLVSIO Prima: In omni statu humani generis debuit & debet homo credere quædam ad fidem spectantia explicitè, non tantùm necessitate præcepti sed etiam medij in ordine ad salutem consequendam. Est D. Tho. hic a. 5. & communis aliorum: loquimur autem de homine adulto: & sic patet ex doctrinâ Apostoli ad Hebr. cap. 11. *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est: & inquirentibus se, remunerator sit:* vnde ad salutem non fuerit satis, si quis dicat, se credere omnia quæ parentes sui credunt, aut quæ Pastores vel Doctores credenda proponunt: & interim nullum fidei articulum in particulari & sub proprijs terminis, siue de Deo, siue de Christo cognosceret: debent enim omnes ad Deum accedentes credere explicitè, quia est: (& proinde quod creator noster est, nosque eius simus factura) & quia bonorum remunerator est: vt constat ex verbis Apostoli allegatis: ac proinde credere debent Dei prouidentiã; & eius in bonis operibus remunerãdis, & in malis puniendis iustitiam: quia absque horum explicitâ agnitione, & fide, non potest homo aut legitimè Deum colere, aut vitam & actiones conuenienter in Deum, vt finem dirigere.

CONCLVSIO Secunda: In statu innocentiæ, si in eo homo perseuerasset, omnes habituri erant explicitam fidem, non tantùm vnius Dei, & attributorum seu perfectionũ essentialiũ eius; sed etiam mysterij Sanctissimę Trinitatis: quin & ipsius Incarnationis Verbi diuini, si supponamus illud mysterium fuisse futurum, etiam si homo ab originali iustitiâ non excidisset: cuius tamen oppositũ existimamus longè verius cum D. Tho. & alijs 3. p. qu. Probatur, Quia inprimis de mysterio Trinitatis dubium esse non potest; cum hæc ipsa sit finis supernaturalis in ordine ad quem consequendũ homo in tantâ iustitiæ perfectione conditus erat: atque adeo primarium beatitudinis in patriâ obiectum: quare illa saltẽ fide cognosci debuisset in viâ: non enim finis ille, ad quem ex diuinâ ordinatione omnes tendere debebãt, poterat ignorari, priusquam suo vitio homo erroneam in viam declinauerat: neque conueniebat eos ignorare principale bonum, quod tanquam præmium viæ suæ intendebant & sperabant. Similiter ignorare nõ debuissent mysterium Incarnationis, nam Filius Incarnatus siue Christus fuisset etiam secundarium beatitudinis obiectum & ad perfectionem & dignitatem naturæ humanæ plurimum contulisset, quamuis liberationẽ à peccatis (quam supponimus non futuram fuisse necessariam) nnn præstitisset. Quare verisimile nõ est, quod mysterium illud hominem in statu innocentiæ latuisset. 38

Et Cõfirmatur: Quia communis est SS. Patrum sententia primum hominem Adamum agnouisse illud ante lapsum suum; quia futurum erat, siue ex occasione præuisi lapsus, siue ex aliâ causâ: de qnibus in 3. parte disputatur: ergò sine dubio quoque erat cogniturus, etsi in iustitiâ perseueraturus fuisset, modò supponatur Verbum diuinum assumpturum carnem, etsi primi parentes non peccassent. Patet consequentia: Quia illius cognitio non magis spectabat modò ad statũ Innocentię, imò fortassis minus, quàm tum pertinuisset. 39

Antecedens probant S. Patres ex illo Genes. c. 2. *Hoc nunc, os ex ossibus meis, & caro de carne mea* &c. *quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vnâ.* Probant (inquam) ex istis cum adiunctâ eorum explicatione, quam habet Apostolus ad Ephes. cap. 5. dum scribit: *Sacramentũ hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Ita D. Hier. ad citata verba Apostoli in epistolam ad Ephes. D. August. lib. 9. de Genesi ad litteram 40

litteram cap. 19. Tertull. lib. de Anima cap. 11. & 21. Prosper de promissionibus & prædictionibus Dei: parte 1. cap. 1. Et quidem verba Adami continere prophetiam Incarnationis Christi, ex doctrinâ Apostoli allegata manifeste conuincitur: non est autem verisimile, Adamum in illo perfectionis statu, omnino mystici intellectus ignarum prophetasse adinstar Caiphæ dicentis, *Expedit vnum hominem mori pro populo:* vt habetur apud Ioannem c. 18.

41 Quamuis interim hoc admittendum sit, (quod plures etiam Patres indicant) nimirum non plenè omnia, saltem quoad modos & circumstantias, Adamo tunc innotuisse, quæ diuina illâ ac mysticâ sententiâ præfigurabantur: nam etiam in illâ sacramentum Crucis, ac mortis Dominicæ insinuatur: dum enim formatur Eua ex latere dormientis viri, indicatur Dormitio Christi per mortem in Cruce; & præsignatur formanda Ecclesia ex latere illius, quod lanceâ aperiendum erat: quæ sic futura, Adam tunc nondum intelligebat. Vnde D. Tho. hic art. 7. in Corpore docet, Adamum habuisse explicitam fidem de Christi Incarnatione, vt ordinabatur ad consummationem gloriæ; non autem vt ordinabatur ad liberationem à peccato, per passionem & resurrectionem.

42 Conclvsio Tertia: Quæcumque fides, siue explicita, siue implicita, quæ in quocumque statu fuit, aut est ex parte suâ sufficiens ad gratiam iustificationis obtinendam, eadem quoque semper fuit ac modò est sufficiens ad consequendam salutem, & vitam æternam. Est communis DD. contra quosdam recentiores, vt Melchiorem Canum Relectione de Sacramentis in communi: parte 2. quæst. 2. concl. 3. à Castro lib. 2. de Lege pænali cap. 14. & Bannesium hic articulo 8. in fine. Et Probatur Primò: quia gratia iustificationis & sanctificationis est gratia adoptionis filiorum Dei, quæ hominem constituit formaliter Dei filium, & confert spiritum in quo clamamus, Abba pater: vnde iustificatus omnis est filius: Quod si filius, ergo & hæres: vt argumentatur Apostolus ad Rom. 8. Si autem hæres, ergo non potest ab hæreditate sine iniuria secludi. Rursum gratia sanctificationis est aqua illa saliens in vitam æternam: de quâ Christus apud Ioannem; ergò fides quæ sufficit ad iustitiam, sufficit quoque ad salutem, & vitam æternam. Secundò, quia Concil. Flor. in Litteris vnionis definit, Omnes illos mox ad vitam ingredi, qui hinc discesserint in iustitiâ plenè purgati: quod falsum esset, si aliqui sint iusti, quibus ob defectum duntaxat explicatioris fidei, non pateret aditus ad cœlum: quia hi etsi plenè ab omni reatu culpæ & pœnæ essent purgati, non mox ingrederentur ad vitam.

Absq; fundamento autem respondetur, fieri non posse, vt tales iustificati moriantur, priusquam vlteriorem fidem explicitam acquisierint: neque enim constat de aliquâ diuinâ promissione desuper: neque talis Dei prouidentia nobis explicata existit contra omnes occurrentes occasiones talium quâ præseruandi sint, donec fidem plenius didicerint. 43

Neque etiam ad rem loquuntur, qui dicunt, eos mox ad vitam quidem ingredi; quia statim vt anima à corpore soluitur, ediscit explicitè, quæ implicitè prius tenebat: eoque sensu ad salutem eis esse necessariam fidem explicitam, quæ non erat necessaria ad iustitiam: nam sic loquendo cum parvuli à baptismo hinc migrantes discant quoque actu & explicitè, quæ habitu duntaxat tenebant, oporteret etiam dicere, fidem illorum cum infusâ iustitiâ non sufficere ad regnum cœleste, sed etiam in illis requiri fidem actualem, & explicatiorem, vt vitam æternam consequantur: quod nullus Catholicorum Doctorum dixerit. 44

Accedit, quod cognitio quam anima tunc acquirit; dum iustificata & plenè purgata hinc discesserit, vt in paruulis contingit, non sit cognitio fidei aut viæ: sed visionis & Patriæ. Tertiò D. August. in Pelagianis reprehendit, quod agnoscerent siue docerent paruulos ante baptismum innoxios & iustos; & tamen negarent eos peruenire posse ad beatitudinem cœlestem, & diuinam visionem, si absque baptismo morerentur. Supponebat igitur Aug. præter libertatem à peccatis, & obtentam iustitiam nihil posse aut debere vlterius requiri ad consequendam vitam beatam & cœlestem. Denique nec Scripturæ sacræ, nec Concilia, vel antiquiores Scholastici hic vllam ponunt distinctionem inter necessaria ad iustitiam sanctificantem, modò illa conseruetur; & inter requisita ad cœlestem beatitudinem, vbi homo fuerit ab omni reatu plenè purgatus. 45

Sed contra Obijciunt Primò ex Diuo Augustino: qui lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. sic scribit: In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum, sicut in Catechumenis; sicut in ipso Cornelio antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ: In quibusdam verò tanta, vt iam corpori Christi, & sancto Dei templo deputentur. 46

Respondetur, Illam Augustini doctrinā nostræ conclusioni magis fauere, quàm ipsis, qui eam opponunt: prioribus enim verbis solùm docet dari quandam inchoatam gratiam fidei, & imperfectam iustitiam, vt quando ex auditu concipitur fides cum quodam timore pœnarum vitæ futuræ, ac forsitan etiam cum aliquali displicentiā malæ vitæ ante actæ, vel etiam cum affectu imperfecto iustitiæ: quodque eiusmodi gratia fidei nondum sufficiat ad regnum obtinendum: sed non dicit quoq; eam sufficere ad sanctificationem, & adoptionem in Dei filium consequendam. Imò posterioribus verbis contrarium significat: nam illis adæquat, & eandem agnoscit iustitiam quæ sufficiat, vt quis sancto Dei templo deputetur, & vt corpori Christi, videlicet tanquam membrum viuum, vniatur.

47 Objiciunt Secundò: Cornelius Centurio Act. 10. dicitur fuisse religiosus & timens Deum: item quod orationes eius & eleemosynæ ascenderint in memoriam in conspectu Domini: imò ibidem expressè dicitur, iustus & timens Deum: & tamen ob defectum explicitæ fidei in Christum, non poterat saluari, vt colligitur ex capite 11. sequenti: vbi dicitur, quod iussus fuerit accersire Petrum qui loqueretur ei verba, in quibus ipse saluus fieret, & domus eius vniuersa: ergò &c.

48 Respondetur duas hic esse opiniones de iustitiā Cornelij, antequam accersiuisset Petrum: quidam enim existimāt eum verè fuisse iustificatum, quando Petrum accersiri curabat: alij verò id negant: Qui priorem sententiam sequi voluerint, dicent Cornelium fuisse de numero illorum qui attingebant duo tempora, in quibus concurrebant duo iustificandi modi: & fuisse illum ante Euangelij promulgationem iustificatum, & in eo proinde locum habuisse modum iustificationis obtinendæ ante Christi aduentum vsitatum: sed tamen quia contingebat tempus noui testamenti, eum quoque fuisse obligatum diuino præcepto, credere in Christum: quam fidei legem non poterat diu ignorare; quia iam in locis vicinis Euangelium prædicabatur. Fuit autem ad illum missus Angelus, tum vt citius fidem Christi disceret, & per eam in iustitia cresceret, & confirmaretur: tum quoque, ne propter ignorantiam futuram forsitan culpabilem, à iustitia excideret: vnde rectè illi dictum est: quod Petrus eum edoceret, in quibus saluus fieret.

49 Sed sententia altera videtur verior, quæ dicit Cornelium non fuisse iustificatum antequam Petrum audiret: quod docet B. Aug. de prædestinatione Sanctorum c. 7. & lib. 1. ad Simplicianum q. 2. verbis supra citatis: & Chrys. hom. de Fide & Lege naturæ: Vocari autem virum religiosum, & timentem Deū, quia habebat quasdam ad iustitiā dispositiones, quibus ad perfectiorem iustitiam præparabatur & tendebat: sicuti de peccatoribus dicere solemus: quod tum religiosè & timoratè viuant, quando timore Dei percussi ad iustitiam sese disponere obseruantur. Itaque vt perfectè iustifi caretur Cornelius fuit ad eum missus Petrus, qui fidem Christi illi explicaret; non autem ne plenè iustificatus nō admitteretur ad vitam beatam ob defectum fidei non satis explicitæ.

Nec refert quod dicatur etiam iustus, antequam audiuerit Petrum: quia id non dicitur nisi ex parte illorū qui missi erant à Cornelio ad Petrum, qui nondum intelligebant, in quo consisteret vera iustitia: sed loquebantur generali & vulgari modo de illo, vt homine bono & iusto. Fuit tamen Cornelius iustificatus ante realem baptismi susceptionem, quando scilicet Petro catechizante ac instruente illos in fide, cecidit super eos Spiritus Sanctus, vt docet August. lib. 4. contra Donatistas cap. 21. & 24. Sed hoc alterius est loci. 50

Objiciunt Tertiò: In lege veteri multi fuerunt iustificati per fidem implicitam Incarnationis: nulli tamen admissi sunt ad regnum, nisi post quàm in purgatorio, vel lymbo explicatiùs mysterium illud didicissent: ergò &c. 51

Respondetur non idcirco fideles & iustos ante Christum fuisse in lymbo detentos, quia explicitam fidem de Incarnatione Christi non haberent: nam & illi qui explicitam habuerant: vt Abraham, Moyses, Isaias, alijque Maiores populi, inter quos etiam aliqui viderant Christum præsentem, vt Symeon, Ioannes Baptista, subierunt eandem sortem: sed aliâ de causâ: Ideoque etiam illos qui nihil purgandum habebant, tum detentos fuisse extra regnū: quia scilicet nondum propalata erat Sanctorum via, adhuc priore tabernaculo habente statum; donec Pontifex noster Christus per proprium sanguinem introisset semel in Sancta: vt dicitur ad Hebr. c. 9. & quando initiauit nobis viam nouam: vt dicitur ad Hebr. cap. 10.

Conclusio Quarta: Fides explicita mysterij Incarnationis filij Dei non fuit ante Christi aduentum, neque ad iustitiam obtinendam, neque ad salutem, necessaria necessitate medij: imò nec in præcepto, saltem quoad omnes homines. Probatur Primò ex Scripturis: ad Gal. cap. 3. *Prius autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat.* 52

Itaque

Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, &c. ergò qui quasi in puerili ætate continebantur sub pædagogo ducente ad Christum, in figuris & sub velamine tenentes ea quæ reuelanda erant, non caruerunt medijs, & modis iustificationis & salutis. Confirmatur, nam etiam parvulus qui sub Pædagogo est, & sub Actoribus & Tutoribus, hæres est omnium, vt habet idem Apostolus capite sequenti. Item ad Ephes. cap. 3. scribit de mysterio Christi: *Quod alijs generationibus non est agnitum* (inquit) *filijs hominum, sicuti nunc reuelatum est Sanctis Apostolis eius, & Prophetis eius in spiritu*: & cap. 1. ad Coloss. de eodem dicit: *Quod absconditum fuit sæculis & generationibus, nunc autem manifestatum est Sanctis eius*, &c. atqui ea quę fuerunt absolutè necessaria ad iustitiam & salutem, non fuerunt à sæculis & generationibus abscondita, & incognita filijs hominum: fuerunt enim in præcedentibus quoque sæculis & generationibus fideles & iusti, non tantùm magni illi viri, vt Patriarchæ & Prophetæ: sed etiam multi de communi plebe: ergò mysterium Incarnationis explicitè cognitum & creditum non fuit de numero illorum, quæ tunc erant absolutè necessaria ad iustitiam & salutem.

53 Probatur Secundò: quia ita senserunt antiqui Patres: Euseb. lib. 7. de Præparatione Euangelica c. 3. D. Aug lib. 19. contra Faustum cap. 14. D. Chrys. hom. 37. in Matth vnde huc etiam referunt scissionē veli in morte Christi, quam docent significasse manifestiùs & clariùs reuelanda mysteria, quæ de Christo erant in lege, & Prophetis obscuriùs præsignata. Vide D. Aug. lib. de Spir. & Litt. cap. 15. & Enchirid. c. 118. & Originē ad c. 27. Matthæi.

54 D. Bernardus verò planè ex proposito epist. 77. ad Hugonem de Sancto Victore, refutat opinionem contrariam diuersis argumentis; inter quæ multum vrget illud, quod qui aliud docet aut sentit, faciat Deū ante aduentum Christi vel nimis circa hominum salutem parcum, vel in excellentioribus donis & prærogatiuis concedendis immodicè profusum: aut enim numerum electorum (inquit) illius temporis sub paucitatem redigit rarissimorum spiritualium, quos præ suæ sanctitatis speciali excellentiâ insignes illustresque illis temporibus exstitisse, ac singulari munere spiritus singula, vt futura erant, præuidere certissimè potuisse Scriptura commemorat; & sic nimis abbreuiat manum Dei, dum præter paucos illos perfectissimos, neminem eo tempore putat potuisse saluari, aut certè si & illa tempora multitudinem saluandorum, etiam præter istos habuisse nō diffiteatur, magnam, sed inauditam, veteri populo diuini muneris largitatem asserit collatam: cum enim ex illis (scilicet quæ nunc de mysterio Christi explicitè credimus) quippiam tunc nec scriptum manifeste, nec publicè prædicatum fuisse, manifestum sit, restat, inquit, vt fateamur omnia omnibus per spiritum reuelata fuisse, & sic omnes spirituales, omnes perfectos, omnes exstitisse Prophetas: & sic fuit antiquis tēporibus, aut perrara salus, aut nimis numerosa perfectio: vtrumque autem reijcit consequenter Bernardus.

Et tandem concludit: Quanti hodie profecto in populo Christiano, vitæ æternæ, sæculique futuri quod indubitanter sperant & credunt, & ardenter desiderāt, formam tamen ac statum ne cogitare quidem tenuiter norunt: Ita ergò multi ante Saluatoris aduentum, Deum omnipotentem tenentes, & diligentes suæ salutis gratuitum promissorem, credentes in promissione fidelē, sperantes certissimum redemptorē, in hâc fide & exspectatione saluati sunt, licet quando, qualiter, quo ordine salus repromissa fieret, ignorarent. Quam doctrinā suam confirmat authoritate venerabilis Bedæ. 55

Dixi in Conclusione: Non tantum non fuisse illam explicitam fidem necessariam necessitate medij, sed neque præcepti: quia quandoquidem ex dictis pateat vulgares fuisse absque illâ explicitâ saluatos, consequenter manifestum euadit, neque ex præcepto eos fuisse obligatos ad fidem explicitam illam tenendam. Addidi tamen saltē, nō quoad omnes: quia non improbabiliter existimant nonnulli, Maiores & præpositos Sacrorum debuisse ex præcepto habere fidem explicitam Incarnationis: pro quo adducunt D. Thom. hic art. 7. vbi dicit passionem Christi ante legem, & sub lege fuisse præsignatam quibusdam Sacrificijs: quorum sacrificiorum (inquit) significatum explicitè cognoscebant Maiores: quibus verbis volunt D. Tho. non tantùm docere illos quomodolibet cognouisse, sed quasi ex officio; atque adeo ex præcepto, quod etiam ratione potest confirmari: quia conueniebat, vt qui sacrificijs præerant, eorum significationes & mysteria explicatiùs, & distinctiùs cognoscerēt: alioquin si & hi ista ignorarent, inutilis videretur eorum significatio, & omnis circa eiusmodi mysteria defuisset populi instructio. 56

Nihilominus tamen non minus probabiliter alij sentiunt, nequidem Maiores omnes, qui ordinariâ viâ succedebāt ad Officia sacrorum, fuisse ex præcepto obligatos ad explicitam istorum cognitionem & 57

fidem: nam & rariores ex illis videntur ad illam intelligentiam peruenisse. Vnde D. Thomas 3. parte q. 47. art. 5. dicit, Principes Iudæorum cognouisse quidem Christum fuisse Messiam: sed tamen ignorasse esse Deum. Nicodemus quoque, qui erat magister in Israël, parum aut nihil de misterio Incarnationis Verbi intelligebat, vt patet ex verbis Christi Ioannis 3. quin & ipsi Apostoli & multi discipuli, qui Domino prædicante, iusti erant, non tamen misterium Incarnationis tunc explicitè cognoscebant: Ita vt etiam Domino apertè prædicente, non satis intellexerint eius passionem & resurrectionem.

58 Conclvsio Quinta: Omninò tamen dicendum est, quod mox à peccato primorum parentum, misterium istud fuerit quibusdam reuelatum, & omni tempore ab aliquibus maioribus explicitè cognitum & creditum. Docet hoc propriè D. Thomas verbis supra citatis: & Hugo De Sacramentis: parte 10. cap. 6. vbi scribit: In Ecclesia Dei ab initio fidem & cognitionem fuisse credimus Incarnationis, & passionis Christi: quia ab initio nonquam defuerunt qui hoc cognouerunt: alij saluabantur, quia horum perfectioni fide simplici iungebantur, & eos bene operando sequebantur. Idem docet D. Bernardus epistola supra citata: vbi dicit, antiquis temporibus paucos admodum, & perfectiores nouisse fidem, quam nunc omnis populus Christianus scire debet, & confiteri: quod & alij Sancti Patres passim tradunt.

59 Quod itaque attinet ad Confirmationē suprà adductam ad ostendendum, quòd omnes maiores ex præcepto obligarentur ad hanc explicitam fidem, Respondetur ad priorem partem, Non idcirco inutilem fuisse significationem, quia licet non perfectè eam intelligerent omnes maiores, tamen imperfectiori modo cognoscebant ibi præfigurari modum & formam purgationis à peccatis & salutis dandæ. Accedit, quod semper, vt diximus, fuerint aliqui, qui perfectè intelligerent. Ad partem autem posteriorem Respondetur ex Diuo Bernardo suprà: quòd illis temporibus misteria sacrificijs & çæremonijs Legalibus adumbrata, non debuerint tunc clarâ & manifestâ expositione populo explicari: nam vt D. Bern. ibidē supponit, homines qui istorum habebant spiritualē intelligentiam, accipiebant eam, non passim ex aliorum prædicatione aut doctrinâ: sed immediatè ex diuinâ instructione, & vnctione Spiritus Sancti. Quare non incumbebat præfectis sacrorum ex officio tradere explicitam cognitionem eorum, quæ in sacrificijs & çæremonijs præfigurabantur, ipsi populo.

Conclvsio Sexta: A lapsu primorum parentum fuit omnibus necessaria omni tempore ad iustitiam, fides saltem implicita misterij Incarnationis & redēptionis per Christum faciendæ. Est communis Doctorum in 3. dist. 25. & in 4. dist. 1. ac Diui Thomæ hic art. 7. 60

Probatur Primò: Quia generatim indicant Scripturæ sacræ diuersis locis, neminem vnquàm absq; hâc fide, ad minùs implicitâ, ad iustitiam & salutem peruenisse. Sapient. cap. 9. *Per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi Domine à principio.* Isaiæ cap. 28. *Ecce ego mittam in fundamentu Syon lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum.* &c. vbi significatur ciuitatem Syon, siue ciuitatem populi Dei, siue Fidelium fundari super lapidem vnum, qui non est alius quam Christus Dominus. Est autem ciuitas fidelium vna ab initio huc vsque, & fundamentum aliud nemo vnquam potuit ponere: ergò omnes qui in hoc ædificio mistico sunt, inniti debent suo modo huic fundamento, scilicet Christo Domino per fidem. Huic consonat testimonium D. Petri Act. c. 4. quando ad verba Prophetæ subijcit: *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Ad Rom. cap. 3. *Iustitia Dei per fidem* Iesv *Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt in eū,* & posteà: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo* Iesv. Huc etiam facit quod Ozeę 13. sub persona Christi dicitur: *Ero mors tua! ô mors,* &c. Nullus igitur nisi per Christum & fidem in illum tanquam per aspectum ad Æneum serpentem de mandato Dei à Moyse erectum, mortem euadit. Vnde & Apocal. cap. 1. dicitur de Christo, quod haberet claues mortis & inferni.

Probatur Secundò ex sanctis Patribus: D. Hieron. in cap. 2. ad Galatas: Admonere debemus (inquit) sanctos, qui antiquitus fuerunt, ex fide Christi iustificatos: siquidem Abraham vidit diem Christi, & lætatus est, &c. D. Aug. lib. 18. de Ciuitate cap. 47. vbi tractans de illis qui olim Deo placuerunt, adiungit: quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui diuinitùs reuelatus est vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesvs, qui venturus in carne, sic antiquitus prænuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatum est. 61

Sed ne quis hinc inferat Diuum Augustinum requirere cognitionem & fidem explicitam mysterij Incarnationis ad iustitiam, etiam ante Christi aduentum; Obseruan- 62

seruandum est, quod sese explicet alijs locis: vt epistola 47. quæst. 2. & libro 19. contra Faustum capite 14. & Enchiridij capite 118. vbi etiam docet neminem Antiquorum, præter fidem Christi, salutem inuenire: sed simul adiungit: Quæ quidem gratia nec antea defuit, quibus impertiri eam oportuit, quamuis pro temporis dispensatione (inquit) velata & occulta: quo satis indicat, non explicitam & manifestam fidem se requirere pro Antiquis temporibus: sed saltem implicitam & sub vmbris ac figuris velatam. Prosper in illud Psalmi 104. *Nolite tangere Christos meos*: Qui scilicet electi (inquit) ideo tunc christi dicti sunt, quia & ipsi in eâ viuebant fide, quæ erat nouissimis temporibus reuelanda: ab initio & omnibus sanctis non nisi in Christo iustificatio fuit. Diuus Leo sermone decimo tertio de Passione, latè docet per eandem fidem omnium sæculorum, Iustos esse renouatos: & sermone decimo quarto. Hoc consilium misericordiæ & iustitiæ Dei, licet in præteritis sæculis quibusdam velaminibus fuerit obumbratum &c. Diuus Gregor. hom. 17. in Ezechielem huic proposito misticè accommodat, quod in Euangelio dicitur: *Et qui præibant, & qui sequebantur, clamabant, dicentes: Osanna*, &c. Omnes electi, inquit, in mediatorem Dei & hominum crediderunt, & credunt: qui præierunt, & qui sequuntur, Osanna clamant, &c. Idem docet D. Bern. loco & verbis citatis suprà.

63 Sed Controuersia inter Scholasticos mouetur, qualis debuerit esse fides illa implicitâ de Christo?

D. Thomas hic artic. 7. ad 3. indicare videtur suffecisse fidem diuinæ prouidentiæ, quâ homo crederet Deum esse liberatorem hominum, secundum modos sibi placitos: quam opinionem sequuntur Soto de natura & gratia cap. 11. & 12. Caietan. & Bannesius hoc loco: Hugo etiam de Sancto Victore loco supra citato docet, ante Legem simplicibus non fuisse necessarium credere, vel generatim quod Deus missurus esset aliquem redemptorem: sed solum, quod Deus modo sibi placenti à peccatis eos esset liberaturus: tempore autē Legis debuisse ab omnibus credi, quod Deus eis esset missurus aliquem liberatorem.

64 Sed verisimilius est, eiusmodi fidem de aliquo mittēdo redemptore fuisse semper necessariam, etiam ante legem: nec vnquā fuisse satis fidem illam generalem de diuinâ prouidentiâ circa hominum salutem. Ita sentiunt Bonauent. in 3. dist. 25. art. 1. Albertus art. 2. Gabr. ibidem, & in eandē opinionem propendet Scotus qu. 1. n. 9.

Probatur Primò: Quia fides illa de diuinâ prouidentiâ circa liberationē & salutē hominū videtur generalior, quam vt in eâ dici possit includi implicita fides Christi & mediatoris: quia etsi non fuisset venturus aliquis mediator aut redemptor, tamē subsisteret fides de diuinâ prouidentiâ circa hominum salutem. 65 Secundò: Quia omnia testimonia pro Conclusione ante positâ tā ex Scripturis, quam ex SS. PP. adducta satis significant, non qualemcumque implicitam fidem Christi fuisse necessariam: sed talem quæ versaretur circa aliquem particularem mediatorem ac redemptorem, qui à Deo mittendus erat: quamuis non fuerit necessarium explicitè & clarè cognoscere & credere, quod ille futurus erat filius Dei ac Deus, qui carnem assumeret: quodque per passionem & mortem cum rigore iustitiæ pro peccatis satisfaceret, & sic hominem redimeret, &c.

Vbi etiam aduerte, sanctos Patres sæpiùs inculcare nos, & veteres per eandem fidē mediatoris iustificari: quomodo autem poterit dici eadem fides mediatoris, si illi pænitus ignorabant, an esset futurus aliquis mediator, an non? Certè eo modo potuisset quoque dici eadem ipsorum & nostra fides, quamuis illi absque mediatore per solam gratuitam remissionem peccatorum, liberaliter à Deo factam, fuissent saluati: & nos per Christi merita & satisfactionem. Vide Diuum Leonem sermone decimo quarto de Passione: & Bernard. epistola supra citata: vbi agens de implicita veterum fide de Christo, dicit quod erant sperantes certissimum redemptorē. 66

Probatur Tertiò: Quia mox à lapsu primorum parentū aperuit Dominus hoc mysterium de particulari liberatore venturo: quando serpenti maledicendo dixit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum*, &c. quod hauddubie Adam cognouit, & filijs ac posteris pro ipsorum solatio & spe redemptionis tradidit, & communicauit. 67

His addi potest & ratio congruentiæ: quia cum Christus sit causa vniuersalis salutis hominum, oportuit merito quod omnes eum aliquo modo cognoscerent, & illi per fidem ac spem vnirentur, credendo scilicet Deum missurum aliquem, qui foret illi acceptus & gratissimus, cuius intercessione, meritis, & sacrificio Deus sibi hominem reconciliaret: atque ita simul sperando, quod illius venturi mediatoris operâ & meritis possent consequi veniā peccatorum & salutem. Vide Ruardū ad Articulum 8. Louaniens. contra Lutherum. 68

Sed obijcitur: Mediator venturus primū omnium dicitur promissus Abrahamo: de- 69

 inde

inde Dauidi, & Salomoni, vt habet Diuus Hieron. in cap. 1. Matthæi ad illa verba, *Filij Abraham*: ergò saltem ante illud tempus non fuit necessaria fides liberationis faciendæ per aliquem mediatorem. Præterea post Abraham videtur etiam res illa soli eius posteritati innotuisse.

70 Respondetur Neg. Omnium primùm Abrahamo factam promissionem de venturo mediatore, quia & Adam in statu innocentię cognouit mysterium Incarnationis, quamuis non sub ratione redemptionis per Christum faciendæ, vt antè diximus. Deinde etiã statim post lapsum Deus prædixit & promisit nobis liberatorem in verbis iam antè citatis ex cap. 3. Genes. Enoch quoque, qui fuit septimus ab Adamo, habuit notitiam vnius redemptoris Christi: quia vt scribit Iudas in epistola sua Canonicâ, prophetauit ipse Enoch de aduentu Domini ad iudicium. Similiter Iob, qui Iudæus non erat, habuit fidem vnius redemptoris sui, vt patet ex cap. 19. quod etiam amici eius non videntur ignorasse. Balaam quoque cum esset gentilis valdè manifestè prophetauit de Christo: lib. Numer. cap. 23. Denique Sybillæ apud Ethnicos multa quoque ediderunt de Christo vaticinia. Quare Deus ab initio satis videtur mundo patefecisse venturum vnum aliquem, qui humano generi adferret remedium & salutem, ita vt omnibus meritò dici possit, huius cognitio & fides necessaria, iuxta scripturas allegatas, in ordine ad iustitiam & vitam recuperandam. Dicitur autem Christus primùm omnium promissus Abrahamo, quia illi primùm fuit promissum, quod ex eius posteritate esset nasciturus: & quod in semine illius, benedicerentur omnes gẽtes: non autem quod nulla prioribus temporibus facta esset promissio Christi seu Messiæ aut Saluatoris venturi.

71 Obijcitur Secundò: Eusebius lib. 7 de præparatione Euangelicâ, cap. 3. scribit: Abrahamo Scriptura mirabilem Iustitiam, quam non à Moysaicâ Lege, sed naturali fuit ratione consecutus, summâ cũ laude attestatur: quibus videtur significare ante Legem ad iustitiam suffecisse cognitionẽ naturalem Dei, & rerum diuinarum: ergò non fuit necessaria fides alicuius redemptoris. Et D. Chrysost. homil. 37. in Matthæum: Poterant homines (inquit) tunc etiam Christum non confessi, saluari: non enim Christi qui nondum venerat, cultus ab eis petebatur: sed vt idolorum cultu spreto, solum Deum conditorem omnium noscerent; ergò &c.

72 Respondetur ad Eusebium, Quod tantùm doceat, homines potuisse consequi iustitiam in statu naturæ, quando non Lege aliquâ diuinâ positiuâ, sed ductu naturalis rationis adhuc viuebant: sic tamen vt licet absque Lege, dicat Abrahamum fuisse iustificatum, & quidem excellenter, non tamen excludat fidem & gratiam: subiungit enim ex Scripturis Abrahamum per fidem consecutum fuisse iustitiam; quod & patet ex alijs adiunctis quæ tractat de Enoch.

Ad Chrysost. Respondetur, eum loqui de explicatâ fide Christi, quâ scilicet cognosceretur non tantùm vt venturus aliquis mediator; sed tanquam filius Dei, & vt Deus: quod scilicet absque tali confessione Christi, & cultu potuerint tunc homines saluari: quæ tamen fides & confessio ac cultus nobis modò ad iustitiam & salutem sunt necessaria; quod & ipsa eius verba allegata satis manifestè important.

CONCLVSIO Septima: In ipso Christi aduentu, & mox ab eius passione, nondum promulgato sufficienter per orbem Euangelio, non fuit omnibus necessarium necessitate medij, credere explicitè mysterium Incarnationis Christi. 73

Probatur: Quia vt Diuus Bernardus epistola citata contra quendam, qui asserebat ex quo primum dictum à Domino legitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto*, &c. ex eo neminem absque eodem percepto actualiter visibili Sacramẽto, vel eius vice martyrio, vllatenus potuisse saluari, rectè arguit: Durum nimis austerũq; videtur, quod videlicet Verbum absconditum palam iam noceat, & antè iudex feriat, quàm minetur, quodque interim quod in tenebris & in aure loquitur Saluator, nondum quidem saluet, quia nõdum apparet: & iam mundum impleat condemnatis: & paulò infrà: Quis ita sapiat? non equidem vitæ concordat authori, morte quam exterminare venerat, vti mox in initio viarum suarum ad præiudicium, cœleste adhuc recentissimum ignorantis edictum. Nefas est profectò sentire de omnium largitore bonorum, quod tam malum principium dederit, adueniens. Et rursum: quod ergo sciri non poterat, nisi audiretur: valde quippe iniustè (inquit) exigitur obeditio, vbi non præcesserit auditio; num gentem ignorantem & iustam, vt cum Ethnico loquar (inquit paulò supra) debuit interficere Deus? neque mysterium Christi, sicuti & Baptismi eius, est tale quod & absque promulgatione naturalis Lex ignorare non fineret. Vide ibidem plura similia.

CONCLVSIO Octaua: Quando tamen cæpit Euangelium prædicari, etiam antequam sufficienter per totum orbem 74
esset

esset promulgatum, tenebantur illi quibus annūciabatur, necessitate præcepti credere explicitè in Christum. Patet ex cap. vltimo Marci: *Qui verò non crediderit, condemnabitur:* ad Euangelij enim prædicationem comitabatur pręceptum, quo auditores iam sufficienter instructi Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis, obligabantur illud credere, & amplecti.

75 CONCLVSIO Nona: Sufficienter per orbem diuulgato Christi Euangelio, cœpit necessaria esse necessitate medij ad iustitiam omnibus adultis explicita fides Christi: quâ scil. credatur Dei filiū assumpsisse humanam naturam, ipsumque esse verum Deum & hominem, qui in hunc mundum venit, vt humanum genus morte suâ redimeret, ac Deo Patri reconciliaret. Est communior Theologorum sententia. Colligitur ex Diuo Thomâ: Hic enim art. 7. habet: Post tempus gratiæ reuelatæ, tam maiores, quàm minores tenentur habere fidem explicitam de mysterijs Christi, præcipuè quantum ad ea quæ communiter in Ecclesiâ solemnizantur, & publicè proponuntur, sicut sunt articuli Incarnationis: Et in 3. distinct. 25. qu. 2. art. 2. vult hanc fidem adeò esse necessariam, vt si quis non haberet prædicationem, Deus ei esset reuelaturus, nisi per culpam suam poneret obicem. Quod bene in DiuoThomâ est notandum, inprimis contra eos qui existimant explicitam illam fidem non esse necessariam ad consequendam iustitiam, quamuis admittant eam requiri ad consecutionem gloriæ, quos supra reiecimus. Deinde contra opinionem Andreæ Vegæ & plurium aliorum, qui putant eam tantum esse necessariam necessitate præcepti, non medij: nam si ita esset, non opus foret quod Deus per se reuelaret eis qui inculpabiliter ob defectum prædicatoris, hæc ignorarent. Tertiò, contra illos qui admittunt extraordinariè saltem posse contingere, vt quis etiam saluetur, qui non crediderit explicitè in Christum.

76 Pro eâdem sententiâ allegantur ex antiquioribus Magister in 3. distinct. 25. Albertus ibidem quæst. 2. artic. 6. Bonauent. ibidem artic. 1. quæst. 5. & Scotus quæst. 1. Gabriel eâdem distinct. qu. vnica. Alensis 3. parte quæst. 82. memb. 3. artic. 1. qui licet disertis verbis eam non expresserint, tamen præsupposuisse omnino videntur. Manifestius autem tenent eandem Durand. cit. dist. 25. q. 1. Carthus. in 3. quæst. 1. & ex recentioribus A Valentia tom. 3. disp. 1. quæst. 2. puncto 4. Sanchez in Decalog. lib. 2. c. 2. Lorinus in c. 2. Act. Apostol: Lorca 2. 2. disp. 22. Tannerus tom. 3. disp. 1. De Fide qu. 7. dub. 2. Malderus hic. quæst. 2. art. 7. & Louanienses contra Lutherum Artic. 8. qui ita habet: Ad iustificationem ante omnia necessaria est in adultis fides, quâ certò credimus Christum IESVM esse filium Dei, pro nobis propitiatorem à patre popositum pro peccatis nostris in sanguine ipsius, sine quâ nullis nostris operibus, nullâque pœnitentiâ iustificatio obtineri potest. Et Ruardus ad dictum articulum pag. 10. sic scribit: Sed necessaria fuit hæc fides vsque ad Euangelij manifestationem distincta vel velata: in aperto, vel in mysterio, vt docet Magister post Beatum Augustinum inquit: Nunc autem necessaria est distincta, & expressa mediatoris fides.

Et Probatur Primò ex Scripturis Ioannis cap. 3. *Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat: sed habeat vitam æternam.* Hic significat Christus fidem in ipsum, esse necessariam ad euitandam perditionem, & consequendam vitā æternam: quemadmodū filijs Israël lęsis à serpētibus, necessarius fuit aspectus ad serpentem æneum à Moyse in deserto erectū. 77

Dicet aliquis: verba Christi allegata: *Ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum,* &c. non videntur plus importare, quàm quod fides in Christum crucifixum valeat ad euadendam mortē, & ad vitam consequendam: non autem quod absque illâ non sit alia ratio aut via euadendi mortem. 78

Respondetur Negando Assumptum: Comparatio enim à Christo instituta amplius requirit & importat: quia non tantùm aspectus ad æneum serpentem inter alia media, valebat ad sanandos læsos; sed erat medium necessarium, neq; erat alius modus aut medium consequendi sanationem à morsibus serpentum: & ita quoque significat Christus fidē in filium hominis in cruce exaltatum, se habere in ordine, vt quis non pereat, sed habeat vitam æternam. Quod eodem capite alijs verbis clarissimè exprimit, vt dum dicit: *Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credidit in nomine vnigeniti filij Dei:* & in fine capitis: *Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam: sed ira Dei manet super eum.* Quòd autem loquatur de fide explicita Verbi incarnati, & crucifixi, manifestum est ex eo quod addit: *Quia non credidit in nomine vnigeniti filij Dei.* Item, *Qui incredulus est filio*: & ex illo quod præmisit: *Ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum,* &c. 79

80 Quodque hanc requirat, non tantùm ad consequendam vitam æternam, vt Melch. Canus, a Castro & Bannesius volunt: sed etiam ad iustitiam, inde patet: quia non solum dicit: *Qui incredulus est filio, non videbit vitam*: verum etiam addit: *Sed ira Dei manet super eum*. Quod valdè notandum est contra prædictos Authores.

81 Rursum, quod loquatur de tempore noui Testamenti, similiter constat ex his adiunctis: *Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum: & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*. Ioan. c. 17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti* IESVM *Christum*: hic significat Dominus tam necessariam esse fidem in ipsum tanquam missum à Deo vt nobis sit mediator, quàm fidem vnius veri Dei, ad hoc vt quis vitam æternam possit adipisci. Ad Rom. cap. 10. *Hoc est verbum fidei quod prædicauimus: quia si confitearis in ore tuo Dominum* IESVM, *& in corde tuo credideris quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris*. Vbi explicitam fidem mortis & resurrectionis Christi requirit Apostolus. Vide eundem eâdem epist. cap. 3. & ad Gal. 2.

82 Probatur Secundò ex Diuo Augustino, qui libro de Correptione & gratia cap. 7. habet; quod non se liberabunt, qui dicere poterunt, se non audiuisse Christi Euangelium: putauit ergò fidem Euangelij esse medium necessarium, vt quis à damnatione & morte liberetur: vnde & infrà eodem capite docet, quod absque dubio Deus procurabit Euangelium ab omnibus audiri & credi: qui diuinæ gratiæ largitate discreti sunt ab originali damnatione. quod necessarium non foret, si per implicitam fidem, quæ versetur circa diuinam prouidentiam quoad hominum liberationem & salutem, possemus ad iustitiā peruenire: & de prędestinatione Sanctorum cap. 7. Si posset sine Christi fide (inquit) esse saluus (scilicet Cornelius Centurio) non ad eum ædificandum mitteretur Architectus Petrus. Huc etiam facit quod habetur Extrauagante, Vnam sanctam. vbi dicitur, eos qui nihil audierunt de Christo, non posse esse de Ecclesiâ, in quâ est vna Fides, vnus Baptismus, & extra quam non est salus, aut peccatorum remissio.

83 Probatur tandem ratione congruentię: quia supra ostensum est, quomodo antè Christi aduentum fuerit semper adultis necessaria fides de aliquo vēturo mediatore inter Deū & homines, licet non secundū determinatas eius qualitates: ergò cōueniēs est, vt postquā iste iam venerit, & sese mūdo exhibuerit, & qualitates ac Legationem suam exposuerit; ac cum hominibus conuersatus est, requiratur vt ab omnibus talis, qualis est, credatur & colatur; & liberationem per mortem eius homines agnoscant: vt sic Dei erga se benignitatem, misericordiam, & clementiam amplius confiteantur, ac venerentur.

Confirmatur: Quia status nouæ Legis, est status perfectionis, in quo, veritas antea velata, & figuris varijs adumbrata, tandem manifestè fuit patefacta: meritò igitur existimatur, nūc requiri cognitionem perfectiorem, & fidē magis explicitā redemptionis hominum, quàm olim. Cuius rei signum quoque est, quod Apostoli & primi Euangelij annunciatores mox hanc fidem explicitam omnibus vbique inculcarunt: & quidem sub eâ verborum formâ, vt significarent sine illâ non posse haberi peccatorum remissionem, aut salutem.

Sed contrà Obijcitur Primò: Vera de peccatis contritio, & perfecta Dei dilectio super omnia, sunt dispositiones vltimæ ad iustitiam, ita vt illis positis infallibiliter homini infundatur iustitia: atqui possunt illæ haberi absque explicitâ fide mysterij Incarnationis, ac redemptionis per Christum factæ: ergò &c. 84

Confirmatur Minor: Quia in multis iustis simplicioribus veteris Legis fuerunt istæ dispositiones absq; explicitâ eiusmodi fide; quia vera fides vnius Dei, qui bonis reddat præmia, & malis supplicia cum agnitione peccati, videtur ex parte intellectus sufficiens fundamentum, vt homo inde, cum diuino adiutorio, possit peruenire ad perfectam de peccatis contritionem, & veram Dei dilectionem; ergò &c.

Respondetur admissâ Maiore, loquendo de contritione & dilectione ordinis supernaturalis, negando Minorem: & ad Confirmationem Respondetur: Dispositiones ad iustificationem prærequisitas non omnino naturali & necessario ordine esse perpetuò inter se connexas: neque priorem naturaliter & necessariò causare, vel adducere posteriorem: sed eas inter se cohærere, & antecedenter aut subsequenter ad se mutuo poni secundum liberam Dei ordinationem congruis rationibus subnixam. 85

Quare licet antiquitùs, quando erant tempora infantiæ, vmbrarum, ac imaginum, Deus ad fidem illam obscuriorem & minus perfectam præhabitam, promouerit tunc aliquos ad reliquas dispositiones; atque adeo ad ipsam iustitiam, non tamen sequitur, quod idcirco etiam illud modò faciat: quia postquàm venit plenitudo temporis, & misit Deus filium Saluatorē, iam oportuit euacuasse ea quę sunt paruuli, & 86

vuli, & deponere velamen figurarum. Vnde meritò exigit perfectiorem omnium diuinorum mysteriorum, ac præsertim redemptionis nostræ agnitionem & fidem: quod & ratio suadet, vt ex antè dictis euidens est: Et probatur ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 6. vbi de modo præparandi ac disponendi se nunc ad iustitiam, ita scribit. Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuinâ gratiâ & adiuti, fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum, credentes vera esse quæ diuinitùs reuelata & promissa; atque illud inprimis, à Deo iustificari impium per gratiam eius per redemptionē, quæ est in Christo IESV. Nunc ergo absque fide explicitâ Christi nemo promouetur ad vltimas illas dispositiones supernaturales: & sic neque ad iustitiam: quia illa, iuxta diuinam ordinationem, modò prærequiritur.

87 Obijcitur Secundò: Si Euangelio sufficienter promulgato per orbem, explicita hæc fides demùm fit necessaria necessitate medij, ergo non videbitur sic necessaria nisi circa finem mundi: neque enim prædicatum fuerit Euangeliū per totum mundum, nisi quando instabit consumatio sæculi: quod inprimis indicat Christus Mat. 10. *Dico vobis, non consummabitis ciuitates Israël, donec veniat filius hominis.* & Matth. 24. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio:* & ita docere videtur D. August. epist. 78. & 80. ad Hesichium: & lib. de Natura & Gratia cap. 2. & alibi, ergò &c.

88 Respondetur Neg. Conseq. & pro responsione ad Confirmationem, notandum est, Dupliciter dici posse Euangelium prędicatum per vniuersum orbem: vno modo sic vt vbique ad omnes mundi partes fuerint Euangelij annuntiatores: ibidemque Euangelium prædicauerint: & hoc sensu accipienda sunt verba Christi ex Matthæo allegata, prout ea intellexisse videtur Aug. locis citatis: sed alio modo dici quoque potest Euangelium annuntiatum seu diuulgatum per totum orbem: quando scilicet in principalioribus, ac mundi famosioribus partibus, aut prouincijs vel regnis prædicatum est; ex quibus ad alia etiam loca eius aliqua notitia, saltem per famam, defertur.

89 Quo sensu videtur Apostolus loquutus aliquoties in suis epistolis, vt 1. ad Thess. cap. 1. *Non solum in Macedonia & Achaiâ, sed & in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est:* Item ad Rom. 1. *Quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo:* & cap. 10. *Numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Neque enim vsquam locorum latere poterat quod Romæ palam & constanter prædicabatur. Cuius enim nationis homines in hac vrbe tunc non essent? aut quæ vsquam gentes ignorarent, quæ Roma didicisset: vt habet D. Leo Serm. 1. De natali Petri & Pauli. Et sic etiam rectè intelligitur D. Chrys. dixisse hom. 76. in Matth. quod viginti, aut ad summum triginta annis ad omnes oras orbis Euangelium transcurrerit.

Ad illa igitur quæ in Confirmationem adducta sunt, dicendum est, ea tantùm demonstrare, Euangelium priori modo non citiùs esse per totum mundum prædicandum: sed satis est, vt illa necessitas explicitæ fidei censeatur omnibus adultis iniecta, quod Euangeliū posteriori saltem modo, per totum orbem fuerit divulgatum, quod manifestè sequitur ex doctrina D. August. lib. de Corrept. & gratia cap. 7. 90

CONCLVSIO Decima: Explicita fides Sanctissimæ Trinitatis non fuit necessaria necessitate medij; imo nec præcepti in ordine ad omnes homines temporibus antiquis ante Christi aduentum. Ita communiter docent Scholastici, & 91

Probatur Primò, quia mysterium Trinitatis nunquam fuit apertè & palam traditum ante natiuitatem Christi: ac proinde neq; communiter fuit à fidelibus istorum temporum cognitum: poterant ergo fideles tunc saluari absq; fide explicita illius; alioqui haud dubiè diuina prouidentia non permisisset illud passim à fidelibus ignorari; sed reuelasset apertiùs, & fecisset manifestiùs explicari, & populo fideli innotescere.

Probatur Secundò: Quia non fuit temporibus illis necessaria fides explicita mysterij Incarnationis, vt iam ostensum fuit: ergo nec Trinitatis, quia vtriusque videtur par ratio: imò potiori de causâ debuisset requiri cognitio Incarnationis, vtpote quę propiùs nos tangit, & peculiari modo deseruiuit liberationi generis humani, ergò &c. Non est tamen negandum, quin Maiores aliqui, etiam istis temporibus, habuerint fidem explicitam mysterij Trinitatis, quibus illud peculiariter fuerit reuelatum; vt Abraham, Dauid, Isaias, & alij, qui posita eiusmodi reuelatione eis factâ, etiam ex pręcepto tunc debuerunt illud credere, & propterea in conclusione, quando dixi fidem illam non fuisse necessariam, nequidem necessitate præcepti, addidi, saltem quoad omnes. 92

CONCLVSIO Vndecima: Explicita fides Sanctissimæ Trinitatis hoc tempore noui Testamenti necessaria est necessitate medij. Indicat hic D. Tho. art. 8. vbi dicit 93

post

post tempus Gratiæ diuulgatæ omnes teneri ad explicitè credendum mysterium Trinitatis: & ita docent Mald. Gregor. à Valent. Tannerus supra: & plerique alij citati pro conclusione 9.

Probatur Primò: Quia explicita fides Incarnationis est necessaria necessitate medij tempore noui Testamenti, vt ostensum fuit: ergo & explicita fides Trinitatis: quia non potest illa sine hac haberi: non enim potest quis explicitè filium Dei incarnatum & conceptum de Spiritu Sancto credere, nisi explicitè credat totam Trinitatem: quia dum credit filium in diuinis, credit quoque patrem, sine quo non potest filius intelligi. Secundò, quia non renascimur in Christo, nisi expressâ inuocatione Sanctissimæ Trinitatis: debet enim Baptismus, qui dicitur Sacramentum fidei, conferri in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Tertiò, quia Trinitas est principale obiectū beatitudinis quam speramus: ergo explicita eius fides, postquàm filius Dei in carne apparuit, & cum hominibus conuersatus est; ac ipsa Trinitas tota clarè se manifestauit ad Iordanem, quando Christus à Ioanne baptizatus fuit, dum vox Patris audita est, & Spiritus Sanctus in specie columbæ descendit, meritò requiritur ex necessitate ad salutem in filijs noui Testamenti.

94 Sed contra tàm hanc, quàm contra conclusionem nonam, vlteriùs opponitur: Nimis apparet rigidum ac durum dicere, fidem explicitam Incarnationis filij Dei, & redemptionis nostræ per mortem illius in cruce, ac mysterij Sanctissimę Trinitatis, esse adultis omnibus necessariam necessitate medij, ad peccatorum remissionem, & salutem consequendam: idque tum, quia quasi infiniti homines per orbem terrarum non habent Euangelij præcones, neque Christianę fidei magistros, à quibus possint ista mysteria, valdè supra naturalem omnem rationem eleuata, addiscere, & in eis instrui: tum etiam, quia plurimi simpliciores Christiani ita videntur rudes ac hebeti ingenio, vt nequaquā possint intelligere vel apprehendere, quid sit, In Deo esse vnam naturam diuinam, & tres personas distinctas: imò nec valeant concipere quid sit natura: quid persona.

95 Quare ingens Christianorum multitudo, vitæ alioquin satis probatæ, videbitur à consecutione salutis secludenda, tantummodò propter defectum istius explicitæ fidei, quam assequi non sufficit propter ingenij tarditatem: Si enim necessitate medij dicatur necessaria, non excusabuntur propter impossibilitatem, siue illa ex defectu Magistrorum fidei, siue ex naturali incapacitate auditorum obueniat: sicuti excusari poterunt, si ponatur solum necessaria necessitate præcepti: Vnde via salutis nunc possit videri difficilior, quam temporibus antiquis. Non igitur apparet existimandum, quod Deus illam fidem explicitam vt medium absolutè necessarium requirat.

Respondetur: Etsi lex Christiana dici non debeat nimis rigida vel dura, tamen est ardua & perfecta: Vnde multa quoque continet præcepta infirmo homini nondū plenè per gratiā sanato, valde grauia: vt quod inimicum, non solum odisse non possit, sed & illū diligere teneatur. Quēadmodū autē affectui malè sano obijciuntur difficultates & certamina non exigua ex normâ & regulâ Christianæ vitæ; ita quoq; ex lege fidei Christi occurrunt plura, quæ obscurato & ad terrena semper intento intellectui sint difficilia, non solùm in credendo, sed etiam in discendo vt credat. Sublimis enim est vita Christiana, & sublimem habet finem. Quare mirum videri non debet, quod regula illi dirigendę proportionata multùm sit eleuata, & non sine labore addiscatur. 96

Quod igitur ad allegata incommoda attinet: Respondetur ad prius: Quemadmodum infiniti quasi homines sunt, qui dicuntur non habere Euangelij Christi præcones, ita quoque fuerunt antiquitus, & etiam nunc sunt quasi infiniti, qui non habuerunt, & qui modò non habent Magistros, à quibus instruantur circa illa obiecta rationem naturalē excedentia, quorum explicita fides omni tempore, in omni statu, communi omnium sententiâ & iudicio, fuit necessaria necessitate medij ad consequendam peccatorum remissionem & iustitiam: vt sunt infectio hominis per peccatum, in quo nascitur; diuina prouidentia circa liberationem hominis ab illo & alijs peccatis: Iustitia Dei circa hominum actiones & opera, quâ condignis supplicijs mala puniat, & bona condignis præmijs remuneret, non semper hic temporaliter, sed potissimum in futuro sæculo, æternaliter: & proinde etiam immortalitas animæ, & similia: & tamen nullus idcirco, quia tam multi sunt qui idoneos magistros non habuerunt, & nunc sunt qui non habent, à quibus illa discant, existimat fidem istorum explicitam non fuisse & esse necessariam necessitate medij, ad salutem: nec arguit quisquam doctrinam, quæ hanc ponit necessitatem, tanquam nimis rigidam, aut nimis duram: nisi quis opponat Vegā, de quo suprà egimus: qui fortassis eâ de causâ cognitionem 97

naturalem

naturalem posse sufficere existimauit ad consequendam iustitiam cum fide in voto, vt ibi explicuimus: verùm ab omnibus ille reijcitur.

98 Et sanè tam Deo est facile per suã vnctionem intus, vel per angelum instruere homines sine magistro de mysterijs Incarnationis & Redemptionis per Christum, & Sanctissimæ Trinitatis, quàm de istis alijs quæ omnes fatentur, vt diximus, debere fide explicitâ ab omnibus teneri: vel etiam prædicatores mittere, qui sicut in his, ita in illis eos instruant. Quod addo: ne quis in eo forsitan ponat discrimen: Nemo enim potest solâ naturali inuestigatione sufficienter illa cognoscere & credere in ordine ad salutem.

99 Quare nullus debet, nec meritò potest propter eiusmodi argumentum moueri, vt hanc fidei explicitę perfectionem dicat non esse mediũ necessarium ad iustitiæ & salutis consecutionẽ: Sed inde magis oportet cum animi dimissione venerari iudicia Dei, Qui est *terribilis in consilijs super filios hominum*, vt canit Psaltes Psalm. 65. & *Qui annunciat verbum suum Iacob: Iustitias & iudicia sua Israël*: &, *Non fecit taliter omni nationi: & Iudicia sua non manifestauit eis*: vt idem Propheta canit Psalm. 147. atque ita cum gratiarum actione recognoscere & confiteri misericordias Domini magnas super nos, Et cum D. Augustino lib. 9. Confess. cap. 6. suauiter considerare altitudinem consiliorum Dei super salute humani generis. Vtrùm verò habeant omnes auxiliũ Dei, & lumẽ sufficiens, quibus possint peruenire etiam isti in cognitionem necessariã fidei, disputauimus 1. 2. q. 111. a. 3.

100 Ad posterius autem incommodum allegatum Respondetur, Non requiri vt omnes mysteria illa intelligant, sed vt credant: quia fides, non tam consistit in intelligentiâ rerum, quam in assensu: vnde bene D. Augustinus de talibus dixit libro contra Epistolam Fundamenti capite 4. Turbam non intelligendi viuacitas: sed credendi simplicitas tutissimam facit: & Tract. 4. in Ioannem: Quid est fides, nisi credere, quod non vides. Hinc Enchiridij cap. 9. docet, nobis non esse necessariam rerum & causarum cognitionem: sed (inquit) satis est Christiano rerum creatarum causam, siue cœlestium, siue terrestrium, siue visibilium, siue inuisibilium, non nisi bonitatem credere Creatoris, qui vnus & verus est Deus: nullamque esse naturam, quæ non, aut ipse sit, aut ab ipso: eumque esse Trinitatem, Patrem scilicet & Filium à Patre genitum, & Spiritum Sanctum ab eodem Patre & Filio procedentem.

101 Sufficit itaque iuxta hanc D. Augustini doctrinam simplicioribus, quod credant mysterium Sanctiss. Trinitatis sub illis suis terminis, etiamsi ignorarent ea, quæ spectant ad illius explicationem: quod quidã sentiunt voluisse Scotum in 3. dist. 25. quando scribit: Si sit aliquis rudis, qui non possit concipere, quid est natura, & quid persona, non est necesse quod habeat actum explicitum de articulo pertinente ad essentiæ vnitatem & personarum Trinitatem distinctè, sicut habent Clerici literati: sed sufficit quod credat (scilicet illud mysterium sub suis terminis proprijs propositum) sicut Ecclesia credit, scilicet in illo sensu & intellectu, quoad pleniorem eius explicationem.

Quæ satis concordant cũ eo quod scribit Azorius Tom. 1. lib. 8. cap. 6. qu. 6. scilicet, sufficere fidem explicitam mysterij Trinitatis quoad substantiam, scilicet Credere Deum esse Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & hos tres nequaquã esse tres Deos, sed esse vnum Deũ: Similiter quoq; fidẽ mysterij Incarnationis: scilicet credere Christum Filium Dei natum ex Virgine, & pro nostra salute crucifixum & mortuum. Quibus tamen addo, neminem rationis vsu pollentem, censendum tam obtusum ac hebetem, quin adhibitâ instructione, possit saltem generali aliquo & confuso conceptu apprehẽdere, quid sit natura, & quid tres personæ, eumq; conceptum generalem secundũ sensum Ecclesiæ, applicare Deo quando credit Deum esse vnum in substãtia, & trinum in personis: siue esse Patrem & Filium & Spiritum S. & esse vnum Deum. 102

Cæterùm quidquid sit, speculatiuè loquendo, de oppositæ sententiæ probabilitate, quæ videtur nimis in libris inculcari, hoc interim indubitatum debet esse apud omnes, quod periculosa sit in praxi, vtpote quę sub specie humanitatis & commiserationis erga miseros & rudes, potest esse causa vel occasio perditionis multorum, & nulli penè seruire bono, vel adferre adiumentum ad salutem. Si enim à parte rei ex Dei ordinatione & decreto fides explicita istorum mysteriorum necessaria sit necessitate medij, iuxta doctrinam quã sequimur, nulla probabilitas sententiæ alterius poterit hic defectum illius supplere: quemadmodum aliquando supplet defectum eius quod tantùm ex præcepto est necessariũ, quando per alios docetur probabiliter nõ esse necessarium. Quid ergò superest, nisi vt tum in Episcopis, Pastoribus, Confessarijs, Catechistis, tum in ipsis fidelibus causet vel occasionem præbeat negligentiæ & socordiæ: in illis quoad debitam sollicitudinem suos instruendi; 103

ſtruendi: in populo autem quoad debitam diligentiam, quam oportet adhibere in addiſcendis ijs, quæ ſcitu ſunt neceſſaria ad ſalutem. Facilè enim omnes ſibi indulgent, & ſub titulo ruditatis & incapacitatis plebis, exiſtimabunt illi ſe non obligatos ad tantas operas impendendas in inſtruendo, & plebs putabit ſe à neceſſitate præcepti quaſi abſolui propter diſcendi, vt loquuntur, impoſſibilitatē. Cū tamen ſi omnes ex vtraque parte debitum explerent officium, contingeret fidelem populum ſufficienter eſſe inſtructum in ijs, quæ fidei ſunt & pietatis: ad quod haud dubiè magis excitabuntur omnes, ſi intelligant abſq; iſtorum cognitione, nullam ſupereſſe ſpem ſalutis.

104 His ſic explicatis, quoad ea potiſſimum quæ explicitè credenda ſunt neceſſariò neceſſitate medij, ſupereſt vt particularius ſubijciamus ea, quæ tempore nouæ legis neceſſariò ſunt homini Chriſtiano cognoſcenda & credenda explicitè ex neceſſitate præcepti: Vbi hoc inprimis ſuppono, omnes ex præcepto obligari explicitè ſcire & credere illa omnia, quæ explicitè credenda ſunt neceſſitate medij: hoc enim citra controuerſiam tenent DD. omnes: Ratio enim naturalis dictat, quod Deus qui voluit hominem per certa media tendere ad talem finem, is quoque voluerit & obligauerit hominem illa media applicare, quæ ex parte eius ſecundum diuinam ordinationem ſunt neceſſaria ad illius finis conſecutionem. Similiter ſuppono illa quoque omnia neceſſariò ex obligatione præcepti cognoſcenda & credenda, quorum cognitio eſt neceſſaria ad rectè & honeſtè viuendum in ordine ad finem ſupernaturalem, ad quem conditi ſumus: quia qui alicui iubet aliquid faciendum, cenſetur etiam iubere, vt comparet ſibi ea ſine quibus fieri non poteſt, quatenus in eius eſt poteſtate.

105 Cæterùm quia de præcepto nunc occurrit ſermo, obſeruandum eſt, quod ſicuti communiter præcepta diſtingui ſolent in affirmatiua, & negatiua, ſic quoque duplex poſſe diſtingui præceptum fidei: vnum ſcilicet affirmatiuum, quod obligat ad credendum myſteria fidei: & alterum negatiuum, quod obligat ad non diſſentiendum à myſterijs fidei: neque de veritate ipſorum dubitandum.

Eſt autem inter hæc duo magna differentia, quia affirmatiuū non obligat omnes vt credant in particulari explicitè omnia & ſingula obiecta, quæ à Deo reuelata ſunt: neque etiam vt actum fidei de qualicumque obiecto exerceamus omni tempore: ſed tantùm, vt credamus ſic explicitè quædam certa obiecta; ac certis temporibus actus fidei circa illa exerceamus. Negatiuum verò reſpicit omnia obiecta, & omne tempus, quia & pro ſemper eſt prohibitum diſſentire, & quidem à quocumque obiecto fidei, quod ſufficienter tanquam à Deo reuelatum proponitur: Vnde difficultas reſtans verſatur circa illa, quæ ex præcepto affirmatiuo ſunt explicitè & in particulari credenda: pro quorum explicatione ſit

Conclvsio Duodecima: Præceptum affirmatiuum fidei, tametſi non obliget ad omnia obiecta in particulari explicitè credenda, vt dictum eſt, obligat tamen ad credenda explicitè omnia myſteria in ſymbolo comprehenſa, ſaltem quoad ſubſtantiam. Concluſio eſt D. Thomæ, hic art. 5. vbi dicit, quod prima credibilia, vt ſunt articuli ſymboli, debeant explicitè credi: quod ſaltem de neceſſitate præcepti debet intelligi. Item Caietani, Bannefij, Arragonij ibidem. Malderi art. 7. concluſ. vltima: à Valent. tom. 3. Diſp. 1. quæſt. 2. puncto 3. concluſ. 3. & puncto 4. ibidem & paſſim Scholaſticorum in 3. diſt. 25. & fauet Catechiſmus Romanus, qui ſic habet: Quæ primùm Chriſtiani homines credere debent, illa ſunt, quæ Sancti Apoſtoli diuino ſpiritu afflati duodecim ſymboli articulis diſtinxerunt. 106

Probatur Primò: Quia quæcumq; ſymbolo Apoſtolorum continentur, ſunt quaſi prima Chriſtianæ doctrinæ rudimenta: vnde ſcribit Auguſt. ſerm. 135. de Tempore: Symbolum eſt regula fidei veſtræ breuis & grandis: breuis numero verborum: grandis pondere ſententiarum: & ibidem ſerm. 181. Apoſtoli certam regulam fidei tradiderunt, quam ſecundum numerum Apoſtolorum, duodecim ſententijs comprehenſam, ſymbolum vocauerunt, per quam credentes catholicam tenerent vnitatem, & hæreticam conuincerent prauitatem. A nullo igitur Chriſtiano poſſunt illa ignorari, quia inordinatum eſt quod quis prima fundamenta & fundamentales regulas religionis ignoraret, quam profitetur. Confirmatur ex cap. Baptizandos de conſec. diſt. 4. Baptizandos oportet fidei ſymbolum diſcere, & 5. feria vltimæ ſeptimanæ vel Epiſcopo, vel Præſbytero reddere, & ex Cap. Non liceat ibidē, quod habet: Oportet autē in his diebus, qui baptizandi ſunt, ſymbolum diſcant: ſenſit ergò Eccleſia, debere Chriſtianos explicitè credere ſymbolum, ſiue ea, quæ in illo continentur. Vide Capit. Symbolum eâdem diſtinct. 4. & Capit. Deus qui: De Pœnitentijs & Remiſſionibus.

Probatur

107 Probatur Secundò: Quia mox ab initio, Apostoli & Euangelij annuntiatores prędicarunt ac inculcarunt passim omni populo mysteria fidei, quæ in symbolo continentur, vt patet ex Actis Apostolorum, & eorum epistolis: vt cap. 1. 2. 10. 17. Act. ad Rom. cap. 3. 4. 10. 1. ad Cor. 15. 1. Petri cap. 3. & alibi promiscuè: signum igitur est, quod existimauerint hæc ab omnibus cognosci, & credi debere.

108 Tertiò, quia ex certissima DD. sententiâ tenentur omnes explicitè credere ea, quæ dicuntur de Trinitate, & Incarnatione, ac redemptione; & quidem de Trinitate patet, nam in hoc excedit fides huius status fidem antiquorum: vnde & baptismus, qui est ianua ad iustitiam & salutem, datur sub inuocatione expressa SS. Trinit. & ipsum signum Crucis, quod est Christianorum proprium, sub inuocatione Trinit. ab omnibus formatur. Similiter de mysterio Incarnationis, Natiuitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascēsionis Christi satis cōstat: quia hæc solemnibus festis in Ecclesiâ celebrantur.

109 Quod verò etiam aduentum Christi ad Iudicium, omnes debeāt explicitè tenere, Probatur: quia Apostoli hunc maximè fidelibus semper proposuerunt. Inde Petrus Act. 10. præcepit prædicare populo, quia ipse est, qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum: quod si Apostoli præceptū habuerint prædicandi hoc omni populo, consequens est, quod populus omnis debeat id scire & credere. Neque id mirum est, quia res ista plurimum ad Christi gratiam & Dei iustitiam commendandam facit, ac simul quoque plurimum valet, vt homines à peccato auocentur & deterreantur.

110 Debent quoque omnes scire, esse vnam S. Ecclesiā, nam & ea res difficilis nō est, & eius cognitio multū est necessaria vt cętera rectè credātur, quia fides plebis Christianę secundum rationē credibilitatis, innititur plurimū authoritati Ecclesiæ proponētis.

111 Accedit quod debeant scire non à quibuslibet promiscuè petendam esse de religione instructionem, nec à quibuslibet petenda esse Sacramenta, sed à Pastoribus & ministris Ecclesiæ, quæ vnica est & Sancta.

112 Quod ad peccatorum remissionem attinet, fuit ea fides post lapsum necessaria omni tempore, vt ex supra dictis de necessariâ fide liberatoris ac mediatoris satis constat. Tenentur quoq; credere resurrectionem mortuorum, quia in eâ consistit tota spes nostra futuræ retributionis: qui enim resurrectionem non credit, futura præmia aut supplicia consequenter non credit, vt deducit pulchrè & latè Apostolus 1. ad Corinth. 15. & D. Chrysostomus ad illum locum. Eadem est ratio de fide quoad vitam æternam futuri sæculi.

Dixi in Conclusione, quod ex pręcepto oporteat explicitè credere omnes articulos fidei symbolo contentos saltem quoad substantiam: quia non omnes ibi adiunctæ circumstantiæ videntur similiter cadere sub præceptum: v. g. tenentur omnes sub mortali explicitè credere Christum pro salute nostra passum & mortuum esse, non tamen sub tam graui obligatione tenentur scire illum fuisse passum sub Iudice Pontio Pilato: rursum tenentur explicitè credere, eum à mortuis resurrexisse, non autem similiter obligantur cognoscere quod die tertia resurrexerit: & sic de alijs quibusdam. Sic etiam omnes obligantur explicitè credere Ecclesiam Sanctā Catholicam, & tamen non improbabiliter docet Sanchez l. 2. in Decal. cap. 3. n. 7. rudiores non obligari ad explicitè credendam in eâ Sanctorum communionē: quia res hæc non videtur continere principale momentum aliquod, siue in ordine diuinarum rerum, siue in ordine eorum quæ faciant ad piè & iustè viuendum: & habet suam subtilitatem; cùm etiam Docti disputent, in quibus rebus hæc communio consistat. 113

Sed quæret aliquis: An igitur fideles adulti non teneantur omnes totum Symbolum Apostolorum scire, sic vt possint ordine illud recitare? 114

Respondeo & dico Primò: Quod ad hoc non obligentur præcepto aliquo diuino: quia eiusmodi præceptum neque ex Scripturis; neque ex naturis rerum habetur, aut efficaciter deduci potest. Scripturæ namque eo ordine nusquam articulos Symboli tradunt: & ad hominis instructionem siue quoad intellectum, siue quoad affectus moderandos sufficere videtur, quòd distinctè quis teneat res ipsas inibi contentas, vt tempori & loco valeat eas apprehendere & recogitare. 115

Dico Secundò: quod tamen lege Ecclesiasticâ, vt hic loquitur Bannesius, aut saltem consuetudine Ecclesiæ vim legis obtinente, debeant omnes symbolum Apostolorum ordine & verbotenus scire. Colligitur ex Canonibus supra citatis qui desumpti sunt ex Concilijs Laodicensi & Braccharensi, & alijs: quos & Romæ in vsu fuisse tempore Augustini patet & capite 2. lib. 8. Confessionum, vbi meminit quod baptizandi soleant publicè reddere fidem suam, quasi compendio comprehensam. Hæc tamen obligatio non videtur esse per se ad mortale; sed sub graui 116

saltem veniali, vt docet Nauar. cap. 11. num. 2. & cum eo Malderus: quamuis interim propter periculū ignorandi etiam res ipsas & substantiam articulorum, quod solet concurrere quando negliguntur ordine edisci, possit eiusmodi negligentia subinde esse mortalis: nam fortassis non rarò accidit, vt qui memoriter & ordine non possunt recitare, præsertim qui sic nunquam didicerunt, nesciant quoq; mysteria in eo contenta, quoad substantiam: neque possint distinctè illa recogitare.

117 Quod tamen aliquando fieri debet, tum ad gratiarum actionem pro diuinis beneficijs nobis collatis, tum ad alia pia exercitia, vt ad tentationes aliquas vincendas, ad torporem excutiendum, ad iustitiam deperditam per debitas dispositiones recuperandam, vt scilicet homo prolapsus in peccatum, ex fide suâ vtiliter diuinæ iustitiæ timore concutiatur; & ad considerandam Dei misericordiam conuertatur, & conuertendo se, erigatur in spem confidens Deum sibi propter Christum propitium fore, vnde & ipsum, vt iustitiæ fontem, diligere incipiat.

Quare nec satis fuerit nosse symbolum recitare sine aliquo conceptu & sensu ipsarum rerum, vt Idiomate, v.g. quod non intelligas: Hinc Pastores meritò debent esse plurimùm solliciti circa subditos suos, vt omnes diligenter symbolum ediscere procurent, ac pro eorundem capacitate de sensu & substantiâ singulorum articulorum illos instruant: docent enim D. Chrysost. hom. 3. in acta: & D. August. lib. de Pastoribus, (vbi caput 34. Ezech. exponit) non paucos perire Prælatos, quia nō satis diligenter plebem in fide instruxerunt. Imitentur itaque D. Paulum, qui de se dicit act. c. 20. ad maiores natu Ecclesiæ: *Vos scitis &c. Quomodo nihil subtraxerim vtilium quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publicè & per domos testificans Iudæis atque gentilibus*, &c.

118 Quæret iterum aliquis, Vtrum ergò ad iustificationem adulti lapsi post baptismum, requiratur formalis & explicitus actus fidei omnium eorum, saltem quæ dicuntur necessariò credenda necessitate medij?

Respondetur non semper requiri singulorum actum formalem & expressum: sed sufficere posse fidem eorum virtualem, quando aliàs formaliter & expressè ab eo credita fuerunt: v. g. qui dolet se offendisse Deum, virtualiter credit Deum esse, & remuneratorem esse boni & mali operis: & qui sperat veniam propter merita & satisfactionem Christi Domini, quē aliàs professus est & credidit formali actu Dei filium à patre missum & propter peccata nostra passum, etiam virtualiter credit mysterium Incarnationis & Trinitatis.

Rectè autem monet Ruardus circa articulum 8. Louanien. contra Lutherum folio 10. fidem Mediatoris Christi in habitu tantùm, hîc non videri sufficere; sed requiri fidem eius in actu saltem virtuali, vt ipse loquitur; quâ scilicet pœnitentes (inquit) sic dirigantur, vt non quasi ex operibus, aut ex merâ Patris gratiâ sine redemptionis per filium factæ interuentu, veniam, aut iustitiam sperent: sed ab eâ procedat illorum pœnitentia, saltem secundum spem veniæ, vt nimirum spes pœnitentis virtualiter sit subnixa fidei Mediatoris & propitiatoris Christi Domini. 119

Conclvsio Decimatertia & vltima: Præter illa quæ hactenus diximus, tum omni tempore, tum post aduentum Christi fuisse & esse credenda explicitè, insuper ex præcepto cognosci & credi debent explicitè nunc ab omnibus tria saltem Sacramenta, scilicet Baptismus, Eucharistia, & Pœnitentia, ac reliqua vbi & quando quis debet, aut vult illis vti. Item præcepta Decalogi, & ordinaria Ecclesiæ præcepta: quibus meritò adiungitur Oratio Dominica, cōtines ea, quæ homini desideranda & petenda sunt à Deo: vt infrà latiùs in Tractatu de Religione explicamus. 120

Probatur, quia tenetur quisque cognoscere, & tenere illa quæ sunt scitu & creditu necessaria, vt conuenienter possit vitam instituere ad finem sibi præfixum, vt antè diximus, & secundum exigentiam Corporis seu communitatis, cuius est membrū, aut pars: atqui omnia iam dicta sunt ad eos effectus cognitu necessaria: baptismus enim cognosci debet, vt sciatur quâ viâ quis possit fieri aut factus est Christianus, & Ecclesiæ seu numero fidelium inseri: Eucharistia verò, quia eius vsus ex diuino præcepto adultis pro refectione animarum est necessarius: debentque posse dijudicare Corpus Domini, & discernere inter hunc supernaturalem cibum & corporalem, vt dignè eum percipere valeant, & pro tantis beneficijs gratias Deo agere. Pœnitentia similiter agnosci & credi debet, quia fragiles sumus ac sæpius plerique à iustitia prolabuntur: quare oportet scire & credere remedium institutum ad iustitiam & diuinam gratiam recuperandam. 121

De præceptis satis per se constat, quod absque cognitione eorum non possit homo vitam & actiones suas dirigere, prout debet, tam in ordine ad finem suum vltimū, quàm iuxta exigentiam officij hominis Christiani: 122

Christiani. Vbi tamen hoc quidam annotant non teneri aliquo diuino, aut vniuersalis Ecclesiæ præcepto, fideles vulgares verbo-tenus & ordine posse ea recitare; sed hoc videri satis quod secundũ rem eatenus ista cognoscant, vt interrogati valeãt meminisse, quid de talibus quæ mandantur, aut prohibentur sentiendum; & nouerint ea petere ac pio voto seu affectu desiderare, quæ Dominicâ oratione continentur. Hoc interim rursus Obseruandũ est, valde periculosum fidelibus esse, non posse verbo-tenus illa recitare, quia cum hâc ignorantiâ solet fere esse coniuncta quoque ignorantia ipsarum rerum.

123 Petet aliquis: Quando præceptum discendi illa, saltem quoad substantiam, hominem obliget? Respondetur tam fideles quàm infideles, vbi ad rationis vsum peruenerint debere esse sollicitos vt præceptores fidei audiant, & res auditas & debite propositas credant, sic vt illius præcepti transgressionis formaliter rei constituantur, qui hoc negligunt, etsi alioqui animo essent parati credere: imò etsi dicerent se credere quidquid Ecclesia credit, & interim negligerent discere quæ necessitate medij, vel præcepti debent explicitè & in particulari cognoscere & credere. Qui autem inuincibiliter hoc præceptum ignorant, excusari possunt quidem à nouo peccato, negligentiæ & omissionis, sed carent interim remedio ad consequendam aliorum peccatorum remissionem.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm credere sit meritorium?

124 CONCLVSIO Diui Thomæ est: Actus fidei potest esse meritorius, Non dicit simpliciter actus fidei est meritorius: idque ideo vt ex responsione ad primum potest colligi: quia actus fidei ex naturâ suâ natus est præcedere charitatem, atq; adeo potest sæpius sine charitate exerceri, quæ est necessarium principiũ, seu subiecti dispositio ad meritũ. Sed quia contingit etiã fidem exerceri postquã accessit, aut dũ simul habetur charitas, hinc conuenienti modo locutus est, quando dixit: actus fidei potest esse meritorius: quia scilicet non semper talis est.

125 Probatur autem primò ex Scripturis: Act. cap. 16. *Crede in Dominum* IESVM, *& saluus eris:* ad Rom. 9 *Omnis qui credit in eum, non confundetur:* ad Gal. 3. *Vt promissio ex fide daretur credentibus:* 1. Petri cap. 1. *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum:* & ad Hebr. 11. dicuntur Sancti per fidem adepti repromissionem: quod non esset (inquit D. Thomas) nisi credendo mererentur. Vnde & D. August. tract. 68. in Ioannem; Credenti, inquit, colligitur meritum; videnti redditur præmium, scilicet in patria, vbi est fruitio visionis beatificæ.

Probatur Secundò ratione: Quia omnia ad meritum requisita possunt in actu fidei concurrere: est enim actus liberi arbitrij siue liber, vt docet August. libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 2. & 7. qua de re licet videre dicta supra articulo primo huius quæstionis: quamuis enim ipse assensus intellectus secundum se non sit intrinsecè liber, tamen denominatione extrinsecâ liber est, quatenus pendet ex libero imperio voluntatis, ac libero affectu piæ credulitatis: quem prout quodammodo inuoluit actus fidei, poterit etiam ratione istius dici intrinsecè esse liber. Tribus autem ex capitibus est actus hic liber; Primò, quia homo liberè applicat se ad cogitandum de rebus fidei; Secundò, quia quando res illas recogitat, etiam liberè præbet eis assensum; Tertiò, quia non tantum liberè præbet assensum quoad exercitium; sed etiam quod specificationem actus: nam proposito ac recogitato fidei obiecto, non solum potest suspendere assensum; sed etiam potest contrarium actum elicere, & dissentire. Est præterea actus ille ordinis supernaturalis, vt ex ante dictis abundè constat: est quoque honestus, & Deo gratus: quia laudabile & rationi consonum est, quod homo intellectum suum diuinæ authoritati submittat, & eius assertioni fidem adhibeat: quod similiter non potest quantum ex se est, non esse Deo gratum & acceptum, nihil igitur ei ad meritum deest. 126

Accedit quod per Scripturam Sacram nobis fides commendetur tanquam virtus, quam inprimis & maximè Deus ab homine requirat. Patet ex locis citatis, & alijs plurimis. Imo ex receptâ Doctorum sententiâ, adeo actus fidei internus est honestus & bonus etiam informis, vt ne quidem possit fieri vitiosus, aut malè exerceri. Neque huic obstat quod pro obiecto actus hic habeat non bonum, sed verum supernaturale, vnde videri posset consequens, quod saluâ suâ substantiâ, queat ex parte affectus quo imperatur, admittere aliquid repugnans bonitati, seu rationi virtutis: sicuti certum est, externum fidei professionem, & alios etiam externos virtutum actus, posse vitiari & 127

malè fieri ob malam circumstantiam, aut prauum finē: quia hoc nihilominus locum hic habere non potest: quamuis enim vt præcisè est actus intellectus, non includat aliquid repugnans, tamen quatenus dicit essentialem ordinem ad pium credulitatis affectum, quo per diuinum auxilium vult homo submittere intellectum diuinæ authoritati, eatenus excludit approbationem omnis malæ circumstantię, aut praui finis, quibus posset vitiari.

Declaratur: Nam si v. g. velit quis di-
128 cere; quod possit homo exercere actum fidei ob vanam gloriam, negandum erit hoc fieri posse, inprimis quia actus credendi interior nullo modo est medium idoneum, aut vtile ad vanæ gloriæ assecutionem, cum hominibus non pateat. Deinde principaliter & per se magis ad propositum, quia si affectus vanæ gloriæ hic imperet, iam actus intellectus subsequens reuera non erit actus fidei supernaturalis, qui debet ex pio & reuerentiali affectu erga diuinam authoritatem & veritatem procedere, atque adeo ex bono fine: si enim ex affectu mali finis nascatur affectus credendi, potius ex illo prauo affectu dicendus erit credere, quàm ex illo pio credulitatis affectu: quemadmodum qui furatur vt mœchetur, non tam ex affectu furandi, quam mœchandi furatur: quia motiuum quod est ordinariè in furto, hic non mouet nisi virtute motiui quod est in adulterio.

Quandoquidem ergo motiuum quod
129 fundatur in vanâ gloriâ, vel in quocumque alio malo fine, sit inefficax vt moueat ad credenda supernaturalia fide supernaturali, consequens est quod nón possit eo modo imperari actus credendi, qui scilicet sit verus actus fidei & supernaturalis in substantiâ. Hinc docet August. de Catechizandis rudibus cap. 5. quòd qui ad temporalia bona assequenda, vel temporalia mala euitanda, vult fieri Christianus, Non fieri (inquit) vult potius, quàm fingere, significans scilicet non reperiri in tali veram fidem: & addit: Fides enim non est res saluandi corporis, sed credentis animi: quando itaque cap. 17. ibidem dicit: Sunt qui propterea volūt fieri Christiani, vt promereantur homines à quibus temporalia commoda exspectant, loquitur de illis qui assumunt externam professionem Christiani nominis, quamuis virtutem eius in animo non habeant. Denique actus fidei potest coniungi cum charitate, atque adeo etiam ab ipsa charitate imperari: potest enim hæc imperare intellectui, vt recogitet & credat mysteria Dominicæ Incarnationis & Passionis, vt credendo Deus honoretur & amor eius in nobis augeatur: constat igitur actum fidei posse esse meritorium.

Sed contra obijcitur: qui credunt, vel habent causam sufficienter inducentem; 130
vel non habent: si non habeant, iam non erit fides prudens, & proinde nec diuina; sed leuis & temeraria credulitas: si verò habeant, iam non videbitur intellectus liberè assentiri; sed ex necessitate: ergò &c.

Respondetur eos habere inductiuum sufficiens ad credendum, quod præstat vt non temerè aut leuiter dicendi sint credere: sed nego idcirco intellectum non assentiri liberè modis supra explicatis; quia non euidenter & clarè obijcitur intellectui veritas intuenda, sed ita proponitur vt prudenter possit & debeat iudicare veritatem subesse, atque adeo id quod proponitur esse credendum.

Refert autem hic resp. ad vltimum D.
Thomas inductiuum istud ad hæc duo, 131
scilicet ad diuinam authoritatem miraculis confirmatam, & ad interiorem diuinum instinctum, cui etiam primas partes adscribit: quantus enim ille sit, & quanta persuasio, & quantus tractus eius nemo nouit, nisi qui accipit: sicuti dicit August. tract. 26. in Ioannem: Da amantem, & sentit quod dico; da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem; & fontem æternæ Patriæ suspirantem: da talem (inquit) & scit quid dicā: sin autē frigido loquar, nescit quid dicā: Quare vel ex hoc capite ostendi possit immeritò à Iuliano Apostatâ & Porphyrio reprehensos fuisse Apostolos quasi qui nimis citò & leuiter crediderint ad vnam vocantis vocem sequentes Christum Dominum, prout rectè declarat D. Hieronymus in cap. 9. Matthæi: sed mirum non est, quod illi reprehenderint qui huius internæ doctrinæ Patris cœlestis gustum & efficaciam non perceperant. Quę omnia latiùs sunt suprà explicata.

ARTICVLVS X.

Vtrùm ratio inductiua ad ea quæ sunt fidei minuat meritum?

CONCLVSIO Diui Thomæ est: Ratio inductiua præcedens, siue quæ 132
antecedenter se habet ad voluntatem credendi, minuit meritum fidei: Ratio autē consequens siue quę consequenter ad voluntatem

luntatem credendi se habet, non minuit meritum, quin potiùs sicuti signum est vehementioris actus, ita quoque maioris meriti eiusdem.

133 Pro intellectu & confirmatione huius Conclusionis quædam annotanda sunt: ac inprimis hic per rationem inductiuam ad ea quæ sunt fidei, non venire comprehendenda illa testimonia, siue externa siue interna, quæ necessaria sunt, vt quis ea quæ sub diuina authoritate credenda proponũtur, agnoscat esse verè credibilia, eaque prudenter possit iudicare esse diuinitùs reuelata, & vt talia credenda: quia cum sine istis non possit actus fidei esse, sed tantùm leuis credulitas, non potest de talibus dubitatio suboriri; vtrùm meritum fidei minuant, cum sicuti absque illis non est fides, sic nec possit esse eius meritum.

134 Notandum Secundò, per rationem itaque inductiuam, de quâ proponitur quæstio, intelligi ea argumẽta (siue sint experimenta sensus, aut naturalis rationis, siue miracula) quæ iam presuppositâ sufficienti propositione rerum fidei tanquam diuinitus reuelatarum, possunt superuenire, & ipsas res fidei, seu veritatem illarum demonstratiuè, aut dialecticè & probabiliter, vel quasi sensibiliter ostendere, vel quod à Deo sint reuelatę, euidentiùs confirmare.

135 Notandum Tertiò, D. Thomam per rationem quę se habet ad voluntatem credendi, vt præcedens, vel vt consequens, non intelligere quæ solum tempore antecedit, aut subsequitur; sed per eam quæ antecedenter se habet, intelligere illam quæ est causa voluntatis credendi, sic vt absque illâ non vellet homo, aut saltem non ita promptè & feruenter crederet: quia ex duritiâ quâdam cordis plus exigit ad credendum, quàm necessarium sit, vt secundum prudentiam credere possit aut debeat: quale quid videtur Dominus reprehendisse in Regulo: Ioannis cap. 4. quando dicit: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis:* & in discipulis suis Marci vltimo: quando exprobrauit duritiam cordis & incredulitatem illorum: *Quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt:* & quidem si hæc ratio ita sit causa voluntatis credendi, vt absque illâ nollet credere, iam non tantùm minuit, sed tollit meritum & fidem: quia non credit propter diuinam authoritatem sufficienter applicatam, sed propter aliud argumentum sibi probatum: & de talibus rectè intelligitur, quod scribunt D. Greg. hom. 26. in Euangelia, & Author de Cardinalibus Christi operibus serm. de Natiuit. Christi, quod fides non habeat meritum, vbi humana ratio præbet experimentum.

Si tamen habitis istis argumentis velit homo credere & credat propter diuinam authoritatem sicut oportet, poterit hęc cõsequi fidem; & actus eius efficietur meritorius, si cum charitate coniungatur: quia retractat propositũ illud de non credendo absque eiusmodi rationibus vel argumentis: quod videtur accidisse in Apostolo Thoma; qui non voluerat credere, nisi videret signa clauorum &c. quando postea dixit: *Dominus meus & Deus meus:* si verò tantummodo tardiùs aut flaccidiùs absque illâ ratione crederet, iam minuit fidei meritum: quia ostenditur quod minus moueatur motiuo formali fidei, minusque tribuat, quàm alij qui sine eiusmodi accedente ratione, promptiùs & feruentiùs credunt. 136

Per rationem, quæ consequenter ad voluntatem credendi se habet, intelligit eam, quæ post acceptatam fidem, ex amore illius excogitatur & adinuenitur ad elucidandas fidei veritates, easque explicandas & defendendas, & ad euincenda ac dissoluenda argumenta, quæ in contrarium videntur facere, & hæc non minuit meritũ, sed magis auget: vt potest colligi ex illis Petri verbis 1. epist. cap. 3. *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionẽ omni poscenti vos rationẽ de ea, quæ in vobis est, spe, sed cũ modestia & timore,* &c. & ex c. 24. Ecclesiastici vbi Sapientia æterna loquitur, & dicit, *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Facit itaque D. Tho. hic distinctionem, inter rationem præcedentem ad voluntatem credendi, & inter rationem consequentem ad illam, sicuti solet poni distinctio inter passionem quæ præcedit actum virtutis aut vitij, quę scilicet eius suo modo sit causa, & passionem qui sequitur tanquam quidam eius effectus. 137

Dices: videtur etiam ratio subsequens minuere meritum fidei, quia minuit difficultatem in credendo, ex quâ etiam sumitur augmentum meriti. Respondetur Primò, quando ex amore virtutis aut ex eius exercitio nascitur facilitas, tunc non minui, sed potius augeri meritum: quod etiam locum habere dici potest, quando ex labore adhibito circa arduitatem aut difficultatem obiecti, efficitur ipsum leuius, aut minus difficile; quod hic locum habet, quia labor amore fidei susceptus facilitatem eam causat talem, qualis est: Denide quando laboribus istis incumbitur, fit quod fides simul eliciat actus frequentiores & feruentiores: cũ sacris enim studijs solet crescere amor virtutis pro qua laboratur, & sic meritum non minuitur. 138

139 Tertiò: Quia illæ rationes ſupponuntur poſterius & ſe cōſequenter habere ad voluntatē credendi; vnde non cenſentur afficere actū credendi in illo homine, ad quē ita ſe habent: Hic enim ex parte ſua contentus diuinâ authoritate ſibi propoſitâ, nō nititur, neque vtitur in eliciendo fidei aſſenſu, ſubſidio iſtarum rationum, aut perſuaſibilium humanæ ſapientiæ argumentorum. Neque enim inueſtigat vt credat: ſed quia credit, & vt alios durioris cordis mediantibus iſtis, ad fidem adducere vel in eâ firmare poſſit, ideo inquirit: quamuis enim iſta ſola non ſufficiant ad fidem diuinam concipiendam, tamen contingit quod illis mediātibus perueniatur ad pleniorem apprehenſionem & cognitionem diuinæ authoritatis, ob quam poſtmodum credant: ſic vt aſſimilari poſſint Samaritanis illis, Ioannis 4. qui auditâ muliere (quæ iuxta D. Thomam hic, & alios, rationem humanam ſignificabat) referente quomodo Chriſtus ei dixiſſet omnia quæcumque fecerat, incœperant in eum credere, ſed poſtmodum audito Chriſto dicebant mulieri: *Iam non propter tuam loquelam credimus: ipſi enim audiuimus & ſcimus* (Patre ſcilicet cœleſti intùs ſimul docente ac illuſtrante, non ex carne & ſanguine) *quia hic eſt vere Saluator mundi.* Ex quibus euidens euadit, quomodo rationes illæ inductiuæ conſequenter ſe habentes, nihil diminuant de fidei merito.

QVÆSTIO III.

De Exteriori actu fidei.

In duos Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

An Confeſſio ſit actus fidei?

1 CONCLVSIO Diui Thomæ eſt affirmatiua: Et Probatur primò ex Apoſtolo 2. ad Teſſal. cap. 1. vbi fidei confeſſionem vocat opus fidei, ſic ſcribens: *In quo etiam oramus ſemper pro vobis, vt dignetur vos vocatione ſua Deus noſter, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute, vt clarificetur nomen Domini noſtri* IESV *Chriſti in vobis*; vbi Gloſſa opus fidei interpretatur fidei confeſſionē, quod textui conforme eſt, quia commendat eos quod pro fide perſecutiones, & tribulationes ſuſtineant: in quibus perferendis inſignis relucet fidei confeſſio, & orat vt Deus impleat in eis hoc opus fidei in virtute, vtque ſic in eis clarificetur nomen Domini noſtri IESV Chriſti.

2 Probatur Secundò ratione: Quia actus exteriores propriè ſunt illius virtutis actus, ad cuius finem ex ſuâ ſpecie referuntur: quemadmodum ieiunare v. g. ſecundum ſpeciem ſuam refertur ad finem abſtinentiæ, qui eſt compeſcere carnis cōcupiſcentias: & ideo eſt actus virtutis abſtinentiæ: atqui confeſſio fidei ſecundum ſpeciem ſuam ordinatur ad finem fidei, qui eſt inhærere primæ veritati eâ firmitate, prout eam decet: & inhærendo debitum honorem & venerationē illi deferre: vnde Apoſtolus 2. ad Cor. 4. dicit: *Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſicuti ſcriptum eſt: credidi propter quod locutus ſum: & nos credimus propter quod & loquimur*: eſt igitur fidei confeſſio actus virtutis illius.

Notandum verò eſt, externam fidei confeſſionem dupliciter eſſe actum fidei. 3
Primò, ipſius tanquā dirigentis: Secundò, tanquam imperantis. Vt dirigentis, eſt eius actus ratione aſſenſus qui eſt in intellectu: nam interius iudicium fidei dirigit externam locutionem, & alia exteriora ſigna: ſic enim conamur eloqui exteriùs, ſicut intus apprehendimus. Vnde fidei confeſſio eſt quidam actus fidei interioris; ſicuti externa doctrina Theologiæ eſt actus & exercitium externum interioris ſcientiæ. Eſt autem confeſſio actus fidei tanquam imperantis, videlicet ratione voluntatis credendi: eadem enim voluntas quæ imperat intellectui internum aſſenſum volendo credere doctrinæ fidei ob diuinam authoritatē, quia eius veritas & dignitas id poſtulant, mandat quoq; ob eundem finē exteriùs eandem doctrinam profiteri.

Declaratur: quia ordine quodam ipſe interior actus credendi, & ipſa exterior 4
profeſſio ſequuntur ex voluntate eiuſdem finis, qui eſt præſtare id quod poſtulat authoritas ſummæ veritatis: nam inde ſequitur primò ipſum credere internum; & ex interno actu ſequitur profeſſio externa, vt docuit Apoſtolus loco ſupra allegato.

Sed

5 Sed dicet aliquis: videtur fidei confessio pertinere ad virtutē religionis; quia v.g. audiendo missam, percipiendo Sacramenta, & alia similia exteriùs exercendo profitemur fidem nostram: & tamen hæc sunt opera religionis: ergò &c.

Respondetur Neg.Conseq. Nam sicuti possumus actu fidei honorare Deum, ita quoque actibus religionis possumus profiteri fidem, si eos præstemus vt exinde intelligant alij, quam fidem sequamur. Hoc itaq; modo prædicta religionis opera, possunt esse fidei quædam professiones, tum quia per ista implicitè testamur tenere nos doctrinam illius religionis & fidei, quæ ista opera præscribit, & commendat: tum quia in eum finem possunt hi actus expressè imperari à voluntate credendi, quâ volumus interiùs & exteriùs præstare id quod postulat authoritas primæ Veritatis; & non ideo ista externa ad primam veritatem adhæsio, seu externa fidei confessio induit rationem virtutis mediorum, quæ applicantur: sed potius illi actus medij quatenus à fide imperantur & referuntur in finem fidei, accipiunt inde bonitatem ipsius fidei; sicuti media accipiunt bonitatem à fine.

ARTICVLVS II.

An confeßio fidei sit necessaria ad salutem?

6 CONCLVSIO D. Thomæ est: Confessio fidei, sicut cætera quæ sub præceptum affirmatiuum cadunt, est necessaria ad salutem, vt loco & tempore scilicet debitis fiat. Explicat autem locum & tempus tunc adesse, vbi & quando per omissionem confessionis subtraheretur honor debitus Deo, aut vtilitas proximis impendenda; puta (inquit) si aliquis interrogatus de fide, taceret, & ob hoc crederetur, quod vel non haberet fidem, vel quod fides non esset vera; vel alij per eius taciturnitatem auerterentur à fide.

7 Porrò cum præceptum omne affirmatiuū contineat implicitè præceptū quoq; negatiuum; v.g. sicuti in præcepto charitatis continetur negatiuum præceptū non habendi Deum odio; idq; proinde in præsenti quoque proposito locum habeat (in præcepto enim affirmatiuo de fide confitendâ, continetur præceptum de fide nonquam negandâ) hinc pro vtriusque præcepti pleniori intelligentiâ, quædam occurrunt explicanda dubia.

DVBIVM I.

Vtrùm negatiuum præceptum ita obliget, vt nullo vnquam casu liceat fidem negare?

QVæstioni locum dederunt Antiqui Hæretici, vt Gnostici, Priscillianistæ, & alij qui docuerunt licitum esse fidem negare, modò in corde seruetur: vt videre est apud Tertull. in Scorpiaco, vbi hæc eorum verba & argumenta refert: Semel pro nobis Christus obijt: semel pro nobis occisus est, ne occideremur: si vicem repetit, num & ille salutem de meâ nece exspectat? an Deus hominum sanguinem flagitat maximè si taurorum & hircorum recusat? & apud Eusebium lib. 6. Historiarum cap.28. & August. de Hæresibus cap. 70. vbi refert Priscillianistas solitos dicere, Iura, periura, secretum prodere noli. 8

Sed fide Catholicâ omnino tenendum est, nunquam licere etiam ob periculum mortis, fidem negare. 9

Probatur Primò ex Scripturis Matth. 10. *Omnis ergo qui cōfitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum corā Patre meo,* &c. *qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Hic Dominus loquitur etiam de illis qui metu mortis eum negauerint, vt patet ex adiūctis: præcedit enim: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus:* & sequitur postea: *Qui inuenit animā suam, perdet eam.* Is verò inuenire hic dicitur animā, qui vt vitā seruet, in persecutione Christū negat. Marci 8. cap. *Qui me confusus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera,* &c. *& filius hominis confundetur eum:* & Lucæ 9. *Qui me erubuerit & sermones meos, hunc filius hominis erubescet,* &c. Ad Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore confeßio fit ad salutem:* 2. ad Timoth. 2. *Si negauerimus eum* (inquit) *& ipse negabit nos.* Hinc quando Petrus negauerat exteriùs Christum Dominum, fleuit amarè, quamuis corde fidem eius retinuisset.

Neque tantum illi censendi sunt Christum negare qui Christo abrenuntiant, sed etiam qui proferunt ea quæ fidei sunt contraria: sic enim tacitè asserunt Christianorum fidem non esse veram, aut amplectendam: & consequenter doctrinā Christi, ac ipsum Christum redarguunt falsitatis vel improbitatis & ab illis recedunt. 10

Probatur Secundò ex Sanctis PP. qui constanter ita docent: Tertull. in Scorpiaco cap. 1. Lib. de Corona militis, & alibi: Origenes hom. 10. in Numeros: Cyp. de exhortatione Martyrij, & lib.3. ep. 25. & lib. 11

& lib. 4. epistola 3. Basil. hom. in Gordium martyrem: & August. lib. 8. Confess. cap. 2.

12 Idem probari potest ex factis Martyrum, qui nunquam induci potuerunt vt dicerent, aut facerent aliquid quo videri possent vllo modo fidem negare. Vide l. 2. Machab. cap. 6. exemplum Eleazari: & Gordij martyris apud Basil. loco citato: vbi multæ adduntur rationes pro hac sententiâ: & Sancti Sabæ apud Metaphrastem, qui cum videret quibusdam obtrudi carnes non immolatas, vt viderentur satisfecisse mandatis Tyranni de comedendis immolatitijs, exclamauit: Qui has comederit, Christianus esse non potest. Vide etiam Cypr. serm. de Lapsis post medium, vbi grauiter reprehendit eos, qui etsi non sacrificassent, pecuniâ tamen à iudice libellum obtinebant, quo declarabantur Imperatoris edictis satisfecisse. Nec sibi (inquit) quominus agant pœnitentiam, blandiantur, qui etsi nefandis sacrificijs manus non contaminauerunt, libellis tamen conscientiam polluerunt.

13 Nec tantùm Cypr. sed & Ecclesia Romana eiusmodi libellorum vsum grauiter reprehendit, & damnauit: vt declarat Clerus Romanus in epistola ad Cypr. quæ inter eius epistolas est 31. vbi sic Clerus scribit: Hoc nos non falsò dicere superiores nostræ litteræ probauerunt, in quibus vobis sententiam nostram dilucidâ expositione protulimus aduersus eos, qui se ipsos infideles illicitâ librorum professione prodiderant, id est, se infideles foris ostenderant vsu & professione istorum libellorum, qui attestabantur eos mandatis Imperatorum de sacrificando, obtemperasse, ac satisfecisse.

14 Vnde & constat in quo situm fuerit libellaticorum crimen, scilicet in eo, quod à Magistratu pecuniâ emerent testimonium & attestationem, quod Imperatorũ legibus obediuissent, aut satisfecissent, vt illis mediantibus sese redimerẽt ab inquisitione & tormentis, etsi à parte rei nõ obtemperassent: quod & ex sequentibus amplius patet, vbi sic dicitur. Et qui vult videri propositis aduersus Euangelium vel edictis vel legibus satisfecisse, hoc ipso iam paruit, quo videri paruisse se voluit.

15 Reprehenduntur ibidem à Clero Rom. & illi qui quantumuis non per se, tamen per alium nomine suo curabant, aut permittebant coram Magistratu fidem abnegari, aut Idolis sacrificari: vnde de his dicitur: Non enim est immunis à scelere, qui vt fieret imperauit: sicuti de libellaticis additur: Nec est alienus à crimine, cuius consensu, licet non à se admissum crimen, tamen publice legitur, videlicet crimen admisisse.

Manifestum igitur est, quod antiqui PP. pro maximo scelere semper habuerint omnem fidei negationem; non tantùm quæ verbis, sed etiam quæ factis committeretur. Imò quod quis vel videri vellet abnegasse, aut actum aliquem fidei contrarium admisisse. Et ratio est, quia fidem exterius negare est mendacium perniciosum, quo irrogatur grauis iniuria primæ Veritati: quando enim fidem explicitè aut implicitè quis negat, contestatur diuinam doctrinam mendacem, aut fallibilem, quæ fidem non mereatur. 16

Vnde ad Argumentum Gnosticorum apud Tertullianum Respondetur: Non vult aut præcipit Dominus, vt mortem affectemus, vel nos in necem conijciamus; vult tamen quando aut fides neganda est, aut mors oppetenda, potius nos pro ipso, & eius doctrinâ ac veritate mortem oppetere, quàm fidem negare: non quod morte nostrâ indigeat, sed quia nos fidei confessione, & mandatorum Dei obseruantiâ indigemus: atque adeo debeamus potius quælibet mala perpeti, quàm Dei præcepta transgredi, & quæ per se mala sunt, perpetrare. Accedit omninò æquum esse, vt animam pro eius discipulatu & doctrinâ retinendis ac contestandis demus, qui morte suâ nos suos discipulos & amicos facere dignatus est: neque enim discipulus est supra magistrum, nec seruus supra dominum. 17

DVBIVM II.

Vtrùm persecutionis tempore liceat ad declinandum fidei examen coram tyranno fugere?

Respondeo & Dico Primò: Fugere in persecutione secundum se non est illicitum. Est contra Tertullianum postquam à fide defecit: qui tunc librum de fugâ in persecutionibus, contra Ecclesiam scripsit, vt testatur D. Hieron. lib. de Viris Illustribus, in quo ostendere laborat, non licere fugere. Sed probatur ex Scripturis, Matth. 10. *Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam:* neque verũ est quod hic respondet Tertull. scilicet id Apostolis solis, & pro eo duntaxat tempore, quo Iudæis prædicabant, dictum fuisse: quia Patres communiter ad omnes, & ad omnia tempora pertinere intelligũt: nisi forsitan aliquæ particulares circumstantiæ aliquando obstarent & aliud requirerent: de quibus infrà. Ita Nazianz. Oratione de Laudibus Basilij circa initiũ: 18

Athanas.

Athanaſ. in Apologiâ pro fuga: Hilarius in hunc locum: Auguſt. epiſt. 108. quod & confirmari poteſt ex adiunctis, quæ ad omnes pertinent: & præſertim ex illis verbis: *Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Iſraël, donec veniat filius hominis:* nec refert quod D. Hieron. exponat ea verba in hunc ſenſum, ſi vos perſecuti fuerint in vno Scripturæ libro, fugite ad alium: non enim litteralem, ſed miſticum ſenſum tradit: quod interim idem nobiſcum ſentiat, patet ex libro de Viris illuſtribus in Tertullianum.

19 Probatur Secundò exemplis ex S. Scriptura petitis. 3. Reg. 18. Centum Prophetę perſecutionē Ieſabelis fugientes narrantur fuiſſe abſconditi: cap. 19. fugit quoque Elias perſecutionem eiuſdē: apud Matth. cap. 1. fugit Chriſtus perſecutionem Herodis: Ioannis 8. abſcondit ſe, cum Iudæi vellent eum lapidare: & 11. fugit ad deſertum: Act. 9. cap. demittitur Paulus in ſporta per murum, & fugit: & lapidato Stephano diffugerunt ob perſecutionem magnam in Eccleſia tunc concitatam omnes per regiones Iudææ & Samariæ præter Apoſtolos: cap. 8. & ad Hebr. 11. laudantur Sancti, qui in ſolitudinibus fuerunt errantes, in montibus & ſpelūcis & cauernis terræ. Accedunt & exempla poſteriorum noui Teſtamenti, cuiuſmodi notum & illuſtre eſt D. Athanaſij qui & inſignem Apologiam profuga contra obtrectatores ſcripſit.

20 Probatur Tertiò ratione: Quia dilectio ſui ipſius & dilectio proximorū, ac etiam inimicorum ſæpius fugam requirunt, aut ſuadent: dilectio ſui ipſius; qui enim non fugit, quando facilè poteſt, ſed perſecutoribus ſe occidendum offert, ſuæ ipſius vitæ apparet prodigus. Vnde ſcribit D. Athanaſ. in Apologia pro fuga, quod Martyres nunquam quando ad necem quærebantur, ſe perſecutoribus obtulerunt, quin profiterentur ex peculiari Spiritus Sancti inſtinctu, hanc promptitudinem, ſuique oblationem eſſe profectam. Et D. Cypr. epiſtola 82. ſic monet: Ne quiſquam veſtrum gentilibus ſe offerat: apprehenſus enim & traditus loqui debet: ſiquidem in nobis Dominus poſitus illâ horâ loquatur, qui nos confiteri magis voluit; quam profiteri: vnde apprehenſus & à Proconſule interrogatus de Præſbyteris (qui ſcilicet latebant) legitur ei reſpondiſſe; nec ipſi ſe vltrò offerunt, cum hoc Scriptura Sancta prohibeat. Idem & dilectio proximorum aliquando ſuadet: fieri enim poteſt vt qui fugit, ſit futurus Eccleſiæ multùm vtilis: quomodo D. Athanaſ. inter alia dicit ſe ad hoc ipſum fugiſſe, vt Imperatori eiuſmodi apologiam exhibere poſtea liceret: & addit: Sic Sancti fugiebant, vt tanquam medici in vſum indigentium reſeruarentur. Poſtulat & dilectio inimicorū: qui enim non ſe ſubtrahit dum poteſt, & particularis circumſtantia nō aliud requirit, cooperatur ſuo modo Tyranno, & reus conſtituitur homicidij quod Tyrannus in ipſum admittit. Vnde Euthymius in cap. 10. Matth. docet ex Gregorio Nazianzeno etiam eo nomine vt parcamus perſecutoribus, iniungi nobis à Domino fugam.

Neque vllâ ratione contrarium probari poteſt: nam quod fuga ſit vel fidei negatio, aut fidei confeſſioni aduerſetur (vt prætendit Tertull. in libro ſuo de Fuga) omnino falſum eſt: quinimò qui ob perſecutionem cōtra Chriſtianos motam fugit, tantùm abeſt quod fidem neget, quin ipſâ ſuâ fugâ ſe Chriſtianum confiteatur. Vnde non declinat, aut abſolutè ſubterfugit fidei confeſſionem, quam ſuo facto facit; ſed declinat potentiam Tyranni, tormenta & mortem, quæ merito ſubterfugere poteſt, vt Chriſti & SS. exemplis conſtat: quia quandoquidem homines ignari ſint temporis ſibi à diuinâ prouidentiâ conſtituti, debent temporis ſui decurſum exſpectare latendo & fugiendo, quando perſecutor inſtat, donec aut mortis definitum tempus adueniat, aut quoaduſque definitor temporis Deus ipſis aliud indicet, vel perſecutores inhibens, vel perſecutoribus eos tradens, vt docet Athanaſ. in Apologia pro Fuga. 21

Ex quibus Reſponderi poterit etiam ad alterum Tertulliani Argumentum quod in eodem libro contra Fugam, opponit: Quod ſcilicet perſecutio à Deo immittatur, vnde concludit eam non eſſe fugiendam: Reſpondetur enim primò, Perſecutionem non propriè immitti à Deo; ſed quidem ſecundum certam Dei prouidentiam permitti ad Eccleſię exercitium, & alios bonos fines. Deinde ex tali immiſſione, ſeu potius permiſſione non eſſe conſequens, quod fidelibus non liceat aut fugere, aut conari etiam ad perſecutionem eam impediendam: quia vult Deus ſæpe permittere, vt maligni multa attentent, quæ tamen non vult habere ſucceſſum, & effectum ſuum: ſed & bonis permittit, vt mala illa impediant & euertant, aut effectum eorum declinent: quin & ad hoc frequentius bonos adiuuat & promouet. 22

Addo vlteriùs, quòd non tantùm, dum quis adhuc liber exiſtit, ſed etiam quando à Tyranno comprehenſus tenetur, licitè per ſe loquendo fugam capeſcat, ſi poſſit. Rationes eædem quæ ſupra, hic militant. Et cōfirmatur exemplo Petri Act. cap. 12. 23

qui

qui ductu Angeli est è carcere egressus, & effugit manus & vincula Herodis & omnem exspectationem plebis Iudæorum.

24 Sed contra dicta opponet aliquis, quòd Apostoli peccauerint fugiendo in passione Domini: Similiter & ille, qui de numero 40. Martyrum ex aquâ gelidâ in balneum calidum insilijt, vt patet ex Basilio oratione in 40. Martyres: ergò &c.

Respondetur: Apostoli non peccauerunt præcise fugiendo ferociam Iudæorum, sed quia Magistrum suum videbantur deserere, & ab eo recedere cum quâdam Christi ignominiâ: idq; ex diffidẽtiâ aliquâ, vt apparet, quasi iam actum esset de ijs, quæ Christus promiserat. Miles autem ille peccauit, quia paratus fuit abnegare fidẽ; ideò enim in balneum insilijt, quod ad hoc erat pręparatũ, vt si quis vellet à fide recedere, ibi se posset reficere. Accedebat & scandalum quod illâ occasione obueniebat.

25 Dico Secundò: Fugere in persecutione non tantùm secundum se illicitum nõ est; sed quibusdam aliquãdo etiam est in pręcepto. Et quidem D. Athanasius in verbis Domini Matth. 10. præceptum agnoscit, quamuis D. August. in fine epistolæ 180. disiunctiuè dicat, quod Dominus fugam præceperit, vel permiserit. Sed probatur vlterius, & simul explicatur ex rationibus pro prima responsione adductis, quæ dum bene perpenduntur, non solũ ostendunt fugam non esse illicitam, sed etiam esse in præcepto, nisi aliunde accedant rationes aliæ quæ pręualeant, & pręceptum quasi faciant cessare.

26 Quare inferri potest primò, quod si particularis aliquis & priuatus homo infirmioris animi, & conscius imbecillitatis suæ timeat ne propter tormenta in confessione forte deficiat, teneatur fugere si possit, tum quod non debeat prodigere vitam suam corporalem præsertim absque spe magni fructus spiritualis, tum propter periculum defectionis à confessione, quod vitare debet sicuti ipsam defectionẽ.

27 Infertur Secundò: Quod similiter fugere debeat siue Pastor, siue vir alius Ecclesiæ aut Reip. Christianæ multùm vtilis, quantumuis in Domino confidat quod confessionem posset sustinere, si ille specialiter ad necem quæratur, & ex eius cõtinuata pręsentia non dependeat notabilis fidelium vtilitas: quin è contra putetur absens, aut hâc persecutione cessante, posse Ecclesiæ & populo Christiano multum prodesse: quia charitas quam sibi debet, & quam debet proximo, omnino postulat vt & vitæ suæ tunc parcat, & ad aliorum vtilitatem reseruet, ne sine ratione prodigere eam videatur.

Neque huic obstant verba Christi, Ioannis 10. *Bonus Pastor dat animam suam pro ouibus: Mercenarius autem, & qui non est Pastor, & cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues & fugit*: nam Christus vituperat non simpliciter illum qui fugit; sed qui dimittit oues & fugit, vt bene obseruauit D. August. epistola 180. In casu autem nostro pastor non dimittit oues, quia supponitur vel absens sufficienter posse curare, vel quod alij sint præsentes qui eas debito modo curant. Similiter tenebitur fugere tam ex dilectione propriâ, quàm ex illâ quam inimicis debet, si ex eius præsentiâ non speretur vtilitas, sed è contra timeatur offendiculum, & magna perturbatio ac scandalum hostium Ecclesię; qui ex occasione præsentię personæ talis putantur commouendi ad eius apprehensionem, ad inferenda tormenta & mortem: ex quibus maior eorum oritur ruina: quod significauit Nazianzenus Oratione prima in Iulianum, vbi scribit: Decet Christianos non solùm res considerare proprias, etsi magno sint animo & fortitudine præditi: sed etiam persequentibus parcere, ne fortè ipsis acceptum feratur, quod hostium periculo non subuenerint. 28

Dico Tertiò: quibusdam tamen fugere aliquando illicitum ac vetitum est. Probatur, quia aliquando imminet ex quorundam fugâ, graue damnum spirituale proximorum præponderans supra vitæ corporalis curam, quam sibi impendere alioquin quisque debet: quod incommodum illi vel ex iustitiâ, vel ex charitate tenentur auertere & impedire: non licebit igitur talibus tunc fugere. Quare non potest tempore persecutionis fugere pastor, si oues remaneant, & non sit alius qui eas fouere valeat: tunc enim locum habet: *Bonus Pastor dat animam suam pro ouibus suis*, vt docet ex eodem loco D. August. epistola citata: nam si vnquam doctrina illa locum habere debet, tunc vel maximè quando pastoris præsentia saluti subditorum est necessaria. 29

Nam, vt inquit Nicolaus Papa Can. Sciscitaris: 7 quæst. 1. Si pernitiosum est, nautam in tranquillitate nauem relinquere, quanto magis in fluctibus: quando scilicet non adsunt alij, qui æquè officium obeant. Similiter, etsi quis non sit Pastor, tamen si præsentiam suam subtrahere non possit absque graui scandalo, ac decremento spirituali proximorum, non licebit tali fugere: quamuis enim non ex iustitiâ sicuti Pastor, tamen ex charitate obligatus erit remanere iuxta illud Ioannis 1. epistolæ cap. 3. *Et nos debemus pro* 30

pro fratribus animas ponere: quia bonum, scilicet spirituale proximorum, debet præponi vitæ propriæ.

31 Sed quæret aliquis, quid si plures sint qui possent singuli sufficienter populum curare, an tum omnes tenebuntur remanere, & si non omnes, quis ex illis tenebitur?

Respondetur, imprimis non esse necessarium, quod omnes remaneant, & morti se exponant: tenebitur autem imprimis ille, qui magis populo est obligatus, v. g. pastor, si aliquis inter eos sit, & reliqui pastores non sint. Quod si omnes æqualiter sese habeant in ordine ad obligationem istam, tunc abscedent illi quos commune consilium iudicat Ecclesiæ vitâ suâ posse plus prodesse, & remanebunt alij: quod si eiusmodi concilium non habeatur, vel quod singuli cupiant remanere, aut quisque iudicet alterum fore Ecclesiæ vtiliorem, tunc inter eos sors poterit mitti, & decisio diuinæ prouidentiæ committi, vt latè docet August. epistola 180. iam sæpius citatâ. Si tamen aliquis imbecillior & minus promptus ad manendum: alij autē sint promptiores, existimarem tunc communi consilio parcendū infirmiori, etiamsi alij putarentur fore alibi magis vtiles, quàm iste.

32 Dico Quartò: Quemadmodum aliquādo fuga quibusdam est illicita: & aliquando quibusdam in præcepto, sic aliquando etiam aliquibus potest esse libera, vt tantū sit consilij, aut fugere, aut non fugere. Declaratur, vt v.g. si quis sit animo forti qui cum Dei adiutorio confidat posse confessionem sustinere, & tamen absque scandalo se possit subducere: neque populo siue cæteris fidelibus sit necessarius, nihilominus pręsentia eius putetur allatura spiritualem vtilitatem alijs: neque ex eius morte, si obueniat, sint sequutura notabilia incommoda, poterit tunc talis negligere vitam corporalem pro laudabili confessione & honore Christi Domini, & vtilitate spirituali tum suâ, tum proximorum: quia tamen non est ex iustitiâ obligatus eam impendere proximis, nec eius præsentia absolutè illis necessaria est, ideo ad illud faciendum, non existit obligatus. Quid autem consultius in talibus occasionibus fiat, aut non fiat, ex circumstantijs secundum prudentiam Christianam erit dijudicandum.

DVBIVM III.

Vtrùm aliquando liceat occultare fidem?

Notandū Primò cum Caietano, aliud esse negare fidem verbis, factis, aut signis; aliud fidem aliquo istorum occultare: quamuis enim omnis qui negat, etiam occultet, quantum in se est, non tamē omnis qui occultat, debet dici negare. 33

Notandum Secundò: Signa vel actiones quibus contingit generaliter fidem occultari, esse in triplici differentiâ: quædam enim sunt talia, vt vel ex naturâ suâ, vel ex hominum instituto & accommodatione nullum habeat vsum humanum, nisi religiosum & cęremonialem: vt genua flectere corā idolo, & thus adolere. Item vestes sacræ tantum ad sacrificium aut ad alios actus religiosos destinatæ. Quædam verò sunt talia, vt habeant etiam alium vsum, & principalem, quamuis simul ex hominum consuetudine, quasi secundariò ad declarationem religionis videantur ordinata, vt sunt v. g. vestes religiosorum, aut vestes sacerdotum quibus à reliquo populo distinguntur: quæ tamen habent alium principalem vsum, puta humanum corpus cōtra aëris iniurias, vel alia incommoda tueri. Quædam denique non sunt vllò modo instituta, aut per homines accommodata ad religiosam significationē: sed tantùm sunt propria quoad vsum humanum infidelibus, aut gentilibus: vt v.g. sunt vestes seu habitus ordinarius Turcarum. His præmissis

Respondeo & dico Primò: Nunquam licet vti rebus vel actionibus ad occultandam fidem, quæ ex naturâ suâ, vel ex hominum instituto sunt præcisè ordinata ad professionem, aut ad cæremonias alicuius falsæ religionis aut sectæ. Colligitur primò ex Apostolo 1. ad Cor. 10. *Non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum:* & infrà: *Si quis autem dixerit: hoc immolatum est idolis, nolite manducare:* & ad Ephes. c. 5. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum:* quibus Apostolus fidelibus vetat communicationem cum gentibus in ijs, quæ erant idololatriæ & falsę ipsorum superstitionis & impietatis. 34

Probatur Secundò ex vsu Ecclesię: quę grauissimè sęper in eos animaduertit qui, licet animo fidem retinuissent, tamen vel exteriùs tantùm sacrificauerant, aut thus idolis posuerant: vt patet ex Canonibus 1. 2. & 3. Concilij Elibertini, vbi vetatur ne sacrificatis (sic enim appellabantur qui idolis sacrificauerant, licet in animo fidē 35

non

non perdidissent) communio concedatur ne in exitu quidem. Idem patet ex Cypr. qui tamen epistola 52. in exitu, seu morte communionem illis concedit: & in epistola 53. post triennij pœnitentiam istis qui initio fortiter confitentes, postea non tam in fide, quàm in carne victi sacrificauerant. Similiter etiam Concilium Ancyranum graues ordinationes edidit contra illos, qui sacrificassent, vel se Idolotytis maculassent. D. Irenæus quoque lib. 1. cap. 1. reprehendit in Valentinianis, quod Idolotytis cum gentilibus vescerentur: & festos eorum dies celebrarent.

Tertull. lib. de Idololatriâ, Christianos reprehendit, qui sculpebant Idola, aut adornabant: vel templa, aut aras eis ædificabant, vel in Cæsarum solemnitatibus tabernas aut ianuas suas lucernis ornabāt, vel laureis coronabant. Similia habet Cyp. lib. de Lapsis: & August. contra Mendacium cap. 2.

36 Probatur Tertiò ratione, quia eiusmodi signis aut actionibus vti, non est aliud quàm profiteri sectam in cuius professionem, vel proprias cæremonias sunt instituta, & sic fidem propriam exterius negare, si quis aliam habet religionem. Vnde & ipse infidelis, licet existimet se religiosè agere, peccat quoties illis vtitur, quia professionem facit infidelitatis.

37 Ex his constat meritò ab omnibus passim Adriani doctrinā reprehendi & reijci, quam in 4. qu. 1. de Baptismo ad 5. argumentum tradit his verbis. Item seriosè simulando contingit, verum velle occultare per signum, quo verisimiliter credimus alios decipiendos: quomodo Dauid coram rege Achis simulauit se furere: & si quis hoc modo (inquit) simulet Idololatriam, dum non requiratur confiteri cuius sectæ sit: aut non talis habeatur, qui facto suo alios in errore confirmet, vel à veritate deijciat, non videtur magis peccare Idololatriam simulando, quàm si metum, vt Iosue, vel furorem, vt Dauid, simularet: quibus docet per actum externum Idololatricum posse fidem occultari, sepositis scandalis, & necessitate confitendi fidem: quod falsum est. Actus enim exterior Idololatriæ sub propriâ personâ exercitus est sic obiectiuè malus, vt non possit rectè fieri quâcumque intentione exerceatur, vt docent Lyranus & Burgensis ad cap. 5. & 10. 4. Reg. & alij communiter. Et patet ex ratione iam antè adducta.

38 Addidi sub personâ propriâ exercitus: aliud enim est de illis, de quibus constat, quod non faciant eiusmodi actum ex personâ suâ, sed tantùm repræsentent facta aliorum: sic enim neque mendacium committitur, neque exteriorem ipsi faciunt eiusmodi falsi cultus professionem. Vnde tunc in eiusmodi actibus non plus est peccati, quam in relatu verborum blasphemiæ, quæ alius quispiam dixerit: & ita à peccato excusantur, qui in Comedijs repræsentant historias, & ritus sacrorū gentilium: à ratione enim mendacij secluduntur ioci, vt docet August. lib. de Mendacio: Habent enim euidentissimam, inquit, ex pronuntiatione atque iocantis affectu (quibus addi potest, vel ex agendi modo) speciem animi nequaquam fallentis, etsi non vera nuntiantis.

Sed pro doctrina sua adducit & opponit Adrianus primò: Naaman Cyrus 4. Regum cap. 5. promittit, quod non vltrà holocaustum, aut victimam faciet Dijs alienis; nisi Domino, & tamen petit ab Elisæo, vt illi indulgeatur ac ignoscatur, si Rege domino eius innitente super manum eius, ac in templo Remmon adorante, ipse adorauerit: atque istis videtur petijsse sibi hoc concedi, vt possit simulare adorationem in templo in præsentiâ Regis: & Propheta respondendo, vt ibidem sequitur, *Vade in pace*, videtur ei hoc concessisse; ergò &c. 39

Quidam hic respondent admittendo talem fuisse petitionē Naaman, vt in subsumpto prætenditur; sed negant illi Prophetam eius petitioni annuisse: verba enim illa *Vade in pace*, dicunt non esse concedentis, sed cum modestiâ dimittentis hominem: neque voluisse Prophetam explicatius negare, aut explicare concedi non posse, quia obseruabat alterum non esse paratum ab eo abstinere: vnde plenior instructio non nisi ad maius grauamen conscientiæ illius seruiuisset. 40

Alij autem magis communiter, & verius respondent, non fuisse eam Naaman petitionem, nec quicquam illiciti eum petijsse, adeoque Elisæum approbasse, quod petebat: de quo ipse ex timoratâ conscientiâ dubitabat, ne forte sibi non liceret. Non itaque petijt sibi ignosci, quod in templo Remmon simularet cultum idoli cum Rege suo: sed petijt vt ciuile ministerium, quod Regi etiam extra templum exhibebat, posset quoque ei præstare in templo. Quod ergo dicit, vt sibi ignoscatur, si Rege in templo adorante & innitente super manum eius adorauerit, hunc habet sensum: Si in templo etiam genua cum Rege flexerit non cultus diuini causâ, sed obsequij Regi præstandi gratiâ: qui enim seruit Regi in incessu, potest eidem seruire in geniculatione eum sustentando, vt sicut innititur super manum congredientis, ita geniculans innitatur simul geniculanti: 41

niculanti: cuiusmodi seruitium etiam in ædibus aut templis falsi cultus, possunt serui dominis suis exhibere, vt colligitur ex Tertulliano lib. de Idololatria cap. 17. & cap. 16. vbi inter alia dicit: Si propter sacrificium vocatus assistam, ero particeps Idololatriæ: Si me alia causa coniungit sacrificanti, ero tantùm spectator sacrificij: & Lyranus in caput quintum quarti libri Regum dicit, Captiuæ Christianæ licitum fore, eadem obsequia dominæ suæ præstare in æde Mahumeticâ, quæ domi & alibi ei præstare consueuit.

42 Obijcitur Secundò: D. Hier. in Iehu Rege commendat, quod simulauerit se cultorem Baal, vt faciliùs cultores eius omnes internoscere, & interficere posset: sic enim in cap. 2. ad Gal. scribit: Verùm simulationem & assumendam in tempore, Iehu regis Israël nos doceat exemplum: qui cum non potuisset interficere seruos Baal, nisi se finxisset velle Idolum colere, &c. Imo videtur Deus ipse Iehu in hâc simulatione commendasse 4. Regum cap. 10. *Quia* (inquit) *studiosè egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fecisti, contra domum Achab, filij tui sedebunt vsque ad quartam generationem super thronum Israël.* Si ergo Iehu rectè simulauit se seruum Baal, vt seruos illius occideret, magis licebit seruis Christi simulare se seruos Idoli, thus ei ponendo, aut aliud simile agendo simulatè, ne à seruis Idoli interficiantur; saltem scandalis sepositis.

43 Respondetur: D. Tho. infrà quæst. 111. art. 1. ad 2. vbi docet simulationem omnem esse peccatum, ad allegatam Hier. authoritatem dicit, eum sumere generaliter simulationem pro quâcumque fictione, vt scilicet etiam dissimulationem & occultationem comprehendat; & illud quidem sufficit, vt verba Hieronymi non obstent doctrinæ, quam Diuus Thomas ibi tradit: sed non sufficit proposito nostro, quia asserimus nec ad dissimulandum vel occultandum, siue religionem, siue nationem suam, licere eiusmodi actionibus vti.

44 Quare dicendum est, quod Hier. per commentaria & doctrinam Origenis videatur longiùs aliquâtulum fuisse abductus in defendēdis istiusmodi simulationibus, quodq; ideo magis D. Augustino adhærendum sit, qui in hâc parte contra D. Hieronymum sensit; Dominus Deus autem commendat quidem zelum Iehu quod magno studio diuinæ voluntati sit obsecutus in delendâ domo Achab: interim tamen in mediorum electione & vsu multùm zelus iste excessit. Vnde D. Aug. lib. contra Mendacium cap. 2. scribit, Iehu mendacio impio, & sacrificio sacrilego occidendos impios & sacrilegos inquisiuisse: neque scripturam commendare eum nobis imitandum: quandoquidem ipsa dicat, eum cor rectum non habuisse cum Deo: neque multùm ei profuit (inquit) quod pro nonnullâ obedientiâ, quam de domo Achab delendâ pro cupiditate suæ dominationis exhibuit, aliqualē transitoriam temporalis regni mercedem acceperit. Nihil hoc igitur exemplum Iehu nobis officit cum à sanctis passim reprobetur.

Obijci potest Tertiò: 1. ad Cor. 9. cap. dicit Apostolus: *Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer:* & paulò infrà: *Ijs qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, &c. Vt lucrifacerem eos qui sine lege erant:* & paulò post: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos:* ergo ex iustâ aliqua causa; v.g. ad salutem infidelium aut hæreticorum procurandam, licebit assumere, & foris simulare quamlibet religionem, aut sectam: ergò etiam ad fidem occultandam & seruandam vitam, vbi saltem scandala absunt & non teneatur quis fidem confiteri. 45

Confirmatur ex D. Ambrosio serm. 69. vbi de Eusebio Vercelensi scribit: Sicut, ait, Sanctus Paulus: factus sum Iudæis Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem: Ita Eusebius Hæreticis se Hæreticum mentitus est, vt de hæresi filium liberaret: dixit enim illorum se consentire perfidiæ: hoc sibi quod illis placere, sed quod sibi filium Dionysium in subscribendo præponerent, grauiter se ferre: Vos enim (inquit) qui dicitis filium Dei Patri Deo æqualem esse non posse, cur mihi filium prætulistis? cumque hâc ratione obtinuisset filij Chyrographum deleri, insultauit Arrianis dicens: Neque ego me vestris sceleribus polluo, neque filium participare vobiscum permitto. 46

Respondetur Negando Consequentiam nam ex Diuo Augustino epistola ad Hieronymum rectè docent Anselmus & Beda, quod Apostolus dixit: Omnibus omnia factus sum: non mentientis astu, sed compatientis affectu; non simulatione fallaciæ, sed compassione misericordiæ: Quis, quando dicit: *Quis infirmatur & ego non infirmor:* non intelliget potius illum alterius infirmitatem doluisse quam simulasse: Iste verò compatientis affectus & compassio misericordiæ hoc in Apostolo operata sunt, vt abstineret ab illis, vel vt ea faceret quorum exercitio vel quorum prætermissione respectiuè offenderentur infideles, siue 47

Iudæi, siue gentiles; vt eos faciliùs Christo lucrifaceret; ab ijs (inquam) abstineret quæ secundum se indifferentia erant, vt colligitur ex c. 8. præcedente, vbi sic scribit: *Esca autem nos non commendat Deo: neque enim si manducauerimus, abundabimus; neque si non manducauerimus, deficiemus. Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis:* &c. *Quapropter* (inquit) *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem,* ad Rom. 14. *Si propter cibum frater tuus contristatur: iam non secundum charitatem ambulas: noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est:* &c. *Noli propter escam destruere opus Dei.*

48 Non igitur Paulus omnibus omnia factus est, vt eos faceret saluos, quasi cum gentibus mentitus fuerit se gentilem, Idolis thus ponendo, aut in eorum sacris participando, vel Idolotytha manducando: vel quasi cum Iudæis mentitus sit se Iudæum, Legalia necessaria confitendo; aut tanquam necessarijs vtendo: sed sese hactenus illis accommodando, vt apud gentiles abstineret à Legalibus, quæ nouerat iam mortua: apud Iudæos, quia mortifera nondum erant, ijsdem non iam tanquam signis; sed tanquam rebus indifferentibus vteretur, vt ex infirmitate non paterentur alij scandalum, sicuti alibi latiùs hæc explicantur.

49 Ad Confirmationem Respondetur sermonem illum non esse Ambrosij, vt significat Bellarminus in lib. suo de Scriptoribus Ecclesiasticis ad opera Ambrosij: grauissimus autem est error existimare, quod liceat se hæreticum mentiri, vt hæreticos quis lucrifaciat: vnde D. Augustinus illud grauiter reprehendit in quibusdam Catholicis lib. contra Mendacium cap. 2. & 3. qui videbantur existimare quod bene in eo facerent, quod dictis aut factis se Priscillianistas simularent, vt sic ad eos haberent accessum, & possent ab errore illos reuocare. Quare tametsi constaret Eusebium eâ vsum fuisse simulatione, non tamen ideò imitandus esset, vtpote qui in hoc habuisset zelum non secundum scientiam: forsitan tamen propter aliquã ignorantiam inuincibilem potuerit zelus iste excusari.

50 Dico Secundò: Licitum tamen est, aliquando fidem occultare; & ad eam occultandam vti siue vestibus, siue formis & modis actionum ex communi vsu proprijs alicui nationi, vel populo, qui falsam sectam profitetur.

Est vtraque pars communis Doctorum: & Probatur primò: Quia non tenetur quis semper & vbique proloqui & profiteri fidem suam: cum enim actus ille cadat sub præceptum affirmatiuum, non obligamur pro semper & vbique eum exercere: sed pro tempore & loco: potest ergo quis fidem suam aliquando silere, & per consequens etiam occultare adhibendo ea, quæ distrahant aliorum animos, ne de fide aut religione meâ cogitent. Vnde in occultatione non intendimus alijs ingenerare opinionem aliquam falsam, puta vt existiment, quod vel non simus Christiani, vel quod simus alterius sectæ: sed solùm cogitationes diuertere, ne apprehendant aut sese reflectant super religione aut fide, quam tenemus: id autem & sine mendacio; & sine fallacia ex parte nostra fieri potest: quod si alij forsitan falsas opiniones concipiant de religione meâ, ad id censebor non cooperari; sed permissiuè me habere, si legitimis modis & medijs fidem occultem.

Altera itaque pars responsionis, quod scilicet mediante eiusmodi habitu, aut modo agendi: v. g. inter Turcas vtendo veste Turcicâ, & accumbendo more gentis illius, tanquam medijs oportunis fidem occultare possum, probatur; quia vsus istius habitus, aut modus ille accumbendi, siue comedendi & bibendi ex se indifferens est: neque aliquid superstitionis aut alterius mali in se includit: id autem ad quod adhibetur, scilicet vt fides mea maneat occulta, etiam tempore & loco licitum est: ergò &c. 51

Confirmatur, quod vsus ille malus non sit ex Tertulliano lib. de Idololatria cap. 17. & 18. vbi ostendit Iosephum apud Ægyptios, & Danielem apud Babylonios sine noxâ, & mundos ab Idololatria administrasse dignitatem & potestatem, & in ornamento & purpurâ extitisse: prius quidem, quia potest alicui succedere, ac obuenire quod in honoris nomine incedat, nec sacrificet (inquit) nec sacrificijs suam authoritatem accommodet, non hostias locet, non curas templorum deleget. Posterius verò, quia purpura tantùm, honoris nomine conferebatur his qui familiaritatem Regum merebantur: vnde (inquit) & purpurati regum vocabantur à purpurâ: neque superstitionis, sed ingenuitatis insigne erat. Quibus satis declarat fidelibus licere inter infideles vti communi veste eiusmodi populi, seu nationis. Vnde & Iustinus Christianus factus gestauit adhuc pallium philosophicum & Sebastianus chlamidem militarem. 52

Dico Tertiò: Non potest quis fidem occultare veste sacris Idoli, aut superstitiosis vsibus falsæ sectæ tantummodò destinatâ quæ alium vsum non habeat: Imò 53

neque

neque veste aliâ, quæ propria sit sacerdotum, aut ministrorum alicuius idoli, aut falsæ religionis, quâ ipsi distinguantur tanquam personæ sacris idolorum dicatæ à reliquo vulgo infidelium, etsi vestis illa simul habeat vsum communem instar vestium aliarum.

54 Probatur ex Tertull. loco antè citato, vbi sic scribit: Cæterùm (inquit) purpura, vel cætera insignia dignitatũ, & potestatum, insertæ dignitati & potestatibus idololatriæ ab initio dicata, habent profanationis maculam. Quibus indicat insignia illa, quæ dicata sunt dignitati aut potestati ad sacra idolorum celebranda, esse prophana & prophanationis maculam inducere. Vnde paulò infrà addit: Tunicam si induas inquinatam per se, poteris forsitan illam non inquinare per te (quia scilicet à sacrificijs poteris abstinere) sed tu per illam mundus esse non poteris. Et Ratio est, quia habitus isti, siue religiosi sint tantùm, siue religiosi & simul aliquẽ vsum ciuilem habentes, ex institutione suâ denotant personas quæ ijs vtuntur, aut gestant peculiariter idolis, aut falsis sectis, eorumque seruitijs peculiariter esse deuotas, ac dicatas: vnde qui illis induuntur, professionem publicam suę seruitutis ac deuotionis erga idolum faciunt: quod per se illicitum est, vt antè ostendimus.

55 Dico Quartò: Si magistratus Christianus ob rationes politicas institueret, quatenus infideles, quos apud se habitare permittit, vtantur veste certi coloris aut formæ, quâ distinguantur à Christianis, sicuti Romæ Iudæi gestare solent pileos flaui coloris; non licebit communiter & ordinariè Christiano talem vestem gestare illis in locis. Ratio est, tum quia sine scandalo id fieri non potest, tum etiam, quia si nulla subsit necessitas, vel causa excusans, censebitur moraliter profiteri se vnum ex infidelibus. Vnde addo &.

56 Dico Quintò: Probabile nihilominus esse, quod in certis euentibus Christianus poterit licitè vti eiusmodi veste ad occultandum, siue fidem, siue nationem suam. Declaratur, vt v. g. contingit istos infideles in oppido commouere seditionem, & præualere, ac quoscumque agnoscunt Christianos, aut alterius nationis occidere, verisimile est tunc mihi licere habitum eorum assumere: quia gestatio habitus talis fuit eis demandatus, vt publicè & vbique agnoscantur, ne per occultas insidias, aut machinationes possint statum Reip. siue in temporalibus, siue in spiritualibus perturbare, vel offendere: quando igitur status de facto est perturbatus & euersus, videtur quod tum cum fine ordinationis etiam cesset ipsa ordinatio: & proinde sit tunc vestis planè indifferens, nec habeat vlterius aliquam rationem distinctiuam ex magistratus præscripto. Neque tunc solùm, sed etiam apparet licitum illâ vti, quando ex accidente mihi insidias ab eiusmodi infidelibus obseruo paratas cum vitæ meæ periculo, quas euadere nequeam, nisi personam meam aut religionem dissimulem, siue occultem.

Et ratio reddi potest, quia licet ex magistratus ordinatione debeat infideles illi ordinariè & publicè istum habitum gestare, vt agnoscantur, non tamen videtur tam certò & infallibiliter in eo collocasse signi rationem talis nationis infidelis, vt ex eius sensu & iudicio censeatur facere professionem istius infidelitatis, quicumque etiam in grauissimâ necessitate, v. g. mortis, eo vtitur ad periculum illud euadendum, præsertim priuatim apud infideles, vt coram illis se occultet, accedente simul eo, quod ordinatio magistratus non eò respiciat, vt per vestem illam faciant seu edant professionem suæ sectæ (sic enim eos compelleret ad actus malos) sed solùm vt à Christianis cognoscantur, quod talis sectæ sint. Pari ratione in similibus casibus licitum apparet deponere insignia, quæ iussu Magistratus forsitan alicubi gestare debent Christiani: quia in illis factis, cum talibus circumstantijs, non censetur subesse professio alicuius falsæ sectæ, neque negatio propriæ religionis, aut fidei: sed tantùm huius occultatio; quæ tempore & loco, scandalis sepositis, & quando præceptum confitendi fidem non vrget, fieri licitè potest: vt ante ostendimus. 57

Docet Becanus in Tract. de Fide cap. 9. cum Azorio lib. 8. Moralium cap. 24. quæst. 3. similiter licere Catholico diebus ab Ecclesia prohibitis, vesci carnibus inter hæreticos, si absque vitæ periculo non possit se Catholicum manifestare: & rationem reddunt, quia esus carnium istis diebus nõ est institutus ad professionem falsæ religionis, estque ex se indifferens: neque abstinentia illis diebus à carnibus instituta est ab Ecclesiâ ad discernendos Catholicos ab hæreticis: sed ob alium finem, scilicet ad carnis castigationem & refrænationem: neque intendit Ecclesia ad huius instituti obseruationem, obligare suos cum vitæ periculo, quando aliàs scandalum & contemptus absunt. Quare qui in tali casu carnibus vescitur, neque ex intẽtione propriâ, neque ex Ecclesiæ institutione, nec etiam ex prudenti aliorum æstimatione debet aut potest censeri per hoc factum, aut sequi aut profiteri sectam falsam, vel negare fidem propriam; sed tantùm non 58

velle suam religionem manifestare, & alijs cum tanto suo periculo aperire.

59 Sed quæritur, quod si Rex infidelis aut hæreticus legem conderet, quâ mandaret quatenus Christiani omnes vel Catholici, qui in eius regno sunt, vtantur peculiari veste, quâ agnoscantur esse tales, Vtrùm licebit Christianis propter periculũ vitæ deponere, vel nõ gestare talem vestẽ ad fidẽ occultandã, ne agnoscantur. Quidam respondent hic cum distinctione: si vestis illa, vel aliud signum publicâ lege institutum sit propter finem tantùm politicum, nimirum vt in Repub. discernantur ab infidelibus, tunc licere: si autem publicâ authoritate institutum sit ad significandam Christianæ fidei professionem, tunc non licere, modò lex illa passim obseruetur, & sit in suo vigore. Ita sentire videtur hoc loco Caiet. Ratio assignari potest, quia in tali casu videtur lex illa habere vim interrogationis de fide propositæ per authoritatem publicã, cui oportet manifestè, & sine occultatione respõdere.

60 Alij tamen probabiliter docent in vtroque casu licere veste illa vti ad mortem vitandam, modò absit scandalum, & aliunde præceptum confessionis fidei nõ obliget. Ita Sanchez lib. 2. moralium c. 4. & Becanus de fide cap. 9. circa finem cum pluribus alijs. Ratio autem sumi potest à contrario: quia si non liceret dimittere eiusmodi habitum aut signum ad mortem vitandam, vel id esset propter legem quæ præcipit vsum illius signi; aut certè quia lex illa habet vim interrogationis publicâ authoritate factæ, prout vrget Caiet. Non propter prius, quia lex humana non obligat cum periculo vitæ sepositis alijs incommodis: Imo lex illa videtur iniqua quæ directè mandaret, vt quis seipsum proderet ad mortem iniustam subeundam: non etiã propter posterius, quia non potest Tyrannus pro libitu suo formare & extẽdere modos interrogandi, seu interrogationes proponẽdi, sic vt illis ita factis succedat diuinę legis mandatum de fide confitendâ: nam sic etiam posset legem condere, quòd quicumque vltrò non comparuerit, & sese carceribus & morti obtulerit, censendus foret fidem Christianam abnegasse: nemo tamen dixerit, quod quicumque tali ordinationi non satisfaceret, censeretur idcirco fidem abnegare, aut præuaricari præceptum confitendæ fidei. Ergo etiam dicendum est, quod lex illa ab infideli Principe lata de certo genere vestis gestando à Christianis, nõ debeat censeri habere rationem & vim interrogationis à publicâ potestate in iudicio aut quasi iudicio prępositæ.

DVBIVM IV.

An fides confitenda sit exteriùs, aliquando etiam cum periculo vitæ? & quando?

Respondeo & Dico Primò. Fides aliquando sine ambagibus & dissimulatione exteriùs confitenda est, etiam cum vitæ periculo. 61

Colligitur ex suprà dictis, quia vti circa Conclusionem Artic. ex Diuo Thomâ diximus, confessio cadit sub præceptum diuinum affirmatiuum: quod tempori & loco seruandum & implendum est, sicut alia diuina præcepta affirmatiua: quæ nequidem ad vitandam mortem licet præuaricari, quando punctum temporis & loci, pro quo obligant, occurrit. Et probari specialiter potest ex illo Apostoli ad Rom. 10. *Quia si confitearis*, inquit, *in ore tuo Dominum* IESVM, *& in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitauit à mortuis: saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* quæ verba tractans D. August. in lib. de Fide & Symbolo cap. 1. ait; Fides officium à nobis exigit & cordis, & linguæ: oportet igitur tempore & loco fidem confiteri, etiamsi adsit vitæ periculum; quemadmodum oportet alia diuina præcepta seruare. Quæ verò Priscillianistæ & Gnostici contra huiusmodi confessionem cum periculo mortis opposuerunt, suprà circa dubiũ primũ allegata sunt & soluta.

Dico Secundò: Fides tunc inprimis palàm & absque omni ambiguitate confitenda est, etiam cum mortis periculo, quãdo quis à Rege, vel Præside, vel alio qui publicâ authoritate fungitur, interrogatur: sitne Christianus aut Catholicus? vel vtrùm credat & teneat hunc vel illum fidei articulum? tum enim tenetur tam apertè respondere, vt alijs non relinquat locum suspicandi, quod Christianus aut Catholicus non sit, vel quod articulum, super quo interrogatur, non credat.

Probatur Primò ex Scripturis: Matth. 10. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cauete autem ab hominibus: tradent enim vos in Concilijs, & Synagogis suis flagellabunt vos: & ad Præsides & ad Reges ducemini propter me, in testimoniũ illis & gentibus* &c. *Tradet autem frater fratrem in mortem* &c. tunc infrà: *Et eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.*

His instruit Christus discipulos, quatenus prudenter & simpliciter ambulent: 62 prudenter quidem, vt ab hominibus insidiantibus sibi caueant, quantũ humanitùs, & cum rectâ ratione fieri potest: Simpliciter ve-

ter verò, vt quãdo obuenerit, quod diuino permissu fuerint apprehensi, & ad Reges & Præsides propter ipsũ ducti in testimoniũ illis & gentibus, tunc quoq; in confessione nominis eius non deficiant; sed simpliciter & palàm nomen Christi profiteãtur: *Qui enim perseuerauerit vsque in finem*, inquit, *hic saluus erit*, & cap. 24 *Tunc tradent vos in tribulationem & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum*: vbi rursum significat confessionem nominis, non esse deserendam, neque propter odium, neque propter carceres, neque propter mortem quando comprehensi à Magistratu super fide & religione examinantur, & Lucæ 12. *Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus*: & tum paulò infrà: *Dico autem vobis, Omnis quicumq; confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei*. quod pressiùs & efficaciùs ad propositum nostrum exprimitur cap. 9. vbi sic dicitur: *Nam qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua*: & Marci 8. *Qui enim me cõfusus fuerit; & filius hominis confundetur eum*: qui enim coram publicà potestate non audet fidei Christianæ facere confessionem, is meritò censetur Christum erubescere: ergò &c.

63 Probatur Secundò ratione Theologicâ: Quia confessio fidei est necessaria ad salutem, & proinde etiam cum vitæ periculo facienda, quando per eius omissionẽ subtraheretur honor debitus Deo, vt in Articulo docet D. Thomas: atqui dum Christianus interrogatur à regibus, aut publica potestate, tunc per omissionem confessionis vel maximè subtrahitur Deo, si vnquam, honor debitus: ergò &c.

64 Confirmatur Primò: Quia Scripturæ passim indicant magnam diuini nominis celebrationem & honorem ex confessione in tali casu dependere; atque adeo Deum voluisse in suis fidelibus, & per eos honorari & clarificari. Ioannis 15. *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis*: & consequenter cap. 16. *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini: absque Synagogis facient vos: sed venit hora, vt omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo*: quibus indicat Christus, discipulos suos debere esse paratos ad ista sustinenda pro confessione, & testimonio ipsius. Item Ioannis vltimo, postquàm Christus insinuasset Petro mortis, & martyrij genus, addit Euangelista: *Hoc autem dixit significans, quâ morte glorificaturus esset Deum*. Act. cap. 9. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus*, &c. Matthæi cap. 10. monet etiam Christus suos, vt non terreantur ab his qui occidunt corpus: sed timeant illum, qui postquam occidit corpus, habet potestatem mittere in gehennam, significans, si ex terrore eum negarent & erubuerint, quod incident in eius indignationem & grauiorem vindictam: ergò &c.

Confirmatur Secundò: Quia honor Dei hâc in parte coniunctus est cum honore ipsius fidei Christianæ, vtpote cuius ipse author est: ergo vbi honor fidei exigit cõfessionem, ibi etiam Dei honor illam requirit: atqui honor fidei tum maximè exigit publicam cõfessionem: qui enim tunc fidem confitetur, maximum ei honorem defert, vtpote cuius veritatem tam certam & solidam tenet, cuiusque excellentiam & præstantiam tanti facit, vt pro illâ non dubitet subire mortis periculum. E contra autem qui non confitetur, ostendit se illam parui facere, & quasi vilem habere, quam non audeat coram publicâ potestate, & quasi in teathro mundi profiteri, nec eius patrociniũ suscipere: ergò &c. 65

Vnde D. Cypr. lib. de Laude Martyrij, contra timidiores, sic loquitur: Si iustus es, & Deo credis, quid pro eo sanguinem effundere metuis, quem pro te toties passum esse cognoscis? in Isaia sectus, in Abel occisus &c. D. Ambros. quoque lib. 10. in Lucam requirit claram confessionem reijciens quæcumque subterfugia & inuolucra: Quid enim prodest (inquit) verba inuoluere, quando videri vis denegasse? Hinc Martyres in tali casu nonquam simulatione, aut dissimulatione seu occultatione fidei vsi sunt: & Libellatici qui videri volebant satisfecisse mandatis Tyrannorum, etsi non fecissent, grauiter ab Ecclesiâ fuerunt reprehensi & puniti, vt suprà ex Cypriano & antiquorum Concilijs diximus. 66

Rectè tamen notat hic Malderus discrimen inter Libellaticorum factum, & quorundam fidelium, imò integralium quarundam Ecclesiarum, quæ etiam Tertulliani temporibus vectigal aliquod beneficiarijs Cæsaris pendebãt, ne cogerentur sacrificare: hoc enim licitum fuit: quamuis enim non liceat testimonium emere sacrificij per te facti, vt alij existiment te fecisse quod nõ fecisti, licet tamẽ redimere vexam & coactionem sacrificãdi, quando nihil intercedit quod foris declaret aliquid fidei, aut fidei confessioni contrarium per te actum, aut gestum. Vnde in Angliâ & Hyberniâ licitè potuerunt Catholici pecunijs redimere, ne ad conciones & cænas Caluinisticas cogerentur accedere. 67

68 Tertullianus in libro de Fuga, damnat etiam vectigales istos, sed iam tum ab Ecclesiâ defecerat, vt ex D. Hieronymo supra diximus: quare ista eius authoritas mouere non debet. Excusat autem illos Petrus Alexandrinus Episcopus & Martyr in Canone quodam pænitentiali, quẽ refert Baron. ad annum Domini 205. & 235. neq; enim illi contra fidei confessionem delinquunt, quandoquidem se fideles & Catholicos profitentur, & tantummodò ne ad malum contra fidem perpetrandum cogantur, pecunijs sese redimunt: quæ & ipsa redemptio est quædam fidei confessio.

69 Dico Tertiò: Insuper fides erit confitenda etiam cum periculo vitæ, quando necessitas proximi illam requirit, cui ex iustitiâ vel charitate teneris succurrere. Probari potest ex dictis supra: quia quemadmodum in certis casibus non potest, v.g. Pastor, aut alius quispiam quando eius prẹsentia ad salutem communitatis est necessaria, fugere, ita quoq; debebunt ijdem fidem publicè profiteri, etsi nondum à publicâ potestate essent comprehensi aut interrogati; quando talis confessio ad alios in fide conseruandos, fuerit necessaria. Confirmatur: Quia tunc occurrit casus, quod per omissionem confessionis subtraheretur vtilitas proximo impendenda: quo casu docet D. Tho. præceptum confessionis obligare.

70 Dico Quartò: Extra eiusmodi casum scandali vel necessitatis proximorum, non tenebitur quis apud infideles, vel hæreticos priuatos homines, etsi ab illis de fide interrogetur, eam confiteri publicè & palam: sed poterit tacere, aut reijcere, vel eludere eorum interrogationem. Ita communiter sentiunt DD. Et reddi ratio potest, quia priuati homines, nec verè, nec communi æstimatione habent potestatem examinandi, aut inquirendi de fide & religione aliorum, sicuti Reges & publici Magistratus. Vnde qui priuatis non respondet, aut apud eos dissimulat, non censetur idcirco erubescere, aut minoris quàm oportet, fidem suam & honorem Christi facere: sed contemnere aut negligere importunorum hominum quæstiones & vexas de rebus, de quibus ad eos nõ pertinet inquirere.

71 Sed objiciet aliquis: Videtur esse omnino par ratio confessionis fidei manifestè & palàm faciendæ, dum quis interrogatur à priuatis hominibus, & dum interrogatur à publico Magistratu: ergò vel vtrobique, vel neutrobique clarè & publicè cum vitæ periculo facienda erit.

Probatur Antecedens: Quia vtraque confessio clarè facta cedit in honorem fidei, & religionis diuinæ: ex alterâ autem parte, sicuti priuati non me possunt suâ interrogatione obligare, vt eis cum vitæ periculo clarè respondeam de fide meâ, aut religione, ita neque Magistratus videtur me posse obligare, sic vt tenear illi respondere, & manifestare eâ, propter quæ scio me afficiendum iniquo supplicio: quia crimen nõ commisi. Accedit quod sẹpius etiam contra aut præter ordinem iuris procedat eius interrogatio: ergò &c.

Respondetur Neg. Antecedẽs: Ad probationem autem dicendum est, quod tametsi confessio in vtroque casu possit cedere in honorem fidei, & nominis Christiani: non tamen censetur honor ille pariter ex vtrâque confessione dependere: longè enim alterius & quasi eminentioris rationis sunt actus illi, qui coram publicâ potestate fiunt, etsi non omni ex parte seruetur iuris ordo, aut ratio; quàm sint qui priuatim inter particulares personas geruntur. Vnde per ea quæ coram Magistratibus fiunt, meritò potest censeri Deo subtrahi honor debitus, & tamen non ita per similia quẹ priuatim geruntur, vt ex dictis potest colligi. 72

Neque refert: quod Magistratus dicatur non habere authoritatem per se obligandi fideles, vt teneantur ipsi manifestare fidem & religionẽ, propter cuius confessionem sciunt se iniquo iudicio adiudicandos morti: quia non dicimus necessitatem clarè respondendi, & palàm profitendi fidem, nasci præcisè ex mandato aut interrogatione ipsius Magistratus: quod manifestum est, quãdo contra iuris ordinẽ in suis interrogationibus procedit; sed ex ordinatione & præcepto Christi, qui voluit se & religionem suam tanto loco & honori à fidelibus haberi, vt dum à publicâ potestate interrogantur, siue iure, siue iniuriâ, non erubescant, ne timore quidem mortis, ipsum & religionem eius confiteri: quod ex Scripturis supra allegatis satis clarè intelligitur. Etsi igitur præceptum Tyranni in se præcisè spectatum me non obliget ad fidei confessionem, tamen me in eâ temporis & loci ratione ac statu constituit, pro quibus præceptum diuinum de fide confitendâ me obligat ad eius confessionem. 73

DVBIVM V.

Vtrùm aliquando præceptum affirmatiuum confessionis fidei obliget extra necessitatem aliarum virtutum, vt religionis, aut

aut charitatis, puta etiam aliquando, quando Dei honor aut salus proximi non periclitantur?

74 RESpondetur: Probabiliter quidam existimant præceptum hoc aliquando etiam per se & ratione sui obligare: Et Probari potest Primò: Quia actus fidei interior per se cadit aliquando in obligationem, vt ex supra dictis patet: ergò etiam aliquando exterior confessio; præcepta enim accommodata sunt nostræ naturæ: constamus autem non tantum animâ, sed & corpore. Accedit quod per fidem adhærere debemus Ecclesiæ visibili, quod fieri non potest sine exteriori confessione fidei. Præterea in statu innocentiæ aliquando etiam obligasset præceptum confessionis fidei, vbi tamen prædicta pericula non habuissent locum. Denique æquum est, vt etiam lingua Conditorem, & eum à quo beatitudinem & omne bonum exspectamus, aliquando glorificet, vt corpus sit particeps meriti, quod particeps erit gloriæ. 75

Opposita nihilominus sententia non est etiam improbabilis: cui fauet D. Thomas dum docet, præceptum confessionis obligare, quando eius omissione subtraheretur honor debitus Deo, vel vtilitas impendenda proximo. Quidquid interim eâ de re sit, non apparet aliquod morale periculum præuaricandi eiusmodi obligationē, etiamsi admittatur aliquando subesse, eò quod Christiani, & Catholici frequentius in diuersis religionis actibus fidem suam profiteantur, vt in Sacramentorum perceptione, sacrificij communicatione, obseruantia ieiunij Ecclesiastici, & alijs similibus.

QVÆSTIO IV.

De ipsa fidei virtute.

In octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm hæc sit competens fidei definitio: Fides est substantia sperandarum rerum; argumentum non apparentium?

VERBA desumpta sunt ex Apostolo ad Hebr. cap. 11. vbi ita de Fide pronuntiat.

1 Responsio affirmatiua est: & probari primò potest, quia in his verbis difinitionem fidei agnoscunt D. Hieron. in cap. 5. ad Galatas: August. tract. 79. in Ioannem: Theodoretus, & Theophilactus in ipsum locum: Bern. epist. 190. & serm. 10. in Psalm. *Qui habitat in adiutorio altissimi.*

2 Non est tamen definitio omnino formalis & essentialis; sed descriptio quædam per officium, seu effectum; & quasi per propriam passionem, quæ ad notificandam formalem rationem, & essentiã fidei inprimis valet, vt in notitiam eorundem nos inducat. Quod vt intelligatur, sensus verborum Apostoli ex planandus est: ac inhærendo vulgatæ Lectioni, prætermissis alijs, quas expositoribus epistolæ relinquimus examinare; Occurrit prima difficultas, Quid nomine substantiæ, hic intelligatur?

3 Notandum pro substantiâ non poni Græcè *Ousiam*, quo nomine primam rerum categoriam Dialectici Græci compellant, quamuis nomen illud *Ousia*; propriè essentiam significet: sed poni hypostasim, quæ vox latinè substantiam, siue subsistentiam sonat. Iuxta hoc igitur quod substantię vel subsistentię attendi possunt diuersæ considerationes, quæ fidei, respectu rerum sperandarum congruunt, fit etiam, quòd diuersi diuersimodè explicent, quomodo & quâ ratione fides ab Apostolo dicatur substantia rerum sperandarum: quæ tamen expositiones ad duas videntur posse reuocari.

4 Quidam itaque fidem volunt eo sensu dici substantiam, siue hypostasim rerum sperandarum, quod earum sit quasi basis ac fundamentum, cui salus sperata ita scilicet innititur, vt absque illâ stare, seu obtineri nequeat; quemadmodum basis diceretur substantia aut subsistentia columnæ; fundamentum substantia domus, & subiectum dicetur substantia aut subsistētia accidentium. Ad quorum sententiam

accedere hic videtur D. Thomas, quando docet, fidem dici substantiam rerum sperandarum; quia scilicet prima inchoatio rerum sperandarum in nobis est per assensum fidei, quæ virtute continet omnes res sperandas: In hoc enim (inquit) speramus beatificari, quod videbimus apertâ visione veritatem, cui per fidem adhæremus: quemadmodum principia indemonstrabilia (ait) quatenus sunt prima inchoatio scientiæ, & virtualiter eam continent, possunt dici substantia scientiæ.

5 Alij verò, & præsertim Græci, vt Chrysost. & Theodoretus volunt fidem dici substantiam seu hypostasim, quia fides dat rebus speratis certum ac indubitatum esse, seu existere quoddam, non simpliciter; sed obiectiuè, & in nobis; quando scilicet fides nos adeò certos de illis facit, ac si eas oculis ac manibus teneremus: Imò certiores, quam si quocumqne sensu perciperemus, vel quacumque demonstratione intelligeremus: atque ita in sensu causali per metonymiam ab effectu fides dicitur substantia, seu subsistentia: quia causat eiusmodi rerum sperandarum subsistentiam obiectiuè in nobis.

6 Et hanc expositionem, vt magis germanam approbant Estius in Commentario ad prædicta Apostoli verba, & Malderus circa hunc Articulum. Et fauet inprimis versio, seu paraphrasis potius Syriaca, quæ sic habet: Est autem fides persuasio super ijs quæ sunt in spe, ac si essent in actu, siue effectu. Vnde & quidam hypostasim hic certitudinem aut certificationem interpretantur, vt notat Estius.

7 Deinde maximè hic intellectus congruit ijs, quæ in textu subiunguntur: cum alioquin alij sensus non perinde videantur facere ad Apostoli institutum: nam infrà de Moyse in commendationem fidei eius, dicitur: *Fide, reliquit Ægyptum, non veritus animositatem Regis: inuisibilem enim tanquam videns* (quod scilicet ei fides præstabat) *sustinuit:* & omnia fidei præconia, quæ subijciuntur, ad hunc sensum potissimùm videtur pertinere; vt quod de Abraham dicitur: *Fide, demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena*, &c. *Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem: cuius artifex & conditor Deus:* Rursus quod dicitur: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus: sed à longè eas aspicientes, & salutantes:* & iterum: *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur: & vnigenitum offerebat qui susceperat repromissiones: (ad quem dictum est) quia in Isaac vocabitur tibi semen: arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus.* Vnde D. Bernard. serm. in Psalm. *Qui habitat in adiutorio altissimi*, scribit: Meritò igitur Apostolus fidem sperandarum rerum substantiam definit, quòd videlicet (inquit) non credita nemo sperare, non plus quam super inane pingere possit: vbi res speratas quasi quid inane, & sine Esse declarat absque fide præsuppositâ: non quidem simpliciter, sed in ordine ad nos. Et Primasius in Commẽtario loci: Fides, inquit, est ita animum firmum esse de his quæ non videntur, sicut de his quæ iam videntur: & dum hoc fit, fides facit ea subsistere in nobis credendo.

Denique concordat cum hac expositione optimè quod additur, nimirum quod fides dicatur, Argumentum non apparentium, id est, exhibitio quædam, seu ostensio earum rerum, quæ alioqui à nobis non videtur, neque agnoscuntur: dicit enim Apostolus 1. ad Cor. c. 2. *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum:* Parit verò fides in animis fidelium certitudinem firmissimam de rebus, quas neque sensu percipimus, neque intellectu comprehendimus. Vnde ab Augustino & alijs quibusdam Antiquis loco nominis Argumentum, ponitur subinde Conuictio: quia fides facit hominem captiuare intellectũ in obsequium Christi, & rerum à Deo reuelatarum, & tam firmiter illis adhærere; imò magis quàm si intellectus euidentissimâ experientiâ, vel demonstratione de istis esset instructus & conuictus: quod vocabulum Græcum, ἔλεγχος, significans ostensionem ac demonstrationem, manifestiùs importat: non quidem quod fides clarè ac manifestè ostendat aut exhibeat res creditas: sed quia propter diuinam authoritatem faciat intellectum captiuari, sicut diximus, in earum assensum, perinde ac si per euidentem exhibitionem, aut demonstrationem coniunctus foret: illa enim laus est & energia fidei, quam Apostolus tantoperè extollit. 8

Cæterùm, quando de fide dicitur non solùm, quod sperandarum rerum sit substantia, modo explicato; sed quod etiam argumentum sit omnino non apparentiũ, declaratur fides, de quâ loquitur Apostolus, non tantum versari circa bona futura sperata, vt quidam volunt: sed etiã circa alia, tam mala, quam bona, tam circa præsentia & præterita, quàm circa futura: quę scilicet diuinitùs sunt hominibus reuelata. Et quidem Apostolum secundum illam amplitudinem obiecti de fide differere, & non tantùm, vt respicit bona quæ sperantur, manifestè liquet ex sequentibus: addit enim; *Fide, intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei:* vbi non de bono futuro, sed de re præteritâ fides habetur: rursum: 9

Rursum: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est:* vbi fides est de re præsenti: & infra laudatur fides Noë, qua futurum diluuium credidit: quod non erat sperandum, sed timendum magis, etiam ipsi Noë: quia de illo dicitur, *Metuens aptauit arcam in salutem domus suæ.*

10 Vnde falsò & sine fundamento notat Erasmus ad dicta Apostoli verba, fidem hoc loco non vsurpari propriè pro eâ, quâ credimus credenda, sed speramus, id est, pro ipsâ fiduciâ: totus enim contextus subsequens, vt ostendimus, manifestè contrarium conuincit. Deinde nec de spe, siue fiduciâ rectè diceretur, quod sit substantia rerum sperandarum, & multo minus quod argumentum sit non apparentium: vtpote quæ tanquam quid posterius ex illis potius suboritur.

11 Sed quæret aliquis: Quomodo dicta Apostoli verba possint dici continere definitionem fidei, quæ virtus est Theologica, cùm in illis nulla sit mentio Dei, qui obiectum est talis virtutis?

Respondetur, etsi expressè mentio non fiat, tamen fieri implicitè in eo, quod dicitur, substantia & argumentum: nam sicuti diximus, est eiusmodi argumentum ex diuinâ authoritate, quâ intellectus captiuatur, & quasi conuincitur ad assensum etiam rebus non apparentibus præbendũ.

12 Si quis autem velit prædicta verba reducere & applicare ad formalem fidei definitionem, poterit illud, iuxta sensum D. Thomæ fieri hoc modo: vt fides dicatur Habitus mentis, quo res speratæ & vita æterna in nobis inchoantur, faciens intellectum assentiri, etiam non apparentibus. Iuxta posteriorem verò expositionem dici poterit, esse habitus mentis, qui rebus speratis in nobis tribuat esse, seu subsistere certissimum: quique faciat intellectum, diuinâ scilicet authoritate, commotum perinde ac demonstratione conuictum, adhærere firmissimè etiam non apparentibus, quæ diuinitus nimirum reuelata sunt.

13 Obseruandum autem est, quod D. Bonauent. in 3. dist. 23. art. 1. qu. 5. existimet prædicta Apostoli verba, seu fidei definitionem conuenire tantum fidei formatæ: pro quo inprimis videtur facere quod scribit D. Thomas infrà artic. 7. ad 4. dicens, Fidem sine charitate fundamentum esse non posse, ac proinde vt apparet, neque substantiam: Item quod Apostolus in fine capitis præcedentis dicat: *Iustus autem meus ex fide viuit:* vbi tantùm videtur esse sermo de fide formatâ.

14 Nihilominus dicendũ est; verba Apostoli generaliter conuenire fidei vt est virtus Theologica, non tantum formatæ, sed etiam informi. Constat id satis ex dictis: nam etiam fides antequã sit formata charitate est quædam inchoatio rerum sperandarum, & proinde substantia earum, vt exponit D. Thomas: & præstat quoq; subsistentiam rebus speratis in animis fidelium; estque argumentum non apparentium.

Quare ad illud quod ex D. Thomâ adducitur, Respondetur illum ibi sumere 15
fundamentum pro eo quod actu fundat & sustentat reliquas ædificij partes iam omnes inter se connexas: & eo sensu admittit sine charitate fidem non posse esse fundamentum; tum quod charitas sit vna & principalissima ædificij spiritualis pars, quæ fidei superædificari debet; tum quod huius ædificij connexio specialiter charitati attribui soleat, iuxta illud Apostoli ad Colos. 3. *Super omnia charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis.*

Ad illud autem, quod ex capite præce- 16
denti allegatur; Respondetur Primò: Etsi ibi esset sermo de fide formatâ tantum, non ideo consequens fore quod deinceps Apostolus de eâ solâ semper loquatur: facilè enim, nec inconuenienter fit transitus à specie ad genus. Secundò dicendum est, quod quidem fides ibi supponat pro formatâ: quia est sermo de fide hominis iusti: sed non idcircò necessariò dicendum est sumi pro illâ solâ sic limitatâ; quia iustus etiam ex fide secundum se vt virtus est Theologica, rectè dicitur viuere, non quidem tanquam totali formâ vitæ, sed tanquam ex formâ partiali, & principio quasi fouente ac intertenente vitam totam: quod maximè videtur ibi Apostolus attẽdere, quatenus scilicet fides sustentat iustum in iustitiâ, proponendo amplissima præmia, quæ ne in cor hominis quidem ascenderunt, & ita firmando & solatium præbendo, ne in aduersitatibus & tribulationibus multis & magnis obuenire solitis, deficiat; prout Apostolus ibi, & in sequentibus sufficienter declarat.

ARTICVLVS II.

Vtrùm fides sit in intellectu, sicut in subiecto?

CONCLVSIO D. Thomæ est: Ne- 17
cesse est, quod fides quæ est propriũ principium actus credendi, sit in intellectu vt subiecto. Probatur, quia credere est actus intellectus secundum quod mouetur à voluntate ad assentiendum, vt supra dictum fuit: oportet autem hunc actum esse

esse perfectum, quandoquidem sit actus virtutis: debet ergo actiua potentia rectè & proportionaliter ad illum esse disposita: cuiusmodi dispositio confertur potentijs per habitus eiusdem ordinis cũ ipsis actibus: ergo oportet in intellectu ponere habitum illius perfectiuum ad actus credendi eliciendos; quandoquidem ipsum credere immediatè ab intellectu procedat: obiectũ enim actus credendi est verum: circa quod constat per se & proximè versari intellectum: Iste autem habitus non est alius, quàm fides, scilicet infusa: ergò &c. Vide dicta supra quæst. 2. artic. 1. & 2.

18 Caluinus tamen docet contrarium, vt fidem suam specialem magis stabiliat: vnde in cap. 10. ad Rom. ad illa verba: *Corde creditur ad iustitiam:* Obseruemus (inquit) fidei sedẽ, non in cerebro esse, sed in corde: & nomen cordis, ait, pro serio & sincero affectu ponitur. Sed errat Caluinus; quamuis enim negandum non sit, quòd quando Scriptura tum ibi, tum alibi etiam fidem ad cor refert, & dicit corde credi, indicari fidem quoque ad voluntatem & affectum suo modo pertinere, vt supra quæst. 2. art. 1. annotauimus; tamen verum non est, cor accipi pro solo & nudo affectu: sed quidem pro intellectu vt à motione voluntatis est dependens, à quâ determinatur ad prębendum assensum rebus creditis: quod patet, quia loquitur Apostolus de corde, sicuti Scriptura quam ex Deuteronomio allegat, *Prope est verbum in corde tuo:* vbi cor non pro serio & sincero affectu ponitur: (neq; enim verbum propriè est in affectu:) sed pro intellectu qui subiectum est verbi.

19 Deinde fides de historijs prętereitis pertinet ad intellectum: de tali autem loquitur Apostolus, quia proximè præcedit: *Si credideris in corde tuo, quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris: corde enim creditur ad iustitiam,* &c. Quare ineptè fidem ab intellectu reuocat Caluinus, & in solo affectu collocare contendit. Quia tamen credere hactenus ad voluntatem pertinet, quod voluntas imperet intellectui, & determinet ad credendum, hinc D.Tho. tam in Corpore, quàm in Respõsione ad secundum docet, etiam in voluntate nõ minùs, quàm in intellectu debere constitui habitum quendam, vt actus fidei sit perfectus: quia ad perfectionem actus, qui ex duobus principijs actiuis procedit, necesse est vtrumque habitu proportionato perfici, si vtrumque sit habitus capax, vt in proposito res se habet. Nihilominus fides simpliciter dicitur esse in intellectu, quia intellectus immediatè elicit assensum, quia actus est proprius fidei: nam credere est assentiri; velle autem assentiri nondum est formaliter credere.

Habitus verò iste qui ex parte voluntatis requiritur, non est charitas: quia etiam ad actum fidei informis eliciendum requiritur: sed est pia quædam & supernaturalis inclinatio & affectio voluntatis erga primam Veritatem, quâ mouetur, vt propter illius respectum & reuerentiam, faciat intellectum assentiri, & firmissimè adhærere, etiam obscuris & non apparentibus, quæ illa attestatur. Vnde Apostolus ad Rom. 1. dicit: *Per quem accepimus gratiam & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus,* id est, ad ingenerandam omnibus piam voluntatis obedientiam, quâ captiuent intellectum ad credendum: & 2. ad Cor. cap. 10. *Et in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Habitus autem qui in intellectu ponitur, non est aliud quam lumen illud diuinum & supernaturale, quod Scripturæ in animis fidelium testantur infundi, quando fidem recipiunt. De quo Apostolus 2. ad Cor. cap. 4. *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei,* &c. & ad Colos. cap. 1. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine,* &c. & D. Petrus 1. epistolæ cap. 2. *Qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.* Eadem enim qualitas vt inclinat, & potentiam proportionatam ad actum reddit, dicitur habitus; & quatenus suo modo manifestat obiectum, dicitur lumen: quemadmodum habitus intellectus seu principiorũ, & habitus dicitur, & naturale lumen rationis. 20

Notandum denique ex responsione ad tertium, fidem propriè pertinere ad intellectum speculatiuum, quia primarium eius obiectum est Deus, & Dei perfectiones sub ratione cognoscibilitatis per diuinam reuelationem obscure factam. Vnde Apostolus 2. ad Cor. 3. scribit: *Nos verò omnes* (scilicet fideles) *reuelatâ facie gloriam Domini speculantes* &c. vbi ad speculationem refert actum fidei: neque enim dum ait, *Reuelatâ facie,* loquitur de clarâ visione patriæ, vt quispiam posset apprehendere: sed de cognitione fidei: quia illud speculari reuelatâ facie opponit tantum obuelationi oculorum & cœcitati Iudæorum; qui Christum, eiusque gloriam omnem, tam excellenter in eius & Apostolorum prædicatione & miraculis manifestatam, recognoscere ac recipere noluerunt: super quorum cor vt præmisit Apostolus ibidẽ, vsque in hodiernum diem, quando legitur Moyses, manet adhuc velamen positum, quod Moyses posuit super faciem suam, 21

suam, dum filij Israël propter gloriam vultus eius ex consortio Domini, non poterant in faciem eius intendere: quod velamen, quia à cordibus fidelium ablatum est, hinc dicit Apostolus, quod nos omnes reuelatâ facie speculemur gloriam Domini. Similiter ad speculationem pertinere fidem indicatur ad Hebr. 11. vbi dicitur: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei.*

22 Fit tamen fides practica quâdam sui extensione, vt notat D. Tho. ad vltimum: quemadmodum in 3. lib. de anima, intellectus speculatiuus dicitur extensione fieri practicus: quod D. Bonauent. docet contingere tribus modis, videlicet coniunctione fidei cum affectu credulitatis, vnde ipsa procedit, secundùm quod August. dicit, quod nemo credat nisi volens. Quatenus itaque etiam factâ obiecti propositione, non ex necessitate, sed ex voluntate sequitur actus fidei, eatenùs ad praxim potest dici pertinere. Secundò, coniunctione ipsius cum affectu charitatis, ad quem inclinat: & quo mediante mouet & inclinat ad Deum amandum. Denique cõiunctione ipsius cum operatione, & expletione eorũ quę Deus vult à nobis fieri: quatenus ad illa opera excitat, & eadem dirigit: iuxta quod Apostolus ad Galat. cap. 5. dicit, Fidem per dilectionem operari, & ad Hebr. 11. de Sanctis veteris Testamenti dicit: *Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam*, &c.

23 Sed cõtra Diui Thomæ doctrinam possit hic opponere Caluinus: quod scribit Hugo de Sancto Victore l. 1. de Sacramẽtis, parte 10. cap. 3. vbi sic ait: Fides in affectu habet substantiam, quia affectus ipse (inquit) fides est: in cognitione habet materiã, quia de illo & ad illud quod in cognitione est, fides est: ergo fidei sedes aut subiectum non est intellectus, sed voluntas aut affectus. Respondetur Neg. Conseq. & quidem D. Thomas in 3. explicat Hugonem, quod fidem dicat in affectu habere substantiam, non quod essentia fidei sit in affectu, sed quod quædam eius forma, scilicet charitas, sit in affectu seu volũtate, vnde actus fidei informatur, prout art. sequenti dicetur.

Alij vero dicunt Hugonem ibi de cognitione apprehensiuâ tantùm loqui, quæ potest esse sine assensu: qualem aliquandò etiam habent qui non credunt, in quâ proinde non est fidei substantia: & propterea dicere, quod fides in affectu habeat substantiam, quia ab affectu credendi dependet assensus, quatenus ab eo efficaciter, & cum necessariâ sequela imperatur, ratione cuius etiam dependentiæ & imperij vocat ipsum affectum credendi, fidem, scilicet cum suo effectu necessario, qui est assensus rerum fidei: non autem vult & benè quidem ipsam nudam rerum fidei apprehensionem seu considerationem obtinere rationem fidei.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Charitas sit forma fidei?

RESponsio Diui Thomæ est: Quod Charitas dicatur forma fidei, nõ quidem essentialis & intrinseca: sed extrinseca: sicuti cuiuslibet actus voluntarij forma quodammodo est finis ad quem ordinatur, vt explicat satis in Corpore, & in Responsione ad 2. & 3. idque tum quia ex fine recipit formam seu speciem, tum etiam quia modus actionis debet respondere proportionabiliter fini: vnde finis suo modo rectè dicitur forma & quasi mensura actus, qui ad illum ordinatur. 24

Constituunt autem DD. diuersos modos, quibus Charitas dicatur forma fidei Primò si consideremus fidem à charitate coniunctâ accipere peculiarem rationem, seu statum virtutis: quandoquidem enim virtutis sit benè disponere habentem; plurimùm autem ad bonam dispositionem habentis faciat, quod actus eius virtuosi sint beatitudinis æternæ meritorij, rectè dicitur peculiaris quædam virtutis ratio siue status fidei accedere per accessum illius, quo actus eius efficiuntur capaces talis meriti. 25

Alio modo Charitas dicitur forma fidei, quatenus fides consideratur participare Charitatem, quatenus ab ea imperatur: sicuti participat voluntarium à voluntate imperante: secundum quod dicit Apostolus 1. ad Cor. 13. *Charitas omnia credit.* Tertiò, Si consideretur Charitas vt coniungens fidẽ cum vltimo fine. Quartò, dicitur forma fidei quatenus fides consideratur operari per charitatem, vt habet Apostolus ad Gal. 5. res enim quæque per formam suam dicitur operari: de quâ re licet videre D. Bernardum serm. 2. de Resurrectione. Quintò & vltimò, quatenus consideratur charitas vt quędam consummatio fidei præbens illi, non tantùm rationem & statum meriti; sed etiam illam corroborans ac mouens ad perfectiùs & frequentiùs actus & assensus rerum fidei eliciendos.

Cæterùm quòd charitas rectè à Scholasticis dicatur forma & quasi anima fidei, demonstrari etiam potest ex Scripturis, vt ex cap. 2. Iacobi: vbi dicitur, quemadmodum corpus sine spiritu mortuum est, ita 26

est, ita quoque fidem sine operibus, scilicet à charitate profectis, mortuam esse. Quemadmodum itaque spiritus est forma & vita corporis, sic etiam charitas radix & operatrix operum, rectè dicitur forma & vita fidei. Rursum 1. ad Cor. 13. dicitur, fides nihil prodesse sine charitate, & fidelis nihil esse sine charitate: rectè igitur charitas dicitur fidei esse forma quæ illi præbet vt prosit, & fideli prestat, quod meritò dicatur esse aliquid, & viuere, scilicet apud Deum: eiusmodi enim sunt effectus formæ & vitæ corporis, siue animæ. Huc etiam facit quod scribit D. Ioannes cap. 3. 1. epistolæ: *Qui non diligit manet in morte.* Meritò igitur dilectio ponitur forma, quæ fidem faciat viuam, & fidelem faciat viuere. Conformiter itaque ad loquendi modum Scripturæ, docent D.D. fidem aliquando esse informé, quando mortua est, non habens spiritum charitatis coniunctum: aliquando autem formatam, quando viua est & per dilectionem operatur.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm fides informis possit fieri formata vel è conuerso?

27 FVerunt olim hâc de re opiniones diuersæ, quas refert & refutat bene hic D. Tho. Communis autem & certa doctrina habet, quod eadem specie ac numero fides, seu fidei habitus, nunc informis, nunc formata esse possit.

28 Probari potest Primò ex Scripturis, vt ex parabolâ illâ quæ est de decem Virginibus; vbi fidem informem licet intelligere per lampadem sine oleo, quæ exstinguitur: & formatam per lampadem oleo refertam, & lucentem. Lampas autem vna & eadem est: quæ modò plena est oleo, & lucet; & modò vacua est, & exstinguitur. Item Iacobi 2. comparatur fides informis corpori mortuo, & spiritu siue animâ destituto: & formata, corpori animâ vegetato; atqui idem est corpus quod nunc viuit anima informatum; nunc verò mortuum est & vitâ destitutum.

29 Probari Secundò potest ex Patribus: Irenæus lib. 4. cap. 25. dicit fidem, vt & prophetiam, & similia sine dilectione vacua esse, & frustrà: sensit igitur ea ante dilectionem siue charitatem esse posse; & accedente dilectione non desinere esse; sed incipere prodesse. Idem significant D. Chrys. hom. in Encœnijs: & Aug. in Psal. 13. & lib. 15. de Trinitate cap. 18. scribit, Quod fides sine charitate possit esse, sed non prodesse.

Probatur Tertiò ex Conc. Trid. Sess. 6. Can. 28. vbi dicitur, Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul & fidem semper amitti: aut fidem quæ remanet non esse veram fidem, licet non sit viua: anathema sit: ergò oportet agnoscere, eandem fidē aliquando in peccatore, quę erat in iusto, quamuis nunc viua non sit, cum priùs viua esset. 30

Probatur denique ratione, quia forma à quâ hic denominatur fides formata, non est intrinseca, & essentialis habitui fidei, sed extrinseca existens in eodem duntaxat supposito cum ipso habitu fidei, certo modo ipsum, eiusque actus afficiens, vti art. præcedenti explicatum fuit: atque adeo fides quoad suam substantiam ordine generationis prior est charitate, vt habet D. Tho. artic. sequenti: ergò potest & sine charitate, & cum charitate eadem numero & specie persistere. 31

ARTICVLVS V.

Vtrùm fides sit Virtus?

CONCLVSIO D. Thomæ est: Fides formata est virtus, fides autem informis non est virtus.

Probat priorem partem in hunc fere modum: quia omnis ille habitus, qui semper est principium boni actus, potest dici virtus hominis: atqui talis est fides formata. Confirmatur: quia cum credere sit actus intellectus vero diuinitùs reuelato assentientis ex voluntatis imperio, requiruntur duo vt actus iste sit perfectus: Vnum est, vt intellectus infallibiliter moueatur in suum bonum, quod est verum: Alterum, vt infallibiliter ordinetur ad vltimum finem propter quem voluntas velit intellectum assentiri: vtrumque autem præstat fides formata, ac in eius actu vtrumque reperitur: ergò &c. 32

Probatur altera pars: Quia licet actus fidei informis habeat perfectionem debitam ex parte intellectus, non tamen perfectionem debitam ex parte voluntatis: ergò non est virtus.

Sed circa vtramque istius Conclusionis partem mouentur difficultates: Nam inprimis Durandus in 3. dist. 23. quæst. 6. hanc materiam tractans, dicit virtutem duobus modis accipi: vno modo, generaliter pro quocumque habitu laudabili inclinante potentiam ad actum bonū. Alio modo strictiùs, pro habitu constituente potentiam in vltimo perfectionis debitæ suo actui. Priori modo dicit fidem esse virtutem; sed non magis formatam, quam informem: posteriori modo autem negat 33

tam

tam formatam, quàm informem esse virtutem: quia neutra videlicet addat vltimum perfectionis debitę actui intellectus: quia non perficit eum ad obiectum suum conspiciendum in se, aut per resolutionem in id, quod in se conspicitur. Vnde eò inclinat Durandus, quod fides, nequidem formata sit stricte & perfecto modo virtus.

34 Sed hæc eius opinio ab omnibus passim reijcitur, & improbatur: & meritò, quia parum concordat cum modo loquendi Scripturæ, & S S. Patrum: Nam inprimis Apostolus ad Gal. 5. peculiariter tribuit fidei quæ per dilectionem operatur, valere, & nobis prodesse. Ad Rom. 5. & 10. Item Actor. 15. & ad Ephes. 2. dicimur per fidem iustificari, per fidem dari vt non confundamur, vt purificentur corda, vt saluemur: non debet ergo negari, quin fides per dilectioně operans, sit absolutè & perfecto modo virtus, 1. ad Cor. c. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas: Tria hæc:* quibus innuit Apost. ea esse tres præcellentes virtutes: nihil alioqui magni diceret, quando addit, *Maior autem horum est charitas.* Similiter & fortius passim loquuntur S S. Patres de fide charitate formatâ, tanquam de primâ virtute.

35 Quare ad argumentum Durandi, Respondetur ineuidentiam, quam relinquit fides circa obiectum, non hic impedire perfectam virtutis rationem, quin potius ad huiusmodi virtutem peculiariter requiratur: quia principalis eius laus, & merendi ratio in hoc consistit, quod inclinet intellectiuam potentiam in obiectum ineuidenter cognitum, sed infallibiliter verum: idque ex respectu ad diuinam testificationem.

36 Quod autem allegat, virtutem strictius sumptam debere potentiam constituere in vltimo perfectionis; vel vt alij loqui solent, virtutem debere esse dispositionem perfecti ad optimum; illud verum est, si intelligatur, quantum scilicet status subiecti requirit. Vnde licet fides adhuc dicatur ex parte esse iuxta Apostolum, & cognitio quædam imperfecta seu obscura, ideoque in patriâ, cum venerit quod perfectum est, euacuanda sit, tamen perficit intellectum secundum cognitionem rerũ supernaturalium, quantũ conuenit statui hominis viatoris. Sicuti enim lucerna, quamuis non perficiat aërem, quando solis radijs illustratur, perficit tamen in noctis caligine: Itâ & fides tanquam lucens in caliginoso loco, multum perfectionis addit intellectui nostro vt supernaturalium capax est, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris. Vide D. August. de hâc lucernâ fidei tract. 23. in Ioannem, vbi rectè monet, eam oleo misericordiæ foueri & conseruari: vento autem superbiæ exstingui.

Sed ex dictis difficultas oritur circa posteriorem conclusionis partem: iuxta illa enim non videbitur minus fides informis esse virtus, quàm formata: quod vlterius sic ostendi potest: Primò, quia fides informis est habitus inclinans in honestum sub ratione honesti, & formaliter principium actus moraliter boni, scilicet ipsius credere ex voluntatis imperio propter primæ veritatis attestationem, quod honestum, & iudicio prudentiæ consentaneum est. Deinde quia alioquin non satis apparebit quomodo sint tres virtutes Theologicæ, si omnis ratio virtutis quæ in fide reperitur, à charitate sit desumenda: Apostolus verò ad Corinth. loco supra citato, manifestè ponit & distinguit illas virtutes; ergò &c. 37

Pro expeditione huius difficultatis, Notandum est, dupliciter posse sermonem esse de virtute. Vno quidem modo de virtute propriè quidem, sed non cum omni virtutis perfectione & statu sumptâ, quam satis conuenienter Durandus explicat suprà in primo membro distinctionis virtutis. Alio modo de virtute secundum perfectiorem eius rationem & statum, non quidem qualem ponit & requirit Durand. sed prout S S. Patres solent perfectam virtutis rationem & statũ explicare, quod scilicet in eo sit esse (siue ratione sui, siue aliorum adiunctorum) quod actus eius sint simpliciter boni & accepti apud Deũ, atque adeò sint æternæ beatitudinis meritorij. 38

Fides itaque informis, virtus est priori modo, & in statu imperfecto: idque solum, ac sufficienter quoque argumenta allegata probant, & communiter à Scholasticis tenetur; quod nec D. Thomas intendit negare, vt colligi potest ex respons. ad 3. vbi ab eâ tantùm remouet perfectam rationem virtutis: & infrà quæst. 6. artic. 1. docet assensum fidei esse à Deo interius mouente per gratiam: & artic. 2. ex professo docet fidem informem, quæ est sine Charitate, esse quoque donum Dei: fides tamen formata superat, quia est virtus secundum perfectam rationem & statum virtutis; quia cum Charitate actus eius coniuncti sunt æternæ vitæ meritorij: quod maximè S. Patres in virtutibus, ac eorum actibus attendunt. 39

Accedunt & aliæ rationes, quare fides formata sit perfectior in ratione virtutis, & potius dicatur simpliciter virtus, quam 40

informis; vt inprimis quia quãdo charitas informat & perficit voluntatem, fit quod affectus credendi promptiùs & instantiùs intellectum ad actus fidei vrgeat: quodque intellectus firmiùs & cõstantiùs ijsdem inhæreat. Secundò, quia ad perfectum statum virtutis requiri solet, vt omnes virtutes morales sint connexæ: vna enim virtus non præstat ita faciliter & delectabiliter operari, prout status perfectæ virtutis postulat: nã v.g. vt quis nõ patiatur difficultatem in materiâ temperantiæ, saltem ratione aliquarum circumstantiarum, non sufficit habitus temperantiæ: sed requiritur exercitatio, etiam in aliâ virtute, ad quam circumstantiæ illæ pertinent. Sic quoq; obiecta fidei, quæ propter ineuidentiam creditu sunt difficilia, minus promptè, minusque delectabiliter ex solo habitu fidei creduntur, nisi credendi affectus profecerit vsque ad charitatem.

41 Denique sine charitate fides non coniungit habentem cum fine vltimo, in quo tamen principalis est virtutis perfectio, & ad quod potissimùm ordinatur. Vnde D. August. lib. 4. contra Iulianum cap. 3. generaliter docet, quod virtus perfecta coniungat fini vltimo. Ex quibus constat immeritò Durandum posuisse fidem informem in eâdem ratione & perfectione virtutis cum fide formatâ.

42 Quæritur hic tandem, An fides informis, secundum eam rationem, quâ diximus esse virtutem, sit virtus intellectualis; an ad aliud genus pertineat? D. Tho. in 3. videtur negare esse intellectualem virtutem. Caiet. autem hic dicit esse virtutem intellectus: sed non intellectualem, eò quod ponat quidem intellectum in vltima perfectione, quam natus est supernaturaliter habere in viâ: sed non ponat euidentiam in intellectu speculatiuo, in quo residet.

43 Verùm cùm illa ineuidentia remanens non impediat absolutam rationem virtutis, vt diximus contra Durandum: quia alioquin nec fides formata esset absoluta virtus, non apparet ratio dicendi quod impediat absolutam quoque rationem virtutis intellectualis. Vnde alij communiter docent esse virtutem intellectualem. Et probari potest à definitione intellectualis virtutis; quia fides etiam informis talis est habitus, quo dicat anima verum, affirmando vel negando: estque maxima intellectus perfectio pro statu viæ, cùm sit principium certissimæ ac omnino infallibilis rerum diuinarum cognitionis & assensus. Neque refert, quod Philosophus à virtutibus intellectualibus reijciat existimationem & opinionem: nam ideo hæc reijcit, quia his contingit subesse falsum: fidei autem, de quâ agimus, falsum subesse non potest.

Quemadmodum igitur virtus est voluntatis, quâ semper rectè vtimur operando, sic virtus intellectus erit, quâ semper bene vtimur iudicando & enuntiando: quod fidei etiam informi conuenit. Participat tamen aliquid de virtute morali propter imperium, quod diximus ad eius actus requiri ex parte voluntatis, in quâ proinde etiam suus residet habitus ad fidem spectans; & hinc videtur D. Tho. fidem, neque moralem, neque intellectualem voluisse appellare virtutem, sed virtutem Theologicam duntaxat: vnde quod ad rem attinet, non videtur alijs contradixisse. 44

ARTICVLVS VI.

Vtrùm fides sit vna virtus?

CONCLVSIO D. Thomæ est, quod fides sit vna specie in omnibus, sed in diuersis, sit numero diuersa ratione subiecti. Estque hæc communis & indubitata doctrina. Vbi hoc obseruari potest, quod fides non compositione vel aggregatione plurium habituum sit quid vnum specie, quo modo scientia physica v. g. aut mathematica collectiuè sumpta, potest dici vna specie scientia, quamuis constet diuersis partibus hæterogenijs, & partialibus scientijs, vt plerique sentiunt: quæ quâdam aggregatione & conuenienti coordinatione constituunt vnam scientiam quasi completam & perfectam; sed quod sit habitus omnino simplex pro eâ parte, quâ est in intellectu, quia tota formalis causa & ratio assentiendi rebus fidei est vnica, estque eodem modo omnibus illis, quæ credimus, applicata: vnde licet plura sint obiecta materialia fidei, quæ etiam quoad naturas rerum plurimùm differant, & diuersas habeant sui esse causas, non tamen habitus fidei quo creduntur, idcirco multiplex est; aut ex pluribus partialibus compositus: quia non oritur pluralitas, aut distinctio habituum ex ordine ad diuersa obiecta materialia, sed ex ordine ad formales obiecti rationes diuersas. Vnde qui rectè dispositus est, vt assentiatur vni articulo fidei sufficienter proposito, etiam eâdem dispositione, sufficienter erit instructus, vt assentiatur cuilibet alteri sufficienter proposito: quia ratio assentiendi non desumitur ex causis aut cognitione causarum ipsius rei, quas admittimus sæpius esse diuersas; sed tota ratio assentiendi est authoritas primæ Veritatis, quæ ad om- 45

ad omnes articulos eodem modo se habet.

Dixi, quod sit habitus & qualitas omnino simplex, pro ea parte, quæ est in intellectu: quia si agatur etiam de dispositione quæ ex parte voluntatis ad credendū requiritur, prout ex D. Tho. suprà ostēdimus, sic fides poterit dici composita ex duobus habitibus, quorū alter sit in volūtate & alter in intellectu, nihilominus tamē etiā sic dicetur fides simpliciter vna specie in omnibus: quemadmodū homo, licet ex corpore & animâ sit compositus, item ex capite & pedibus, tamen simpliciter dicitur vnus specie. Sed quando de fide est sermo, frequentiùs & principaliùs intelligitur habitus, qui est in intellectu, quia ab illo proximè procedit actus credendi. 46

ARTICVLVS VII.

Vtrùm fides sit prima inter virtutes?

47 CONCLVSIO D. Thomæ est, quod fides per se sit prima virtus: per accidens verò, possit aliqua alia virtus esse prior fide. Probat primam partem in hunc ferè modum: Virtutes, quæ versantur proximè circa finem vltimum, sunt priores alijs virtutibus, quæ versantur circa media ad illum: quia finis vltimus in agibilibus est primum principium, quia primò habetur in intentione: ergò virtutes Theologicæ fides, spes, charitas, quæ versantur proximè circa Deum, sunt alijs virtutibus priores. Quia verò oportet finē vltimum priùs esse in intellectu, & ab eo apprehendi ac cognosci, quàm possit esse in voluntate, siue quàm à voluntate possit desiderari & amari, hinc inter eas virtutes, illa debet cōstitui prima, quâ finis vltimus apprehenditur per intellectum, quæ est fides: ergo fides per se est prima virtutum. Et ne quis fortassis opponat, per lumen naturale posse finem vltimum apprehendi ab intellectu, occurrit & addit D. Tho. quod naturalis cognitio non possit attingere ad Deum, secundum quod est obiectum beatitudinis, prout tendunt in illum spes & charitas, vnde fides debet præcedere.

48 Ex his potest colligi, D. Tho. hic inprimis propriè inter se conferre quoad prioritatem, virtutes quæ ordinem habent ad finem vltimum & beatitudinem supernaturalem: Deinde illum agere, non de prioritate dignitatis & præstantiæ, quâ ratione præcedit Charitas, vt satis cōstat ex Apostolo, 1. ad Corinth. 13. sed de prioritate secundum ordinem naturæ & generationis.

Partem Secundam Concl. declarat hoc ferè modo: quia contingere potest ex parte subiecti aliqua subesse obstacula, quæ fidē impediant: vt superbia, timor, ad quæ remouenda, & ad fidem promouendam, conducunt aliæ virtutes: vt humilitas, aut fortitudo: quæ proinde, vti erunt causa per accidens fidei, quatenus scilicet remouent prohibens, ita possunt per accidens, priores dici fide, quāuis (inquit D. Tho.) non sint veræ virtutes, nisi præsuppositâ fide: quod ostendit authoritate August. lib. 4. contra Iulianum cap. 3. atque ita innuit, quod ne per accidens aliqua vera virtus, quæ scilicet per se habeat ordinem ad finem supernaturalem, sit prior fide. Hoc tamen non videtur negandum, quin dum homo superbior aut timidior ad fidem vocatur, Deus suâ præueniente gratiâ animum eius corroborando timorem minuat, aut humiliando superbiam dispellat, vt faciliùs & suauiùs fidem suscipiat: atque ita quædā dispositiones, aut piæ affectiones humilitatis, vel fortitudinis aliquando fidem possint præcedere. 49

Posset quis opponere affectum piç credulitatis, quem diximus in voluntate necessarium, videri virtutem priorem fide. Sed vt iam antè indicauimus, dicendum est, illum non esse statuendam virtutem distinctam à fide: hic enim affectus & fides habent se vt imperans & imperatum, quæ vnum actum moralem efficiunt & constituunt. 50

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm fides sit certior scientiâ & alijs virtutibus intellectualibus?

NOtandum Primò: D. Thomam hic comparationem instituere inter fidē cum virtutibus intellectualibus speculatiuis: vt ex Corp. patet. Eas 1. 2. quæst. 57. art. 2. docet cum Philos. tres esse numero, scilicet sapientiam, intellectum, & scientiam, vbi etiam illarum rationem & distinctionem explicat. 51

Notandum Secundò: Sub iisdem nominibus etiam designari certa dona Spiritus Sancti pertinentia quoq; ad intellectiuam potentiam, eamque perficientia: de quibus infrà agit quæst. 8. & 9.

Notandum Tertiò: Certitudinem dupliciter posse considerari: vno modo ex parte causæ: alio modo ex parte subiecti.

Priori modo dicitur certius, quod certiorem habet causam, siue quod superat certitudine luminis, vel medij, vel alterius quod est loco medij. Ex parte subiecti autem dicitur certius, vt explicat D. Tho. quod pleniùs consequitur intellectus hominis, siue cuius medium aut lumen, vel aliud subiens vicem medij, amplius & perfectiùs penetratur à subiecto, siue ab hominis intellectu.

Notandum Quartò: Certitudinem ex parte causæ esse magis absolutam, quam eam, quæ est ex parte subiecti, quia vnumquodque iudicatur simpliciter secundum causam suam: secundum dispositionem verò quæ est ex parte subiecti, tantùm iudicatur secundum quid: vt notat D. Tho. in Corp. His præmissis sit

52 CONCLVSIO Prima: Simpliciter loquendo, Fides est certior scientiâ & reliquis virtutibus intellectualibus. Est D. Thomæ & communis Theologorum, Durando excepto, qui in 3. dist. 23. quæst. 7. § 10. dicit, Multos habitus scientię & actus esse in nobis certiores & notiores fide & actu eius, idque dupliciter, scilicet extensiuè, & intensiuè: quod sic explicat: quia illud quod plures modos habet certitudinis, est extensiuè certius: atqui scientia plures habet modos, quia habet certitudinem euidentiæ, & certitudinem adhæsionis: Item illud intensiuè est certius, quod dubitationi est impermixtius; sed scientia nullo modo potest habere permixtam dubitationem, fides autem, inquit, potest habere aliquem modum dubitationis permixtum, etiam salua permanens; ergò &c.

53 Verùm Probatur Conclusio primò ex Scripturis: Matth. 24. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt:* Ad Gal. cap. 1. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquã quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Vbi priori loco significat Scriptura tantam inesse certitudinẽ cognitioni fidei: & posteriori, tantam esse debere firmitatem assensus & adhæsionis, vt quęcumque vel maximè certa & necessaria potius sint defectura, quam veritas fidei deficiat & tam firmiter illi inhærendum, vt nulla ratio, nulla authoritas, neque illa, quæ de cœlo adduceretur, debeat fideles mouere, vt ab illâ recedant, aut contrarijs adhæreant. 2. ad Cor. 10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi:* vbi iterum Apostolus significat, fidem tantæ esse virtutis & certitudinis, vt omnis intellectus se sub illâ debeat captiuare, abnegando potius quãcumque euidentiam & quamcumque rationem, quæ videtur illi aduersari, quàm illi non firmissimè inhærere, vel ab eâ recedere: rursus ibidem dicitur, *Consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei*, vbi Apostolus significat, omnem scientiarum altitudinem, quæ fidei aduersatur, debere fidei cedere: sic vt quęcũq; illa altitudo sit, potius nulla sit reputãda. Deinde fides, Dei scientia nominatur, quam scilicet ipse nobis reuelauit: 1. ad Tessal. cap. 2. dicitur verbum Dei, *Cum accepissetis à nobis verbũ auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed (sicut verè est) verbum Dei.* 1. Ioannis c. 5. dicitur, *Testimonium Dei*; atqui Dei scientia, Dei verbum, Dei testimonium sunt simpliciter certiora quâcumque aliâ notitiâ, quomodolibet per sensum, per experientiam, per lumen rationis, vel per ratiocinationem comparatâ vel habitâ: ergò &c.

Probatur Secundò: ex SS. PP. D. Basil. ad illud Psal. 115. *Credidi propter quod:* &c. scribit, fidem animum immutare & persuadere ad credendum præ omnibus naturalibus methodis: neque enim fides, inquit, geometricis probationibus nititur, quas necessitates vocant; sed animis nostris sese insinuat efficaci Spiritus S. operatione. Quibus indicat fidẽ certitudine, & firmitate superare etiam mathematicas demonstrationes: & Hom. 21. in epistolam ad Heb. docet, fidem dici non posse, nisi cùm circa ea quæ non videntur, amplius quam circa ea quæ videntur, certitudinem habuerit. Vbi significat nos per fidem, (quam Apostolus argumentum non apparentium vocat) debere certius, firmiusque adhærere istis non apparentibus, quàm quibuslibet quæ nobis aliâ ratione aut viâ euidentissima apparent. August. lib. 7. Confess. cap. 10. Facilius (inquit) dubitarem viuere me, quàm non esse veritatem, quæ per ea quæ facta sunt, intellecta conspicitur: Richardus de S. Victore lib. 1. de Trinit. cap. 2. Quotquot veraciter fideles sumus, nihil constantiùs, nihil certiùs tenemus, quàm quod fide tenemus. Ex PP. igitur sententia, certitudo fidei superat scientiam, & alias virtutes intellectuales. 54

Probatur denique ratione, Quia fides nostra innititur cognitioni & scientię Dei, qui eam reuelauit & testificatus est nobis: 55
atqui illud fundamentum seu medium cognoscendi est longè certius, mereturque firmiorem assensum, quàm quodcumque medium creatum, aut lumen naturale quo res cognoscimus siue per scientiam, siue per sapientiam, siue per intellectum tanquam virtutes intellectuales; ergo simpliciter fides omnibus istis est certior. Maior est manifesta: minor potest amplius decla-

declarari, licet quoque satis aperta sit: quia Dei scientia tam est necessariò vera, quàm Deus ipse in suo esse est necessarius: similiter & reuelatio per ipsum facta, æquè necessariò est vera: quia non magis mentiri aut falsum testari potest, quàm ipse falli aut veritatem ignorare; atqui nulla causa vel mediũ scientiæ, aut aliarũ virtutum intellectualiũ comparari potest cum certitudine ac necessitate ipsius esse Dei & veritatis ac veracitatis illius: ergo &c. Vnde huic fundamẽtò fidei nostrę, seu medio cognoscendi, tanta debetur assensus firmitas, vt intellectus noster naturalibus viribus eam præstare nequeat, sed egeat supernaturali lumine & auxilio.

56 Quod igitur ad doctrinam Durandi attinet, meritò passim ab omnibus ea reijcitur, nam inprimis, quòd asserit fidem habere solam certitudinem adhæsionis, nõ tantùm falsum, sed plusquam temerarium est dicere: quia certitudo adhæsionis propriè certitudo non est, cum non sit nisi firmitas quædam assensus, quod etiam ipse satis agnoscit: quando enim dicit, scientiam habere certitudinem euidentiæ, & adhæsionis, mox addit, Si tamen certitudo dici debeat. Vnde efficitur, quòd fidei nostræ nullam veram & propriè dictam certitudinem tribuat aut relinquat, non magis quàm Idololatrię, aut hæresi in illis, qui firmiter seu potius pertinaciter suis erroribus adhęrent. Quare fidei necessariò est alia attribuenda certitudo, eaque est, quæ ex parte medij, vel quasi medij desumitur, quod fidei principium est: scilicet, ex parte primæ veritatis reuelantis ea, quæ fide cognoscimus & tenemus, vt modò explicuimus: quod etiam fundamentum est certitudinis seu potius firmitatis adhæsionis, adeo quod absque hoc principio, non possit ista certitudo seu firmitas adhæsionis esse prudens: & pertinacia potius dicenda esset, sicut in hæreticis, quàm certitudo.

57 Habet igitur ad minus fides tot titulos certitudinis, quot Durand. attribuit scientiæ: & titulus quidem ille certitudinis fidei ex parte causæ est longè potior, quàm titulus certitudinis scientiæ, quẽ Durand. ponit ex parte euidentiæ: quemadmodum certitudo demonstrationis propter maiorem causæ necessitatem, est potior, quàm certitudo de rebus accepta per euidentiam sensus. Vnde insistendo etiam terminis & modo loquendi Durandi, non debet scientiã dici extensiuè certior fide, quasi habens plures titulos certitudinis.

58 His addo, non rectè à Durando principalem scientiæ certitudinem constitui in euidentiâ, sed eam sitam esse ac desumendam ex necessitate causæ & principij conclusionis, vt hic generaliter de certitudine pronuntiat D. Thomas cũ certitudo euidentiæ sit tantùm certitudo ex parte subiecti, quatenus scilicet subiectum, siue intellectus pleniùs & perfectiùs rem, eiusq; necessitatem penetrat & cognoscit: quæ plenior penetratio & cognitio nõ faciunt certitudinem simpliciter, sed quoad nos, quatenus euidentiùs ipsam certitudinem intuemur, quod D. Tho. docere intendit, quando in Corp. circa finem dicit, Sed alia sunt certiora (scil. ipsâ fide) secundum quid & quoad nos: qui D. Tho. sensus ex antecedẽtibus patet, vbi explicat, quare ex parte subiecti sint certiora hoc modo, quia ea (inquit) quæ sunt fidei, sunt supra intellectum hominis; non autem ea, quæ sunt sub tribus prædictis (scilicet virtutibus intellectualibus) & ideo ex hàc parte, inquit, fides est minus certa.

Quare non rectè hic intelligunt Diuum Thomam, qui ex hoc loco colligunt & existimant eum illius esse sententiæ, quòd actus fidei, ita ex parte causæ tantummodo sit certior scientiâ, vt nos non reddat tamen magis certos, quam actus scientię: quod vti verum non est, ita nec ex mente D. Tho. quia causa certior, scilicet veritas prima reuelans, & nobis certiùs cognita (licet minus euidenter) facit nos elicere actus certiores, quàm causæ minus certæ & minus necessariæ, quamuis euidentiùs ab intellectu comprehensę: est enim prima veritas reuelans, causa certissima, quæ etiã ipsâ reuelatione cognoscitur reuelans: vt in superioribus latiùs fuit explicatum. Accedit præterea, vt quod ex parte euidentiæ rerum deest, hoc lumine supernaturali & diuino auxilio suppleatur ad actus certissimos eliciendos. In eo autem quod Durand. docet, certitudinem scientiæ intensiuè maiorem esse propter dubitationem, quam dicit fidem habere admixtam, videtur ipse secum pugnare: nam si fides admittat dubitationem, quę minuat aliquam eius certitudinem, vnde debeat scientiæ cedere, haud dubiè minuet certitudinem adhæsionis, quandoquidem Durand. non aliam tribuat fidei, & tamen docet fidem certitudine adhęsionis superare scientiam. Non rectè igitur, nisi secum pugnando ostendit, scientiam habere certitudinem intensiuè maiorem, certitudine fidei. 59

Quod igitur ad rẽ attinet, potest ad difficultatem quam implicitè mouet: Responderi, Negando fidem secum admittere dubitationem, quia, cum fides sit actus liber, non debet dici secum admittere dubitationem, nisi ipsa consistat cum liberâ dubitatione admixtâ, sicuti dici potest de 60

opinione aut existimatione. Certum autē est, quod fides, eiusque causa, penitus excludat omnem dubitationē liberam. Vnde Capitulo 1. de Hæreticis, dicitur dubius in fide esse infidelis: & hoc est quod D. Tho. ad Primum significat, quando dicit: quod dubitatio illa (cuius motum scilicet, credens aliquando patitur) non fit ex parte causæ fidei, vtpote quæ ex se dubitationē omnem excludit, sed ex parte subiecti quoad nos, eo quod intellectus videlicet nō euidenter conuincatur: vnde fit, quod aliquando surrepere possit non aduertentibus, aut etiam inuitis, dubitatio aliqua, quam tamen fides per imperiū voluntatis ex ratione sua excludit, sic vt voluntariè cum fide nonquam admitti possit. Ex hoc itaq; capite dici tantū potest, quod scientia, & aliæ virtutes intellectuales secundū quid, & quo ad nos, fidem superent ex parte subiecti in certitudine, secundū has scil. conditiones: puta primò in euidentiâ: deinde quod inferant necessitatem assentiendi, ita vt non liberè assentiamur, quoad speciem actus: Tertiò, quod excludant omnem motum dubitationis ab intellectu propter sui euidentiam.

61 Sed objiciet aliquis: Fidelis est certior, v. g. Deum esse Trinum vel non Trinum, quam esse Trinum determinatè: ergo habitus intellectus simpliciter certior est fide. Antecedens probatur, quia nihil potest esse notius & euidentius & certius, quam hoc principium, Quodlibet est, vel non est. Respondetur, etsi lumine naturali euidens sit, Deum esse Trinum vel non esse Trinum, non tamen ideo fidelis de illâ disiunctiuâ certior est, quàm de altera parte sit per fidē, videlicet de hâc Deum esse Trinum. Quamdiu enim in ipso vera fides est, firmius per eam adhærebit huic parti determinatè, quam per lumen rationis illi disiunctiuæ: quod vel inde ostendi potest, quòd in aliâ materiâ, vbi neutra pars à Deo esset reuelata, potius negaret eiusmodi disiunctiuam, quam recederet ab hâc vnâ determinatâ parte huius disiunctiuæ. Neque verum est, quod quidam vrgere videtur, euidentiam scil. naturalem illius principij, siue illud principiū, vt est euidens lumine naturæ, esse fundamentū assēsus fidei: Nō enim ideo assentior alteri parti determinatæ, & nego alteram per fidem, quia lumen rationis mihi ostendit, non posse Deum esse Trinum, & non esse Trinum: sed quia lumen fidei hoc ostendit: nam idem lumen quod ostendit & docet, Deum esse Trinum, etiam ostendit & docet, non esse non Trinum, & eâdem certitudine qua me facit assentiri vni parti, facit me negare alteram.

His adde, illud principium quantumcumque videatur euidens, tamen à doctissimis viris fuisse reuocatum in dubiū, an per potentiam absolutam non possit esse falsum.

Objicitur Secundò: Hugo de Sancto Victore lib. 1. de Sacramentis parte 10. cap. 2. dicit, Fidem esse certitudinem quādam animi de rebus absentibus supra opinionem, & infra scientiam constitutam: ergò &c. 62

Respondetur, posse Hugonem explicari & dici eum sic loquutum de fide & scientiâ propter certitudinem euidentiæ, quę maior est in scientiâ quam in fide, vti diximus: atque ita quâdem consideratione, ad quam ille videtur attēdisse, fidem esse certitudinem infra scientiam; sed tamen, quia hæc certitudo est tantùm ex parte subiecti & secundum quid, modo quo antè explicuimus, hinc cum D. Tho. & alijs potius est loquendum & dicendum simpliciter, quod fides sit certitudo supra scientiam.

Conclvsio Secunda: Fides quoque simpliciter certior est tribus istis: sapientiâ, scientiâ, & intellectu, vt significant quædam Spiritus Sancti dona huius vitæ. Est D. Thomæ hîc in Corp. & communis aliorum, & rationem reddit: quia comparantur ad fidem, vt ad principium suum, & cui cooperantur: vnde illorum certitudo à certitudine fidei est dependens. Vide D. Thomam infrà quæst. 8. art. 7. vbi explicat istorum donorum inter se distinctionē, ex quibus plenius poterit intelligi, quomodo ad fidem, tanquam ad principium, comparentur ac eidem cooperentur: sunt enim quasi quædam eius proprietates, quæ seruiunt ad certas fidei functiones præstandas. 63

QVÆST.

QVÆSTIO V.

De Habentibus Fidem.

In quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm homo vel Angelus in primâ sui conditione habuerit fidem?

1 CONCLVSIO Diui Thomæ est: Angelus ante confirmationem, & homo etiam ante lapsum habuerunt fidem.

Probatur Primò ex Scripturis: Quia vterq;, & Angelus, & homo tunc in statu erãt, quo adhuc ad Deum, vt ad finem vltimum & beatitudinem supernaturalẽ tendebant & accedebant: viatores enim erant & non comprehensores; ergo fidem habebant. Probatur consequẽtia ex Apost. ad Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum.* Probatur Secundò, quia Scriptura tantum videtur agnoscere duos status, siue hominis, siue Angeli in ordine ad Deum, vt ad finem nostrum supernaturalem: scilicet Vnum, quo ambulamus per fidem, & peregrinamur à Domino: Alterum, quo ambulamus per speciem, & sumus pręsentes ad Dominum per claram visionem: vt colligitur ex Apostolo 2. ad Cor. 5. atqui ante cõfirmationẽ, Angelus, & homo ante lapsum, non erant pręsentes ad Dominum per claram visionem, siue per speciem; ergo peregrinabantur & ambulabant per fidem.

2 Dices, D. August. lib. 11. de Ciuitate cap. 12. docet, Adamum in statu Innocentiæ non fuisse peregrinatum aut peregrinum; ergò &c. Respondetur: Aug. loquitur de peregrinatione parũ aliter, quã Apostolus, quia eam tantùm intelligit peregrinationem, quæ est per modum exilij inflicti in pœnam: & eo quidem sensu, non fuit Adam peregrinus in statu innocentię: sed tamen peregrinabatur, quatenus vt viator ambulabat & tendebat ad Deum, vt finem & terminum suum. Vnde in eo statu, iuxta Apostolum, etiam fidem debuit habuisse. Probatur tertiò ratione D. Tho. quæ sic potest formari: Angelus & homo in prima sui conditione creati sunt cum dono gratiæ supernaturalis, vt alibi latiùs traditur & explicatur, & docet etiam clarè D. August. de Corrept. & Grat. cap. 10. & 11. quæ non reddebat eos consummatè beatos, neque confirmatos in bono; sed quædam in eis erat inchoatio futurę beatitudinis ipsis pręparatę: Inchoatio autem ista, in voluntate ponitur per spem & Charitatem, in intellectu autem, per fidem; ergò homo & Angelus, in prima sui conditione habuerunt fidem.

3 Obseruandum tamẽ cum Diuo Thoma in Corp. sub finem, & ad Primum, tum hominem in statu innocentiæ, tum Angelum ante confirmationem, plura potuisse cognoscere ac cognouisse de diuinis misterijs & effectibus, & cognitione etiam perfectiori ac altiori, vt ipse loquitur, qua propius ad Deum accedebant, quàm modo homines in statu lapso. Vnde videtur factum, quod ex Antiquioribus quidam negarint, Angelum ab initio habuisse fidem: vt Bonau. in 3. dist. 23. & Durand. ibidem: quidam etiam negauerunt dè homine in paradiso terrestri: vt Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacramentis parte 6. cap. 14. quem sequitur Magister lib. 2. dist. 23. & lib. 4. dist. 1. sed tribuerint eis cognitionem sublimiorem, quam vocant cõtemplationis, distinctam à fide.

4 Verùm licet cognitionem perfectiorem de Deo, & rebus diuinis, ac pleniorem habuerint, certum tamen est, quod non pertigerint ad claram intuitiuam Dei & rerum diuinarum visionem: & proinde qualemcumque habuerint, non tamen per eam potuisse fidem euacuari: nam & modò in statu naturæ lapsæ, sunt qui clariùs & perfectiùs res diuinas intellexerunt, vt Prophetæ & Apostoli, quàm communiter cæteri, nec tamen ideo fides eis deneganda est.

5 Sed dices, Magister dicit hominem cognouisse diuina sine medio; ergò non potuit, iuxta illum habuisse fidem. Respondetur: Distinguunt Scholastici duplex medium: vnum obumbrans, quod ænigmaticum vocant, Alterum adminiculans, quod vocant medium speculare. Dicendum igitur Magistrum loqui de medio obum-

obumbrante, non autem de medio adminiculante: vidit enim primus homo per speculum, sed clarius & lympidius, quàm illud sit, quo nunc Deum tantùm in ænigmate speculamur.

6 Sed contra fidem Angeli opponit Durãdus. Quod Angelus in creatione, euidẽter cognosceret Deum esse, qui reuelaret credenda; atqui euidens ista cognitio repugnat fidei: quomodo enim id quod reuelatur poterit esse ineuidentis veritatis ei, cui euidens est Deum, qui nec falli nec fallere potest, esse qui illud reuelat? ita ferè ille.

Respondetur Primò, etsi modò communis status fidei sit talis, vt non tantùm res reuelatæ sint obscuræ nobis, sed etiam ipsa reuelatio, non videri tamen fidem habere absolutam repugnantiam cum euidentiâ de Deo reuelante, præsertim quæ naturali lumine habetur, aut per discursum: nam, quod ad confirmationem istius repugnãtiæ adducitur, non cõuincit quod ipsę res reuelatæ euidenter vt in se sunt, ab eo cognoscantur, qui euidenter intelligit Deum reuelare, vel quod earum veritas in se ab illo videatur; sed tantùm, quod ei euidenter certum sit, res illas se habere prout ei reuelantur, eoque nomine firmissimè credat, eas ita se habere, & tales esse: sic tamen, vt non propterea illas, aut earum veritatem, clarè intueatur.

7 Deinde, nulla euidentia euacuat fidem, nisi simul certitudine adæquet ipsam certitudinẽ fidei: vnde suprà diximus, circa idem obiectum posse consistere fidem & euidentiâ scientiæ; extra visionem autem Beatificam, nulla euidentia adæquat certitudinem fidei. Quare euidentia, quam habuit Angelus de Deo reuelante, cum per lumen naturale & discursum fuerit habita, nequidem euacuabat fidem de ipsâ reuelatione, quòd ea à Deo esset, cum intuitiuè ipsam reuelationem lumine glorię non agnouerit. Pro priori parte responsionis facit D. Thomas artic. sequ. vbi docet, quod licet ex signo aliquo vt ex suscitatione mortui, conuincatur intellectus videntis, vt agnoscat manifestè dici à Deo, verbi gratia, quod Propheta prænuntiat, per illud tamen non tolli rationem fidei, quando illud, quod prenuntiatur, in se euidens ei non esset. Similiter infrà quęst. 171. art. 5. docet, quod Prophetæ certissimè nouerant à Deo reuelari, quæ prophetabantur; nec tamen idcirco ab eis sublata fuit ratio fidei.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in dæmonibus sit fides?

RESp. D. Thomæ est, In dæmonibus fidem esse quandam coactam ex euidentiâ signorum quæ percipiunt; non autem fidem aliquam voluntariam, ex pio scilicet affectu, & debitâ reuerentiâ erga diuinam veritatem, qualis in fidelibus reperitur, quæque laudabilis est, & Dei donum. Vnde patet, D. Thomam hîc generaliùs de fide, quam de infusâ & supernaturali loqui. Probatur itaque, quia generaliter dicitur quis credere, qui per intellectum assentitur ijs, quæ neque in seipsis, neq; per resolutionem in sua prima principia in se visa intuetur: sed vel per voluntatis imperium inducit & captiuat intellectum, vel per quædam extrinseca ad assentiendum quasi compellitur: atqui illud posterius habet locum in dæmonibus. Hinc Apostolus Iacob cap. 2. dicit: *Et dæmones credunt & contremiscunt*; persentiunt enim Dei potentiam in vindicandis ipsorum peccatis, & alia multa inditia manifesta percipiunt, ex quibus non tantùm diuinam omnipotentiam agnoscunt; sed etiam, vt habet D. Tho. cognoscunt doctrinam Ecclesiæ à Deo esse, quamuis res ipsas; quas docet Ecclesia, vt in se sunt, non videant. Eiusmodi autem inditia quę tantâ euidentiâ sese ingerunt eorum menti, vt non possint ea negare, sunt miracula, prophetiæ, salus credentium, incredulorum dãmnatio, victoria, qua ipsi à fidelibus superantur, nec contra eos præualere possunt. 8

Sed hîc quæritur, Vtrum in dæmonibus supersit fides infusa: quod similiter de hominibus damnatis inquiri potest. Durandus in 3. dist. 23. quæst. 9. existimat in hominibus damnatis, qui fidẽ habuerint, manere fidem infusam: In dæmonibus verò, quia eos ante confirmationem negat fidem habuisse, conformiter dicit, fidem non superesse, mansuram tamen fuisse, si in viâ habuissent. 9

Sed contrarium omnino tenendum est, scilicet neque in damnatis hominibus, neque in dæmonibus fidem infusam superesse. Ita cõmuniter DD. tenent, & probatur primò, quia iuxta Apostol. ad Heb. 11. *Est fides sperandarum substantia rerum*, id est, fundamentum aut subsistentia speratarũ rerum in animis fidelium; vt dictũ est, atqui damnati nihil possunt amplius sperare. Secundò, fides est fundamentum iustitiæ, 10

stitiæ, & veluti semen eius: vnde in peccatore relinquitur, vt iustitiam possit recuperare, sed damnati nullo modo ad iustitiam redire possunt: quorsum igitur in illis semen illud relinquatur, Tertiò per fidem sunt fideles membra Christi insita Corpori eius, quod est Ecclesia: vt suprà diximus: damnati verò, neque actu, neque potentiâ sunt de Corpore Christi; sed sunt palmites planè aridi, abscissi, & missi in ignem. Quartò, fides est ambulantium in viâ, & tendentium ad speciem: iuxta illud Apostoli 2. ad Cor. 5. *Per fidem enim ambulamus*, &c. sed damnati sunt in vltimo termino viæ suæ, non tantùm intrinseco, sed etiam extrinseco. Denique fides pendet à piâ affectione voluntatis erga summa veritatem; atqui damnati gerunt voluntatem maximè contrariam diuinæ authoritati, adeo vt nisi suo malo nimis conuincerentur, libenter & Deum, & omnia, quæ Deus testatus est negarent: nulla igitur fides infusa eis attribuenda est; sed rectè de illis intelligitur illud Prouerb. 13. *Lucerna Impiorum exstinguetur.*

11 Sed cõtra objicitur: Iacobi 2. c. hominũ peccatorum fides comparatur fidei dæmonum, & D. August. istorum sæpe vocat fidẽ dæmonum: vt tract. 6. & 22. in Ioan. lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 9. & alibi; atqui in peccatoribus est fides infusa & supernaturalis; ergo hæc quoque reperitur in damnatis. Et cõfirmatur, quia fides non habet contrarium à quo corrumpatur; ergò &c.

Respõdetur: Peccatorum fides comparatur quidem fidei dæmonum, non autem dicitur esse eadem: comparatur autem in eo, quod vtrique suo modo credant Deum esse; sed vtrorumque credulitas sit inutilis, si fideles ea quæ credunt, non satagant quoque bonis operibus adimplere: arida enim fides sine bonis studijs nihil prodest. Neque aliò tendit comparatio D. Iacobi, vt ex textu euadit manifestum: neque etiam Augustini dicta aliud significant.

12 Differunt verò fides peccatorum & fides dæmonum in multis: Primò, quod fides dæmonum non sit ex liberâ & piâ voluntatis subiectione ad Deum & eius veritatem, sicuti antea diximus: quod & docet Chrys. hom. 37. in Euangelia; è contra autem fidelium peccatorum fides adhuc sit libera; & ex voluntariâ subiectione intellectus ad primam veritatem: Secundò, quod dæmonum fides tantummodo oriatur ex euidentiâ signorum, aut experientiâ malorum, quæ euadere nequeunt: non autem ex aliquâ captiuatione intellectus ad diuinam reuelationem obscurè factam, sicut fides peccatorum: denique quod illa sit naturalis quædam credulitas; hæc autem sit supernaturalis, Deique donum.

Ad Confirmationem autem respondetur, fidem non destrui à contrario, sed per substractionem diuini influxus, quæ fit in primo instanti damnationis: sicuti gratia perit, dum homo mortaliter peccat: hoc ipso enim quo sunt in vltimo termino, nõ debent amplius habere eam virtutem, quâ ad terminũ tenditur. Accedit quod damnati mox concipiant voluntatem, qua illis sit exosa diuina authoritas, & reuelatio, & mysteria reuelata: quę voluntas repugnantiam quandam infert cum fide, per modum saltem dispositionis: vnde meritò fides eis tunc aufertur, sicuti Matth. 25. mandatur tolli talentum à seruo inutili, quando proijciendus erat in tenebras exteriores. Neque obstat quod Magister & alij nonnulli sic loquantur, vt dicant damnatos fidem habere informem; quia nomen fidei informis generatim accipiunt pro quâuis credulitate de Deo, eiusque mysterijs separatâ à charitate: quomodo etiam hic de fide diximus loqui D. Tho. quia etiam eodem sensu quæst. 18. art. 3. ad 2. dicit, in damnatis esse fidem informẽ, non tamen spem, quia scilicet secundũ nullam spei rationem qualitercumque aut quomodocumq; latè acceptam, quidquam boni sperant, quemadmodum tamen aliquid veri credunt. 13

Objicitur Secundò: Vermis conscientię videtur in damnatis pręsupponere fidem: cruciabuntur enim de carentiâ visionis diuinæ, de quâ nihil nouerunt nisi per fidem; ergò &c. 14

Respondetur Neg. Assump. si de fide infusâ sit sermo: neque enim necesse est, vt de carentiâ beatitudinis crucientur, quasi eam fide diuinâ credant, sed satis est, quod alio modo, & in genere cognoscant magnam esse gloriam & fœlicitatem beatorum: quomodò autem illud cognoscant, tractari solet à Doctoribus circa finem Quarti sententiarũ, & apud D. Tho. in fine Supplementi.

Objicit præterea Durandus: Si fides non remaneat, non fore distinctionem in inferno inter fideles & infideles. 15

Respondetur Primò, non videri magnum incõueniens, etsi admittatur distinctionem non esse, nisi in pœnis & pœnarum acerbitate: de quibus satis constabit: Quod enim est incommodum, si in loco, vbi nullus est ordo, sed sempiternus horror inhabitat, admittamus istam distinctionem non obseruari.

Respondetur Secundò, præter fidem infusam reperiri in fidelibus etiam fidem acquisi-

acquisitâ, & hanc posse dici remanere, quâ fideles ab infidelibus distinguantur. Quidam autem distinctionem illorũ referunt ad characterẽ, & quidem rectè, quoad eos qui fuerint baptizati: sed ab eo non potest sumi distinctio vniuersalis, quia multi fideles veteris Testamenti, haud dubiè damnati quoque fuerunt, in quibus character locum non habet.

16 Quæret aliquis, cum character baptismi in damnatis remaneat, cur non etiam fides remanere admittatur?

Respondetur: illa duo non eiusdem esse rationis, nam character tantùm est signum distinctiuum, saltem ex principali suâ ratione: vnde ad confusionem eorum, qui castra sua deseruerunt relinqui potest: fides verò est principium operatiuum & virtus ad operandum ea quæ salutis sunt, ordinata: vnde in inferno deberet perpetuò esse otiosa, sine fructu, & frustra: quare nulla subest ratio, cur diuinâ hanc virtutem in damnatis Deus conseruaret. Quare cum illis agitur sicut cum milite ignauo si auferantur ei arma, & ad confusionem cogatur gestare cingulum militare.

17 Quæritur Secundò: Vtrùm illi, qui sunt in purgatorio vel in cœlo, fidem habeant? Respondetur primò, certum est eos qui sunt in purgatorio fidem habere: peregrinantur enim adhuc à Domino, quatenus necdum admissi sunt ad speciem, siue vt videant Deum facie ad faciem: quamuis enim non sint propriè viatores, eò quòd merendo aut demerendo progredi, aut retrogredi vlterius non valeant, nondum tamen sunt intromissi intra portas patriæ, & regionis lucis: sed adhuc foris stant, sicut qui peruenerunt ad portas ciuitatis ad quam tendebant, sed foris stant expectantes intromissionem. Cognoscunt igitur diuina mysteria adhuc per speculum in ænigmate, ex quâ cognitione Deum laudant, & ad spem, dilectionem, ac patientiam sese excitant.

18 Respondetur Secundò: Certum etiam est, in beatis non esse actum fidei: constare id potest ex dictis suprà qu. 1. art. 5. & colligitur ex Apostolo 1. ad Corinth. 13. *Videmus*, inquit, *nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte: tunc autẽ cognoscam sicut & cognitus sum.* Quibus satis declarat fidẽ, quâ hîc diuina mysteria cognoscimus, desituram tunc, & aliâ lõgè perfectiorẽ cognitionẽ successurã. Similiter 2. ad Cor. 5. dicit, quod hic per fidem ambulemus: quando autem præsentes erimus ad Dominum, quod tunc non per fidem; sed per speciem videmus: rursum dicit 1. Cor. 13. *Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Quo significat imperfectiorem illam fidei cognitionem in patriâ tollendam.

Respondetur Tertiò: Omnino quoque certum apparet, etiam habitum fidei non remansurum in beatis. Ita fere sentiunt Theologi omnes: & colligitur ex verbis Apostoli allegatis, *Cum venerit quod perfectũ est*, &c. indicant enim ista, statum patriæ esse talem, vt postulet quod habitualis etiam cognitio illa imperfectior, omnino auferatur: nam habitus potissimùm pertinent ad ipsum statũ. Huc etiam facit illa definitio fidei, quâ dicitur substãtia sperãdarũ rerũ: quod autẽ videt quis, quid sperat? Et ratio est, quia cũ status ille propter visionis claritatẽ penitùs excludat actũ fidei, nulla videtur ratio, cur ibi habitus cõseruetur, qui non datur nisi propter actũ: Itaque hoc ipso quo lumen gloriæ infunditur, desinit habitus fidei per substractionem diuini influxus, quo conseruabatur: desinit, inquam, tanquam in posterum frustraneus & minus conueniens perfectioni illius status: quod tamen intellige de habitu fidei quâ parte est in intellectu: nam loquendo de habitu, quem dicimus simul requiri in voluntate, cum non includat imperfectionem illi statui incongruam, non apparet ratio, quare hic negetur remanere, ac etiam officiũ suum modo quodam exercere, quatenus beati ita sunt voluntate affecti, vt omnino vellent diuina mysteria firmiter credere ob diuinam authoritatem, etsi illa clarè non viderent. Aduertendum quoq; est, inter habitum fidei & lumen gloriæ non esse repugnantiã physicam, qualis inter qualitates contrarias: vtrumque enim est virtus quædam intellectus, perficiens ipsum infallibiliter respectu veritatis: neque absolutè & physicè repugnat, quod idem obscurè cognitum sit per vnum lumen, quod est clarum per alterum. Hinc D. Tho. infrà quæst. 175. art. 5. dicit, Paulum retinuisse habitum fidei in raptu illo, quo ex D. Thomæ sententiâ, vidit diuinam essentiam. 19

Sed contra dicta obijci potest, quod Tertull. lib. de Patientia: & Irenæus lib. 2. cap. 47. referant illud *nunc*, quando Apostolus dicit, *Nunc autem manent fides, spes, charitas*, ad statum patriæ, ibique velint ea tria reperiri. 20

Respondetur inprimis, nõ nisi violentè & contra mentẽ Apostoli posse illud *Nunc* referri aliò, quàm ad vitam præsentem, vt ex ipso contextu satis liquet. Addo secundò, posse duo considerari, tum in fide, tum in spe, in fide certitudinem obiecti & obscuritatem; in spe autem amorem rei speratæ & eius absentiam. Quando itaque isti Authores volunt in patria etiam remanere fidem

fidem & spem, intelligendi sunt id eo sensu dicere quia secundum aliquid, fides scilicet secundum certitudinem, & spes secundum amorem, quamuis iam ex alijs principijs, quàm istis habitibus, remanent.

ARTICVLVS III.

Vtrùm, qui discredit vnum fidei articulum, possit habere fidem informem de alijs articulis?

21 CONCLVSIO D. Thomæ est, Quicumq; cum pertinacia discredit vnū articulum fidei, non habet quoque actum nec habitum virtutis fidei circa alios articulos. Est communis Theologorū, Caiet. Arragonij, Bannesij, Malderi hic: Suarez De triplici virtute Theolog. disp. 7. sect. 4. Scoti in 3. d. 23. qu. 1. ad 1. ibidem Gabrielis q. vnica ar. 5. Capreoli dist. 24. ad argumenta contra 3. conclus. & aliorū contra Durandum, qui in 3. dist. 23. qu. 9. non improbabile esse existimat, manere habitum fidei in hæretico, qui circa aliqua particularia credibilia errat, & consequēter eum credere fide infusâ reliquos articulos, in quibus non errat. Sed à multis hæc opinio Durandi, tum erroris, tum temeritatis non immeritò arguitur.

Probatur enim Conclusio, inprimis ex Scripturis: Ad Galatas capite 5. *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini.* Hic Apostolus à Christo & eius fide pronuntiat vacuos illos; qui in hoc puncto pertinaciter errabant, docentes vel iudicantes circumcisionem & legalium obseruationem esse necessariam ad iustitiam & salutem; ergo vult fidem Christi simpliciter concidere, quando quis pertinaciter vnum articulum discredit, aut ab eo recedit.

Confirmatur ex ijs quę infrà subiungit: *Persuasio* (inquit) *non est ex eo qui vocat vos: Modicum fermentum totam massam corrumpit*, id est, error iste vnus, qui potest dici modicus, totam fidei massam, siue virtutem & habitum corrumpit & perdit. Hoc etiam facit quod Apostolus 1. ad Timoth. c. 1. dicit, Hæreticos naufragos circa fidem: quo indicat fidem in illis disruptam & confractam, atque adeo perditioni obnoxiam: sicuti nauis istorū dissoluta est aut perijt, qui naufragiū passi dicuntur. Ad Titum c. 3. de hæretico dicitur, *Quia subuersus est*, id est, euulsus radicitus, sic vt fundamento non inhæreat. 1. Ioannis c. 2. dicitur, *Ex nobis prodierunt*, id est, abierunt à nobis, vt ex adiunctis patet; non igitur in hæretico manet fides: neque fidem habere dicendi sunt: quod etiam clariùs docet D. August. Enchiridij cap. 5. dum sic scribit; Si enim diligenter quæ ad Christum pertinent, cogitentur, nomine tenus inuenitur Christus apud quoslibet hæreticos, qui se Christianos vocari volunt: re verò ipsâ non est apud illos: nullo igitur modo dicendum est, quod hæretici retineant habitum fidei Christianæ infusæ.

22 Probatur Secundò ex Concil. Trident. Sess. 6. cap. 15. Asserendum est (inquit) non modò infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur &c. hic Concil. affirmat simpliciter infidelitate fidem amitti; vbi per infidelitatem intelligit quemcumque infidelitatis actum: per fidem autem, ipsum habitum seu fidei virtutē: quod sic ostenditur, quia comparationem facit inter infidelitatem, & quodcumque aliud peccatum mortale ex vnâ parte: & inter fidem & iustificationis gratiam ex alterâ: docet enim quod non tantùm infidelitate amittatur iustificationis gratia; sed etiam quocumque alio peccato mortali: quod manifestè constat dici & intelligi de actu infidelitatis quocumque, qui ad peccatum mortale pertingit, & de gratiâ habituali iustificationis: ergò similiter, quando interserit, quod illâ infidelitate, etiam ipsa fides amittatur, sermo est de quocumque infidelitatis actu, scilicet pertinace & perfecto, & de ipsâ fide habituali: & per cōsequens Concil. vult eum amittere fidei habitum, qui pertinaciter discredit vnum articulum, sicuti docet habitum iustitiæ amitti per quodcumque peccatum mortale.

23 Probatur Tertiò ratione D. Thomæ: quæ sic potest formari: quia cuiuslibet habitus species intercidit & perit, quando non inhæretur formali eius rationi obiectiuæ: atqui formalis ratio fidei est veritas prima obscurè reuelans; ergò quando desinit quis illi inhærere, amittit speciem habitus fidei, scilicet infusæ seu supernaturalis: atqui quicumque pertinaciter discredit vnum articulum, non inhæret amplius isti veritati, neque ab illâ afficitur, aut mouetur ad credendum: ergò &c.

24 Subsumptum hoc probatur: quia veritas prima reuelans omnibus fidei articulis æqualiter suo modo existit communicata, & eos contestatur: ergo qui vni ex illis discredit, sic vt in eius fidem non velit intellectum captiuare, conuincitur non moueri ad credendum ob formalem istam rationem; & per consequens, neque alios articulos ob illius respectum vel authoritatem

tatem recipere & credere: nam si v. g. hæreticus Caluinista crederet Deum esse trinum in personis, quia Deus dixit, etiam crederet Corpus Christi esse in Eucharistiâ, quia & illud dixit: quare omninò videtur resolui eorum credulitas in humanā & proprij cerebri persuasionem, quâ persuadent sibi hoc magis, quàm illud à Deo reuelatum: persuadent autem ita sibi, quia sic eligunt. Vnde ab eligendo hæresis dicta est.

25 Sed contra obijcitur Primò: Quamuis Veritas prima obscurè reuelans eodem modo se habeat à parte rei ad omnes fidei articulos, non tamen eodem modo omnibus apparet applicata, & ideo videtur quod quis salua reuerentiâ erga Veritatem primam, & stante eius authoritate ac motione, tam circa affectum, quàm intellectū hominis, possit credere aliquos fidei articulos, & aliquos non; ergò &c.

Confirmatur: Quia quædam reuelata, siue quidam fidei articuli euidenter & clarè in Scripturis sanctis exprimuntur, de quibus constat quod sint verbum Dei, & quidam non ita.

26 Respondetur Primò: Quemadmodum prima Veritas eodem modo à parte rei se habet ad omnia reuelata, ita quoque proponitur & apparet eius applicatio ad omnia eodem modo, hactenus quod omnia reuelata debeant eo modo tanquam reuelata proponi, vt tali propositione cuiusuis articuli sic factâ per quodcumque mediū, nemo prudenter possit iudicare vnum à Deo esse reuelatum, & alterum non: Et quidem iuxta ordinariam & communem legem, fides est ex auditu, auditus per verbum Christi, quod ab ijs annuntiatur, qui ad hoc missi sunt, vt docet Apostolus ad Rom. 10.

27 Quandoquidem ergò ab illis, quos dedit Deus populo suo siue Ecclesiæ Prophetas, Apostolos, Pastores & Doctores ad Consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationē Corporis Christi, vt loquitur Apost. ad Ephes. non aliqui tantū fidei articuli tradātur, vt à Deo edocti, & alij non: sed vniformiter omnes tradantur tanquam qui à Deo sunt inspirati & accepti: & quibus modis & vijs constat ab illis hos esse traditos, ijsdem modis & vijs constet, aut constare possit etiam reliquos ab illis esse traditos & acceptos, planè confirmatur neminem posse prudenter iudicare aut credere potiùs istos, quàm hos à Deo inspiratos ac reuelatos; aut iudicare istis vt talibus potius assentiendum esse quàm his.

28 Ad Confirmationem itaque respondetur nihil referre, etsi in Scripturis sacris aliqui fidei articuli clarius & expressius positi inueniantur, quàm alij quidam: quia à quibus fidei Magistris audiuimus & didicimus Scripturas Sanctas à Deo esse reuelatas seu inspiratas, & esse Dei verbum, ab ijsdem audiuimus & accepimus etiam articulos alios in Scripturis forsitan minus clarè expressos, pariter quoque à Deo reuelatos & ad eius pertinere doctrinam. Quibus igitur fundamentis ob eorum testimonium, recepimus Scripturas Sanctas tanquam Dei verbum, ijsdem quoq; oportet nos recipere omnia reliqua, quæ ab illis proponuntur, & traduntur tanquam Christi doctrina & Dei verbum: sicuti Tessalonicenses quandò Paulū audiebant, acceperunt ab illo non vnam partem doctrinæ eius, & alteram non: sed totam eius prædicationem acceperunt, vt verbum Dei.

Qui verò aliter faciunt, non ob diuinam 29
authoritatē sub quâ omnia ab ijsdem præconibus proponuntur, sed ob particularia motiua, & secundū proprium sensum credere his potius, quàm alijs proinde conuincuntur. Cuius rei satis manifesta apparent exempla; nam qui tales sunt etiam inter illa quæ æqualiter, siue æquè manifestè in Scripturis (quas Dei verbum se credere iactant) continentur, reijciunt quædam; & alia quæ palato illorum sapiunt admittunt & recipiunt; prout in exemplo iam ante allegato de mysterio Trinitatis, & Sacramento Eucharistiæ satis declaratur. Neque hoc tantùm, sed etiam ipsos Scripturæ libros qui minus eis sapiunt, audent à Dei Verbo secludere, & reijcere. Quare nec Scripturis, nec diuinæ authoritati, sed tantùm suo sensui adhærere & credere dicendi sunt.

Quod docet August. lib. 17. contra 30
Faustum cap. 3. Qui in Euangelio (inquit) quod vultis, creditis, quod vultis non creditis, vobis potius, quàm Euangelio creditis: & lib. 32. cap. 19. Videtis vos id agere, inquit, vt omnis de medio auferatur Scripturarum authoritas, & suus cuiusq; animus, author sit, quod in quàque Scriptura probet aut improbet; vt non sese authoritati Scripturarum ad fidem, sed sibi Scripturas ipse subijciat. Et hinc fit, vt qui à fundamento fidei semel recessit, & in hæresim aliquam lapsus fuerit, nusquam firmiter dudum subsistat: sed semper variâ & molestâ animi inquietudine agitatus in diuersos prolabatur errores. Quod pulchre expressit Vincentius Lyrenensis in suo commouitorio. Heu miseranda conditio, inquit, quantis illi turbarum æstibus, quantis turbidinibus agitantur: nunc enim qua ventus impulerit, fluctus reli-

duntur:

duntur: nunc temerariâ præsumptione, & ea quæ incerta videntur, approbantur; nunc irrationali motu, etiã quę certa sunt, expauescunt: Incerti quâ eant, quâ redeant, quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant, &c.

31 Obijcitur Secundò: Potest quis habere veram scientiam de aliquibus passionibus subiecti alicuius, & errare circa alias; ergò potest quis credere aliquos articulos, & errare circa reliquos. Resp. N.C. & ratio patet ex dictis: quia multum discriminis hîc intercedit, quia in diuersarum conclusionum scientijs contingit diuersa esse media; quorum potest quis vnum cognoscere, & non alterum; in fide autem, omnium articulorum vnum est medium, sicuti explicatum est.

32 Obijcitur Tertiò, fidem habituală seruò quâ homini credo, etsi in aliquo ei nõ credam; ergò &c. Resp. N.C. & diuersitatis ratio est: quia hominis authoritas non semper sola per se est sufficiens, & totale mediũ credendi quæ affirmat; sed admittit secum alia argumenta in subsidiũ, quæ ex varietate materiæ, contingit esse varia: vnde fit quod in eiusmodi fide humanâ medium quasi totale sit aliud & aliud, saltem secundũ aliquas sui partes: sed authoritas diuina semper per se, etiã sola est sufficiens & totale medium credendi fide diuinâ, quæ præualet etiam contra omnia argumenta in quâcumque materia contra eius assertionem occurrentia; quod rursum nõ competit authoritati hominis.

33 Obijcitur Quartò: Hæretici illâ facilitate credunt reliquos articulos, quos retinent, quâ priùs eos credebant; ergò in illis remanet fidei habitus. Confirmatur, quia affirmant se credere propter diuinam authoritatẽ, & non ob aliã causam; ergò &c. Respondetur, non ex eo quod facilè & firmiter credant, consequens est eos fide diuinâ credere, quia etiã errores suos facilè & firmiter tenẽt ac credunt, & sępe multò firmiùs aut pertinaciùs, quàm veros articulos. Vnde firmitas illa non est signum sufficiens, aut demonstratiuũ fidei supernaturalis; potest enim prouenire ex irrationabili animi obstinatione, firmitas autem fidei debet prouenire ex prudenti iudicio & rationabili voluntate, quòd in eis locum non habet. Vnde verum quoque non est, quod eâdem firmitate inhæreant, quâ priùs: est enim firmitas alia, longè alterius rationis.

Ad Confirmationẽ respondetur, negando eos credere ob diuinam authoritatem, quantumuis id inculcent; sed eis adhærent ob propriũ sensum & voluntatiã electionẽ, vt ex dictis potest colligi: ideo enim inter plura sufficienter proposita, vt prudenter possint ac debeant iudicari esse à Deo reuelata; quędã acceptãt tanquã reuelata, & credũt, quia videtur illis in talibus nihil repugnans, aut inconueniens; quia verò de alijs aliter humanâ ratione sentiunt, ideò hæc reijciunt.

Obijcitur Quintò: Obiectum fidei, licet propositũ sub attestatione primę Veritatis, non necessitat intellectum ad credendũ, sed debet accedere volũtas, quæ ex debitâ reuerentiâ erga primã veritatẽ imperet intellectui, vt assentiatur: idq; voluntas liberè facit; ergo potest quis assentiri vni articulo propter diuinam attestationẽ & dissentire alteri, nõ obstante etiã pari propositione; idq; pro libertate ipsius volũtatis. 34

R.N.C. Quia etsi habitus fidei tam qui est ex parte volũtatis, quã qui est ex parte intellectus relinquat plenã libertatẽ quoad exercitium actus: & simul quoad specificationem hactenus quod quis possit simpliciter dissentire articulis fidei, non tamẽ admittit quod ex ipso inhæreatur vni, & simul dissentiatur alteri sufficienter proposito: vt ex ante dictis licet intelligere.

Obijcitur Sextò: sicuti homo obedit diuinæ veritati in credendo, ita obedit diuinę authoritati in seruandis mandatis legis; sed potest quis præuaricari vnũ mandatũ, & seruare alia; ergo potest etiã discredere vnum articulum, & seruare fidem circa reliquos. Respondetur distinguendo subsumptum, si intelligatur, quod possit quis præuaricari vnum pręceptũ, & seruare reliqua ex habitu debitæ submissionis mẽtis sub Deo eiusq; authoritate, siue ex respectu & reuerẽtia debitis diuinę authoritati, tanquam proprio motiuo istius obseruationis, sic negatur; quin ècõtra certissimũ sit, quãdo quis in vno contemnit, aut mortaliter negligit authoritatẽ Dei mãdantis, eũ tunc amittere habitũ debitę obediẽtię, siue substitutionis ad Deũ (sicuti dicimus fidei amitti, quãdo quis in vno articulo est incredulus) siue habitus ille subiectionis ponatur aliquis generalis simplex, siue cõpositus ex alijs; qualis nomine iustitiæ, quâ iustificamur, solet intelligi, qui ex habitu charitatis & alijs virtutibus supernaturalibus ei cõnexis conflatur. Et hinc est quod D. Iacob. cap. 2. dixit, eum qui in vno offendit, factum esse omnium reum. Si verò intelligatur subsumptum, quod qui vnum præceptum præuaricatur, possit quocumque modo, ex diuersis & particularibus motiuis seruare alia, sic quidẽ verum erit; sed hoc nihil ad rem facit, quia ita quoque, qui vnum articulum discredit, potest generali modo ex alijs particularibus motiuis credere aliquos. 35

36 Obijcitur vltimò: fieri poteſt, vt Theologus quiſpiam in hæreſim incidat, atqui iſte non amittet habitum Theologicũ, qui tamen ex fide pendet; ergo neque fidem.

Reſpondetur Neg. talem non amiſſurum verum habitum ſcientiæ Theologicę, eo quod eſſentialiter ex fide, tanquam ſuo proprio principio pendeat, retinebit tamen aliquid ſimile habitui Theologico, ſicuti etiam retinet aliquid ſimile fidei infuſæ, ſcilicet fidem acquiſitam & humanam. Quemadmodum enim res & articulos fidei dupliciter tenemus, ſcilicet fide diuinâ, ac etiam quadam humana acquiſita, ita etiam concluſiones, quas ex illis deducimus, duplici habitu tenemus.

37 His deniq; addo, quod dato etiam illo, quod qui vnum articulum diſcredit, poſſit adhuc ſuo modo ob diuinam authoritatem moueri vt adhæreat quibuſdam alijs credulitate quâdam, vt quidã videntur velle: proindeq; ratio D. Tho. nõ foret in rigore efficaciſſima, non tamen ideo recedendum eſſet à cõcluſione, quæ authoritatibus Scripturę & Conc. Trid. ſufficienter ſtabilita & probata exiſtit. Et ſaltem hoc negari nõ poteſt, quin ratio D. Tho. vti eſt explicata, ſatis oſtendat peccatũ illud diſcredentiæ vnius articuli debitè propoſiti; habere peculiarem quandam diſconuenientiam cum fide, ſic vt iuſtiſſimâ ratione & quaſi morali neceſſitate ſubmoueatur habitus fidei propter demeritũ illius peccati, quamuis propter demeritũ aliorũ peccatorum, tametſi etiã grauiora eſſent, Deus pro ſuâ benignitate eũ nõ ſubmoueat, n[illegible] definat conſeruare. Cæterũ credulitas illa, etſi admittatur ex motiuo diuinæ authoritatis naſci, tamen nõ erit niſi humana & naturalis, ſicuti aliquando in peccatoribus oritur quidam affectus dilectionis Dei naturalis ex conſideratione bonitatis diuinę vt relucet in temporalibus beneficijs: non enim nititur authoritati diuinæ diuinitus aut ſupernaturaliter eis applicatæ ſeu vt ſic reuelatę ſed prout ipſi eam apprehendunt, & ſibi pro ſuâ voluntate applicant, vt poteſt ex dictis ſatis intelligi: neque à principio ſupernaturali mouente procedit.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm fides poßit eſſe maior in vno quam in alio?

38 CONCLVSIO Prima: Certiſſimum eſt, fidem in vno eſſe maiorem quàm in alio. Patet ex Scripturis, Matth. 8. *Non inueni tantam fidem in Iſraël:* cap. 14. *Modicæ fidei quare dubitaſti:* & cap. 15. *O mulier, magna eſt fides tua;* ergò &c.

CONCLVSIO Secunda: Fides non eſt maior aut minor ex parte obiecti formalis. Ita D. Tho. hic: Et patet, quia formalis ratio eſt veritas prima reuelans, quę vna eſt & ſimplex, æqualiter ſe habens ad omnes fidei articulos. 39

CONCLVSIO Tertia: Fides aliquãdo maior eſt in vno, quam in altero ratione obiecti materialis, ſecundum maiorem fidei explicationem, quatenus ſcilicet in vno ad plura credibilia explicitè ſe extendit, quam in altero, Ita quoq; D. Tho. & conſtat ex dictis q. 2. art. 5. & ſequentibus. 40

CONCLVSIO Quarta: Secundum participationem ſubiecti poteſt fides ex duplici capite eſſe maior in vno, quam in alio, ſcilicet ex parte voluntatis, & ex parte intellectus. Ita etiam D. Tho. Declaratur: ex parte intellectus quidem propter maiorem certitudinem & firmitatem (inquit) quæ ex eo hic naſcuntur, quod intellectus vnius maiori lumine conſequatur credibilia, quam alterius, prout hanc certitudinem explicat D. Tho. ſuprà qu. 4. art. 4. ex parte voluntatis autem, propter maiorem promptitudinem, ſeu deuotionem, quæ augentur & fouentur plurimùm per charitatem. Hinc rectè Hugo à S. Victore lib. 1. de Sacrament. part. 10. cap. 4. docet, fidem creſcere, vel ſecundum cognitionem, vel ſecundum affectũ: & diſtinguit quatuor genera fideliũ, quoſdam enim dicit, fidem magnam cognitione habere, affectu paruam: alios affectu magnam, cognitione paruam: Alios cognitione & affectũ magnam: alios denique cognitione & affectu paruam: addit tamen, ex affectus magnitudine in Euangelio fidem eſſe commendatam. 41

CONCLVSIO Quinta: Sicuti contingit in vno eſſe fidem maiorem, quàm in alio, ita etiam fieri poteſt, quod in eodem ſit ab initio fides minor, & poſtmodum maior. Patet ex illa Apoſtolorũ Oratione apud D. Lucam cap. 17. *Adauge nobis fidem;* quam imitatur Eccleſia, quando in Collectâ quâdam ſic præcatur, Deus da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum: & ex cap. 1. 2. ad Teſſ. *Supercreſcit fides veſtra, & abundat charitas vniuſcuiuſque veſtrum in inuicem:* & 2. ad Cor. 10. *Spem habentes creſcentis fidei veſtra.* 42

Obſeruandum vero eſt, etſi fides in eodem creſcat, non poſſe tamen habitum fidei viciſſim intenſiuè minui aut remitti, quia habitus infuſi ſine diminutione à Deo conſeruantur, niſi contingat eos omnino amitti: ſicut latiùs oſtendetur infrà de Charitate, Cõtingit nihilominus operationem fidei fieri remiſſiorem, quod amiſſâ charitate frequentius conſequi ſolet. 43

QVÆST.

QVÆSTIO VI. VII. VIII. IX.

QVÆ D. Tho. quatuor istis quæstionibus pertractat, de Causâ scilicet fidei, eiusque Effectibus, ac de subsequentibus donis, Intellectus nimirum, & Scientiæ, quasi fidei proprietatibus, possunt tum ex ijs quæ hic antè qu. 4. art. 5. tum ex ijs quæ alibi diximus, præsertim in 1. 2. in Tract. de Gratia, & de Iustificatione, tum ex ipsâ D. Tho. lectione, satis intelligi: quare istis prætermissis ad sequentia progrediemur.

QVÆSTIO X.

De Infidelitate in Genere.

In duodecim Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Infidelitas sit peccatum?

1 RESPONSIO D.Tho.est: Infidelitas purè negatiua, sicut in illis qui nihil audiuerunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnę: Infidelitas verò secundum contrarietatem ad fidē, qua scilicet quis repugnat auditui fidei, vel etiam illam contemnit, quę perfectam infidelitatis rationem sortitur, est peccatum. Prior pars est certa. Est etenim hæc propositio: Infidelitas purè negatiua in eis quibus Christus non est prædicatus, peccatum est, reprobata à duobus Pontificibus. Et probari potest ex Scripturis, *Si non venissem, & loquutus fuissem eis, peccatū non haberent*, Ioan 15. ad quæ verba D. August. tract. 90. in Ioan. Hoc est peccatū, inquit, quo in eum loquentem & operantem non crediderunt: vbi etiam, sicuti & in Tract. 89. dicit, Eos quibus nō est loquutus Christus nec per se, nec per prædicatores, habere excusationē de peccato, quo in Christum non crediderunt. Peccatum itaq; infidelitatis non habent, qui prædicationem nō audierunt: quod etiā indicat Apostolus ad Rom. 10. dum scribit, *Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autē audient sine prædicante?* Hinc D. Aug. l. 3. de lib. Arbit. cap. 19. Non deputatur, inquit, tibi ad culpam quod inuitus ignoras: & Epistola 105. docet ignorantiam in ijs, qui intelligere noluerunt, sine dubio peccatū esse, in ijs qui non potuerunt, pœnā esse peccati.

2 Vbi notandū, excusari illos, qui nō potuerunt, quales non sunt, qui de Christianæ doctrinę prędicatione, puritate eius, & sanctitate audiuerunt, quamuis nondum sufficiēter eis fuerit proposita aut explicata, si neglexerint vlterius inquirere, & curare se instrui, dū eis hoc in potestate fuit.

Notandum Secundò, quod rectè monet D. Tho. etiam illos qui negatiuâ infidelitate laborant, damnandos, non quidem propter speciale peccatum infidelitatis, quod dicimus eos non habere, sed propter alia sua peccata, à quibus sine fide liberari non possunt.

Probatur pars posterior ex illo Ioan. 15. 3
Nunc autem excusationem non habent de peccato suo, scilicet illi, qui Christi prædicationem audiunt & non credunt, Marci vlt. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Ad Heb. 3. *Quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius: nisi illis qui increduli fuerunt:* Matth. 10 vbi Christus Apostolos disignat & mittit ad prędicandum regnum Dei, dicitur, *Et quicumque non receperit vos, neq; audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerē de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij, quam illi ciuitati:* & Luc. 10. *Dico vobis quia Sodomis in die illa remissius erit, quàm illi ciuitati. Væ tibi Chorozaim, væ tibi Bethsaida:* & infra: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit*, &c. Ex quibus liquet, graue esse peccatum infidelitatis, quæ est secundum contrarietatem ad fidem, quâ quis, vel adhęret contrarijs erroribus, aut fidem non vult suscipere.

Sed contra priorem partem objicitur; 4
Scriptura docet, iram & vindictam effundendam in eos, qui Deum non nouerunt: Ps. 78. *Effunde irā in gentes quæ te non nouerūt:* & 2. ad Tess. c. 1. *In flamma ignis dantis vindictam ijs qui non nouerunt Deū.* Apparet igitur, quod etiā ignorantia, siue infidelitas purè negatiua, sit peccatum & quidem graue, cui fiant tantæ comminationes.

Respondetur Primò, gentibus quę Deū non nouerunt, haud dubiè reseruari irā & vindictā, quamuis non propter infidelitatem,

 tem,

tem, casu quo nihil de fide audierint, tamẽ propter alia peccata, à quibus sine notitia & fide veri Dei liberari non possunt.

Respondetur Secundò: Scripturas allegatas potissimum loqui de gentibus, quæ noluerunt Deum cognoscere, cum alioquin occasiones eum cognoscendi non defuerint: vel etiam satis cognouerunt, sed noluerunt illum vt Deum glorificare & gratias agere: Vnde obscuratum est cor eorũ, & accidit, vt scribit de illis Apostolus ad Rom. 1. quod, *Euanuerunt in cogitationibus suis*, &c. *Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, volucrum, quadrupedum*, &c. quorum infidelitas grauissimum fuit peccatũ: sed purè negatiua non fuit. Quod autem de talibus loquantur Scripturæ, patet ex adiunctis: addit enim Psaltes: *Et in regnã* (scilicet effunde iram tuam) *quæ nomen tuum non inuocauerunt: quia comederunt Iacob & locum eius desolauerunt*: qui enim filijs Israël tam erant vicini, satis audiebant & intelligere poterant fidem & verum cultum vnius Dei. Apostolus quoque ad verba citata adiungit, *Et non obediunt Euangelio*. Loquitur itaque de illis, qui Deum non nouerunt, quia Euangelij prædicationem recipere noluerunt.

5 Obijcitur Secundò: absentia fidei v. g. in infante, vel etiam in adultis qui nihil de fide audierunt, est ipsis voluntaria, taliter sicuti priuatio iustitiæ originalis, scilicet voluntate primi parentis; atqui priuatio iustitiæ originalis est peccatũ, nimirum originis; ergo etiã ista carentia fidei.

Respondetur: non hic quæri, vtrùm ista carentia fidei sit quædam pars peccati originalis, sicuti fides erat quædam pars originalis iustitię: & quidem etiam nunc ita ad iustitiam pertinens, vt sine illius infusione recuperari nequeat debita mentis subiectio ad Deum, & status amicitiæ cum illo: sed an infidelitas, siue ipsum non credere talium hominum sit eis peccatum nouum & personale? & illud est, quod hic D. Tho. negat: & quod Pontifices reprobant. Quod ad alterum attinet, certum est, non debere in homine vno constitui aut admitti plura peccata originalia, sed vnum tantùm, quod dicit priuationem omnium habituum, præsertim qui superiorẽ hominis partẽ Deo subijciebant: qui omnes per modũ vnius formæ & perfectę rectitudinis hominis considerantur, vnde & priuatio per modum vnius sese habet.

ARTICVLVS II.

Vtrùm infidelitas est in intellectu, sicut in subiecto?

CONCLVSIO D. Thomæ est: Infidelitas, sicuti & fides, est in intellectu tanquam in proximo subiecto; in voluntate autem sicut in principio motiuo siue imperante. Constat satis ex dictis. Hoc duntaxat notandum est, loqui D. Thomã de infidelitate secundum contrarietatem ad fidem, quã scilicet dissentitur fidei, aut ipsã cõtemnitur: quod ex eius deductione satis etiã patet; non de purâ negatiuã: quia licet hæc negatio, siue absentia fidei sit quoque suo modo in intellectu, non est tamen in voluntate vt principio motiuo, quia neque directè, neque interpretatiuè est volita: alioquin culpâ non careret. Ex quibus & hoc intelligitur, quod formale peccatum seu culpa infidelitatis sit proximè & intrinsecè in ipsâ voluntate, à quâ infidelitas quæ est in intellectu, denominatur peccatũ, sicuti actus externi dicuntur boni vel mali ab interno actu voluntatis, prout latius explicatur in 1. 2. qu. 74. 6

ARTICVLVS III.

Vtrùm infidelitas sit maximum Peccatorum?

RESponsio D. Tho. est: Infidelitas est peccatum maius omnibus quę opponuntur virtutibus moralibus: siue vt loquitur D. Tho. quæ contingunt in peruersitate morum: non autem omnibus quę contra alias virtutes Theologicas committuntur. Prior pars colligitur ex Scripturis, quæ valde exaggerant peccatum infidelitatis. Ioannis cap. 8. dicit Christus Iudæis incredulis: *In peccato vestro moriemini*, Ioannis 16. *Ille* (scilicet Spiritus Sanctus) *arguet mundum de peccato*, quod peccatũ exponens Dominus addit, *De peccato quidem quia non credunt in me*. Vnde rectè August. docet, per peccatum, quando seorsim ponitur, neque de quo peccato sit sermo, exprimitur, intelligi quasi per Anthonomasiam peccatum infidelitatis. Vide lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 3. Ad Ephes. 2. filios diffidentiæ, siue incredulos vocat Apostolus simpliciter filios diaboli. Huc etiam faciunt alia Scripturæ loca art. 1. adducta ex c. 10. Matt. ex c. 10. Lucæ & 15. Ioannis. 7

Probatur Secundò ratione D. Thomæ: quia longiùs & directiùs per peccatũ infidelitatis receditur à Deo, quã per quodlibet aliud peccatũ, quod cõtra virtutes morales cõmittitur: quia ipsum principiũ & viam accedendi ad Deum directè infidelis respuit, & ab illis se auertit: non ita alij peccatores, qui contra bonos mores peccant; ergò directiùs & longiùs remouet & auer- 8

& auertit illud peccatũ hominem à Deo, quam hæc alia: vnde & hoc accedit, quod tollat omne mediũ consequendi etiã aliorum peccatorum remissionem. *Impossibile enim est sine fide placere Deo:* & dicit Christus: *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro:* & Ioan. 3. *Qui incredulus est filio, non videbit vitam.*

9 Obseruandum verò D. Thomam loqui, & eius conclusionem sic intelligendam, scilicet de grauitate peccatorum, quantũ est ex genere ipsorum non autem negandum est, quin contingere possit ex circumstantijs ex vnâ parte alleuiantibus, & ex alterâ parte aggrauantibus, quod quædam alia peccata, præsertim in hominibus fidelibus, essent grauiora, quàm ipsa infidelitas: v. g. in gentili, qui quidem non omnino inuincibiliter fidem ignorat, sed tamen non habuerit nisi valde remotas occasiones discendi & apprehẽdendi fidẽ, possunt esse alia grauiora infidelitate eius.

Obseruandum Secundò, quod monet D. Thomas in responsione ad 3. Omnia scilicet cætera peccata, vt furta, adulteria, homicidia, & similia in homine fideli reliquis paribus esse grauiora, quàm in infideli, tum propter maiorem notitiam veritatis, quam ex fide habet, tum propter Sacramenta Christianæ religionis, quæ percepit, quibus irreuerentiam magnam peccando irrogat.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm omnis actio infidelium sit peccatum?

CONCLVSIO D. Thomæ est negatiua. Quia verò in Prima Secũdæ solet hęc difficultas disputari, idèo hic eam prætermittendo progredimur ad sequẽtia.

ARTICVLVS V.

Vtrùm sint plures infidelitatis species?

10 PОnit D. Tho. tres infidelitatis species, quæ sunt Paganismus, Iudaismus, & Heresis. Colligit autẽ eas ex diuersis modis, quibus contingit aliquém fidei reniti: potest itaq; eius discursus hoc modo formari. Quicumque pertinaciter negat aliquid ad fidem pertinens, is vel expressè profitetur Christianã religionẽm, vel eam abnuit & omninò reijcit: si expressè religionem Christianam profiteatur, iam eius incredulitas circa fidei articulum quem negat, erit hæresis; si vero Christianam religionem expressè non profiteatur, imò expressè reijciat, vel erit talis, vt saltem in signo & figuris eam teneat; vel erit talis, vt ne in signo vel figuris quidem: si priori modo se habeat, iam eius infidelitas erit Iudaismus, qui consistit in renisu contra fidem in signis & figuris susceptam: si posteriori modo, tunc erit Paganismus, qui consistit in renisũ contra fidem nunquam & nullo modo susceptam.

Ex his colligere licet primò, ante Christi aduentum & veritatem Euangelicam manifestatam, & adimpletam, non fuisse nisi duas infidelitatis species, scilicet paganismum, & hæresim: nam Iudaismus pro illo tempore vera erat fides: hæresis autem tunc erat eorum; qui religionem Iudaicam profitebantur, sed in aliquibus punctis, seu articulis ab eâ recedebant, vt fuit secta Saducæorum. 11

Colligitur Secundò, omnem infidelitatem necessariò sub vno ex tribus membris illis contineri, quia in contradictione consistunt.

Sed contra obijcitur primò, Idololatræ videntur aliam habuisse infidelitatem, & aliam Philosophi, qui ductum ac dictamen rationis sequebantur; nec Idola credebant esse Deos; ergò &c. 12

Respondetur, etsi inter gentiles, alij habuerint plures errores, aut absurdiores opiniones circa mores, quàm alij quidam, tamen omnes conuenisse in hoc, quòd totam fidem reuelatam reijciant; neque aliquid se credere propter diuinam reuelationem profiteantur: vnde tam Philosophi isti, quam Idololatræ ad primum membrum pertinere dignoscuntur: differentia autem, quæ inter illos existit, est tantùm quasi materialis, quatenus circa plures veritates errent hi magis, quàm illi.

Obijcitur Secundò, Turcæ non negant omnia reuelata; sed multa videntur admittere, vt Christi Matrem esse Virginem; Deum esse conditorem cœli & terræ, futurum iudicium. Similiter admittunt multa ex religione Iudaicâ; non ergo sunt Pagani, neque etiam sunt hæretici, vel Iudęi; ergo debent esse plures species. 13

Respondetur, Religio Turcarum est mixta; sed tamen quæ verè ad Paganismum pertinet, quia Mahometani siue Turcæ fidem Christi ita reijciunt, vt eam neque expressè, neq; in figurâ velint profiteri, & quamuis dogmata quædam recipiant, quæ nos tenemus, non tamen ideo recipiunt, quia dogmata Christiana sunt, aut à Christo tradita, vel à Deo reuelata; sed quia Mahometus ea docuit & approbauit.

15 QVAERET aliquis, an dictæ tres infidelitates differant specie proprie dictâ? Respondetur, Ita quidam sentiunt: Verius tamẽ videtur, esse tantùm diuisionem alicuius magis communis in minus communia restricta modis quibusdam accidentarijs: quatenus enim sunt peccata infidelitatis, siue contra fidem, non videtur nisi vna specie deformitas in eis reperiri, nimirum contemptus diuinæ authoritatis, siue nolle acquiescere Deo reuelanti & testãti. Quod verò quis illam fidem, cui renititur saltem in parte, profiteatur explicitè, vel in signo, aut nullo modo, nõ ponit diuersitatem essentialẽ in infidelitate; sed addit tantùm circumstantias aliquas aut modos, ratione quorum infidelitas censetur magis aut minus voluntaria, aut magis aut minus extensa ad ampliorem materiam.

16 QVAERET Secundò: Vtrùm ad rationem hæresis requiratur, quod quis prius veram fidem Christianam habuerit?

Ratio dubitandi potest esse, quia D. Tho. dicit, hæreticum esse qui renititur fidei susceptæ. Vnde quidam eius sectatores ita affirmant, existimantes hæresim in eo consistere, quod recedat quis à fide quã semel tenuit: Quare & hoc addunt, quandocumque Catholicus fidem deserit, etsi ad Iudaismum, vel Paganismum declinet, tamen verè & formaliter eum esse hæreticum.

17 Sed hic loquendi modus non videtur conformis modo loquendi antiquorum, nec etiam nunc recepto: nam hæreticorum filij qui nunquam veram fidem tenuerunt, passim & communiter hæretici dicuntur, & pro talibus iudicantur: & Concilia etiam solent tales vocare hæreticos, vt Arrianos, Paulinianistas, quos ne quidem ritè baptizatos ob defectum formę existimabant. Vnde quando ad Ecclesiã redibant, rursum baptizandi erant. Hinc neque illud satis conforme est recepto loquendi modo, quod hęreticus diceretur, qui in totum deserit Christianam professionem declinando ad Iudaismum, vel Paganismum, sed potius Iudæus aut Paganus factus dicitur. Quod itaque D. Tho. dicit hæreticum esse, qui renititur fidei susceptæ, sic accipiendum est, vt idẽ sit, ac si diceretur; Ille hæreticus est, qui renititur fidei Christianæ quam suscepit, & profitetur: & cui saltem nomine tenus inhæret: prout D. Augustinus Enchiridij cap. 5. dicit hæreticos fidem Christianam tenere, vt supra retulimus.

18 QVAERET Tertiò: An hæreses specie differãt? Ratio dubitãdi inde potest oriri, quia si quis incidisset in hæresim Arrianã, v. g. non videretur satisfacere dicendo in cõfessione, se incidisse in aliquã hæresim, sed deberet ipsam hæresim exprimere.

Respondetur tamen cum Caiet. hæreses esse eiusdem speciei, si spectemus malitiam infidelitatis: omnes enim articuli æquè firmiter sunt credendi, cum æque participent diuinam authoritatem, sub quâ omnes ponuntur. Hoc interim verum est, quibusdam hæresibus ratione materiæ, quam negant, coniunctam esse peculiarem quandam blasphemiam, vel contra diuinam naturam, vel contra personas: vt v. g. contra diuinitatem Filij, aut Spiritus Sancti, & inde contingere, opus esse aliquando, vt hæresis in particulari exprimatur in confessione, quando quis resipiscit.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm infidelitas Gentilium seu Paganorum sit cæteris grauior?

RESpondet D. Thomas cum distinctione ad hunc ferè modum: Si consideretur infidelitas ex parte renisus, quatenus fidei scilicet reluctatur, sic hæreticorum infidelitas est omnium grauissima, Deinde Iudæorum; & postremò Paganorum: quia hæretici repugnant fidei magis sibi cognitæ, & cuius professionẽ faciunt, cuiusque Religionem se recipere dicunt, vnde maiorem inferunt fidei Christianæ iniuriam, quàm Iudæi aut Pagani. Si verò consideretur infidelitas ex magnitudine & multitudine materiæ quæ reijcitur, sic grauissima est Paganismus: Deinde Iudaismus, postremo hæresis: quia Pagani negant omnia diuinitus reuelata: Iudæus autem non omnia, sed ea tantùm quæ peculiariter ad fidem Christianam noui Testamenti pertinent: Hæretici autem nec hæc omnia, sed quædam duntaxat, ex illis negant. 19

Notandũ autem, ex sententiã D. Tho. priorem grauitatem præponderari posteriori, quantum ad culpam: ac propterea hæresim esse pessimam, quia nimirum veritas fidei magis hæreticis innotuit, quàm alijs infidelibus, & diuina authoritas euidentius illis est proposita: quare censetur maior illius esse contemptus, quando nolunt acquiescere Quamuis enim Iudæi & Pagani plures veritates fidei reijciãt, tamẽ ratione istius contemptus magis voluntarij, & ex quâdam peruicatia profecti qui in hæreticis dominantur, superat hæresis in malitiã reliquas infidelitatis species. Ad quod etiam accedit, ordinariè coniunctã esse 20

esse hæresi Apostasiam à fide: communiter enim hæretici prius veram fidem tenuerunt: vnde veritatem susceptam semel, & cognitam deseruerunt: Ita vt de illis dicatur 2. Petri 2. *Facta sunt eis posteriora deteriora prioribus: melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem, retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est, sancto mandato.* Quod etiam Apostasiæ peccatum D. Paulus exaggerat ad Heb. 6. *Impossibile enim est eos* (inquit) *qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti,* &c. *Et prolapsi sunt, rursus renouari ad pænitentiam,* &c.

21 Idem etiam docet August. lib. 21. de Ciuit. cap. 25. Peior vtique est desertio fidei, inquit, & ex desertore oppugnator fidei effectus, quam ille, qui non deseruit quam nunquã tenuit. Similiter D. Chrys. hom. 50. ad populum Antiochenum dicit, hæreticũ Ethnicis & infidelibus peiorem esse. Et ita quidem ordinariè res sese habet. Si tamen Iudaismo etiam coniuncta foret Apostasia à fide Christi, erit grauior huiusmodi infidelitas ipsâ hæresi: & si quis à Christianismo deficiat ad Paganismũ, erit huius infidelitas omnium grauissima. Pariter quoque dicendum erit, si contingat quod omnibus æqualiter fides sit annuntiata & proposita; & quidam remaneant in Paganismo, quidam suscipiant Iudaismum, & alij amplectantur hæresim: quia quo plura expressè negantur quæ ad fidem pertinent, eo cæteris paribus, peccatum infidelitatis est grauius.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm cum infidelibus sit publicè disputandum?

22 CONCLVSIO Prima: Disputatio cum hæreticis ordinariè inutilis est, & periculosa: vnde vitanda erit, nisi aliunde periculum sufficienter caueatur, & compensetur. Probari potest primò ex Scripturis: 2. ad Timoth. 2. *Noli contendere verbis* (*ad nihil enim vtile est*) *nisi ad subuersionem audientium.* Vbi manifestè Apostolus docet periculum & inutilitatem disputationis cum hæreticis. Ad Titum 3. iubet idem Apostolus, hæreticum hominem deuitari, non post disputationes; sed post vnam aut alteram correptionem. Idem docent antiqui Patres; Irenæus lib. 3. cap. 2. Tertull. lib. de Præscript. cap. 15. Isidorus epistola ad Claudium Ducem. Gelasius Papa in Commonitorio ad Faustum: & Vincentius Lyrenensis in libello suo contra hæreses.

Probari etiam potest tertiò rationibus: 23
Vnam ponit D. August. lib. 13. contra Faustum cap. 12. Non enim disputare amant hæretici, inquit, sed quoquomodo superare impudentissimâ peruicaciâ, vt congregent quæ non pepererunt. Non itaque veritatis inquirendæ gratiâ disputationes mouent, sed vincendi causa, & seducendi corda simplicium Catholicorum, quod indicat August. quando dicit; Vt congregent, quæ non pepererunt. Vnde fit quod, quomodocumq; veritas remonstretur, nunquã acquiescere velint. Altera ratio sumitur ex Tertul. loco iam citato; quia Scripturas obtendunt, inquit, & hàc suâ audacia statim quosdam mouent: In ipso autem congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt.

Tertia, quia indignum est cum illis agere de Scripturis, earumque sensu, qui illas solas quas volunt, & quomodo volunt, recipiunt: vti enim ipsi de Ecclesiâ scissi sunt, ita vnius capituli sententiam scindunt, vt monet rectè Cyp. lib. de Vnitate Ecclesiæ.

Denique, quia experientiâ satis constat, eiusmodi publicas disputationes cum hæreticis vix vnquam fœlicem habere successum aut fructum: quâ de re licet videre Nycephorum lib. 9. Historiæ cap. 12. Driedonem de Sacra Scriptura lib. 2. cap. 3. & Ruardum Oratione 5. quodlibeticâ.

CONCLVSIO Secunda: Non tamen sunt eiusmodi disputationes cũ hæreticis & fidei aduersarijs simpliciter illicitæ: vnde & aliquando loco & tempori possunt consultò à Catholicis suscipi certis concurrentibus ac seruatis conditionibus. 24

Probatur exemplis S S. ac inprimis Christi Domini, qui cum Pharisæis disputauit Ioannis 8. & alibi. Deinde Sancti Stephani Act. cap. 6. & 7. S. Pauli cum Iudæis & Græcis Act. 9. vnde etiam ad Titum cap. 1. inter reliquas qualitates requirit in Episcopo: vt sit potens exhortari, & eos qui contradicunt arguere: D. Aug. quoque frequentiùs cum hæreticis disputauit. Similiter in Concilijs sæpe fuerunt longissimæ disputationes cum hæreticis habitæ.

Quod verò ad conditiones requisitas attinet, solent huiusmodi à Doctoribus assignari: Prima, quod adsit quædam necessitas, aut spes magna fructus notabilis, puta quod alioquin periclitetur causa fidei apud multos pusillos & quasi vacillantes, iam ab hæreticis sollicitatos, nisi quispiam contra insultationes, aut prouocationes hæreticorum suscipiat negotium fidei defendendum: vel quod affulgeat spes reducendi seductos: quæ potest existimari 25

subesse, quando magis ex quadam simplicitate aut insufficienti instructione, quàm ex malitiâ vel superbiâ quâ intellectum in fidei obsequium nolunt captiuare, à religione recesserint: Æquum enim est, quod tum viri ad hoc idonei rationes & fundamenta fidei promant, quàm fieri potest clariùs & efficaciùs, & argumenta aduersariorum refellant, ne indiscreto silentio, vt loquitur D. Gregorius, fidem videantur prodere: quia locum tunc habere videtur, quod scribit Apostolus 2. ad Timoth. 2. *Seruum Domini non oportet litigare, &c. Sed cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati.* Propter ipsos tamen contumaces, & præsertim Coripheos, vel Hæresiarchas, qui etiam agnitam veritatem solent esse parati oppugnare, non est operæ pretium, neque consultum, suscipere aliquam disputationem.

26 Secunda Conditio sit, vt huiusmodi disputationes non fiant coram rudioribus, qui nihil de hæresi, & hæreticorum argumentis audiuerunt, nec ab illis ad hæresim sunt sollicitati, aut in scrupulos missi. Fundamentum huius conditionis peti potest ex secunda ratione primæ conclusionis, quam ex Tertull. adduximus.

27 Tertia est, quod Catholicus nunquam disputare possit, reuocando aliquem fidei articulum apud se in dubiũ. Ratio est manifesta, quia qui deliberatè de fidei articulis dubitat, eo ipso efficitur infidelis, vt antè diximus.

28 Quarta, quod disputationem suscipiens debeat esse sufficienter idoneus, & solidè instructus: neque satis hic fuerit, quod paris eruditionis sit cum aduersarijs; sed debet esse multo maioris: quia facilius est obijcere, & argumenta mouere, quàm plenè & dilucidè soluere, præsertim in materijs fidei, quæ captum rationis naturalis excedunt, & sæpe rationi naturali secundum nostrum intelligendi modum apparent aduersari.

29 Quinta est, quod non possit esse persona Laica quæ disputationem suscipiat, etsi alioquin sufficienter docta esset. Patet ex Capitulo, Quicumque: de Hæreticis in 6. Inhibemus, inquit Canon, ne cuicumque Laicæ personę liceat publicè, vel priuatim de fide Catholicâ disputare; qui verò contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. Vbi malè glossa per personam Laicam vult intelligi virum illitteratum: quare passim à Doctoribus hæc explicatio reijcitur; sed per personam Laicam intelligendus est omnis ille, qui non est Clericus. Neque tantũ prohibetur tali disputatio cum hæreticis, sed simpliciter disputatio de fide Catholicâ.

Excipiunt tamen hîc DD. aliquos casus quibus dicunt etiam Laicis esse licitum de fide disputare: vt refert Malderus ad hunc articulum. Primus ponitur, si disputatio non instituatur ad persuadendum illi cum quo agitur, sed tantùm exercitij gratia fiat: vt si quis Laicus propter exercitium conferat quæstiones fidei cum aliquo Doctore: ista enim disputatio est tantùm quasi materialis. Sic restringit dictum capitulum Caietanus. 30

Secundus est, quando occurrente necessitate, aut spe magnæ vtilitatis iuxta primam conditionem supra positam, deesset Clericus qualificatus, & adesset Laicus sufficiēter instructus & idoneus, quòd tum non censeatur huic prohibitum, sed possit pro honore Dei, & salute proximorum suscipere fidei defensionem contra obstrepentes hæreticos: quia, inquiunt DD. non semper secundum verba legis agendum est; sed etiam mens & intentio legislatoris inspicienda sunt, qui non censetur hic in tali rerum statu voluisse impedire Laicũ ab hoc bono officio præstando.

Tertium casum ponunt; quando in aliquibus locis contraria consuetudine est Lex Ecclesiastica abrogata. Quẽadmodũ videtur esse in multis locis, vbi hæreses multum grassantur & quasi prædominantur, vt hic notat à Valentia. Vnde in talibus prouincijs si aliud nihil obsit, poterit etiam Laicus fidei suæ partes agere, quia res quasi ad statum naturę rediuit, perinde ac si nulla lex positiua in contrarium fuisset posita. Quam præscriptionem iuuat ac promouet, quod excommunicatio Canonis non sit latæ sententiæ, sed à iudice ferenda: sic enim fit quod ex Superiorum dissimulatione facilius consuetudo firmetur. Hæc tamen intelligenda sunt, non de aliquâ disputatione publicâ, quæ ex condicto constituatur: (hoc enim consuetudo non obtinuit) sed de communibus & familiaribus conferentijs & disputationibus, quales fieri solent in vijs, curribus, & in mensis.

Sexta & vlt. Conditio est, vt in disputatione cum hæreticis à contentione, conuicijs, iactantijs abstineatur; sed cum omni modestiâ, & charitate agatur, & argumẽtorum vi ac sententiarum pondere premantur aduersarij, cum quâdam accommodatione ad captum auditorum, qui fuerint præsentes. Hanc indicat Apostolus seruandam 2. ad Timoth. 2: 1. ad Cor. 11: & ad Titum. cap. 3. Idem docent Nazians. Oratione de modestiâ seruandâ in disputatione, & Greg. in Pastorali: parte 2. cap. 4. 31

ARTIC.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Infideles compellendi sint ad fidem?

32 CONCLVSIO Prima: Infideles qui fidem nunquam susceperunt, etiam subditi Principibus Christianis, non possunt ad fidem compelli, multo minus illi, qui Christianis subditi non sunt. Videtur esse contra Scotum in 4. dist. 4. qu. 9: & Gabr. ibidem qu. 2. dub. 1. Sed conclusio est communis aliorum: D. Thomæ hic: Richard. in 4. dist. 6. art. 3: Halensis part. 4. qu. 18. membro 1: Bonauent. in 4. dist. 4. art. 2. qu. 1: Durandi & Palud. eâdem dist: Fr. à Victoria relectione 5: à Castro lib. 2. de Hæreticorũ punitione c. 14: à Soto in 4. dist. 5. art. 1. Malderi hic & aliorũ.

33 Et Probatur Primò ex Scripturis: Matt. 10: & Lucæ 10. Mittens Christus Apostolos ad prædicandum Euangeliũ præscripsit formam, quâ vti deberent, quæ ab omni violentiâ & coactione longè abest: iubet enim, vt primò pacem omnibus apprecentur: Secundò, vt prædicent illis regnũ Dei: Tertiò, vt curent infirmos, & alias virtutes adhibeant ad fidem persuadendũ: Quartò, vt non ferant pecuniam, neq; baculum, quibus terrorem possent incutere. Quintò, iubet vt sint veluti oues in medio luporum: prudentes quidem sicut serpentes, sed simplices sicut columbæ: Sextò, si recepti non fuerint, iubet illos exire, & non se vindicare; sed quidem excutere puluerem de pedibus in testimonium illis, & sic Deo vindictam relinquere. Hinc Lucæ 9. Cum Samaritani noluissent Dominum recipere, & Ioannes & Iacobus vellent eos punire, & facere ignem de cælo descendere super illos, reprehensi sunt à Domino, *Nescitis*, inquit, *cuius spiritus estis: filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Marc. vlt. quando Apostoli mittuntur, vt prædicent omnibus Euangelium, non alius relinquitur eis terror adhibendus, quàm quòd qui non crediderit, condemnabitur; ergò &c. & Apostolus 1. ad Cor. 5. aperte significat se potestatem non habere in infideles. *Quid mihi* (inquit) *de ijs qui foris sunt iudicare? nonne de ijs qui intus sunt vos iudicatis. Nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit.*

34 Probatur Secundò ex Concil. Tol. 4. cap. 55. vbi Sancta Synodus præcipit, nemini deinceps ad credendum esse vim inferendã: Cui enim, inquit, vult Deus miseretur, & quem vult indurat: non inuiti sed volentes saluandi sunt, vt integra sit forma iustitiæ: quod etiam refertur Capitulo de Iudæis dist. 45.

Probatur Tertiò ex Patribus: D. Amb. lib. 7. in Lucam ad illa verba: *Dedi vobis potestatem*, &c. Eos, inquit, misit ad seminandam fidem, qui non cogerent, sed docerent, nec vim potestatis exercerent, sed doctrinam humilitatis attollerent: Aug. epistola 48. ad Vincentium: Serm. 6. de verbis Domini, & lib. 2. contra epistolas Gaudentij cap. 17. idem docet. Vbi etiam illud Luc. 14. *Compelle intrare*, dicit, non intelligendum de gentibus quę fidem non susceperunt, sed de Hęreticis & de Schismaticis, qui fidem aliquando sunt professi: consentit & Chrysostomus hom. 34. in Matth. 35

Sed opponet aliquis: D. Greg. hom. 36. intelligit locum illum Lucæ citatum de Iudæis & gentibus esse dictum. 36

Respondetur, verum quidem id esse: sed Gregor. per compulsionem non eam intelligit, quę minis & tormentis corporalibus fit, sed quæ suasione ac prędicatione oportunis, importunis, miraculis & alijs virtutibus fit: Sicuti Luc. 24. Discipuli euntes in Emaus dicuntur coëgisse Dominum, vt cum illis remaneret. Vnde idẽ Greg. lib. 2. epist. 52. scribit: Egregius Prędicator dicit: Argue, obsecra, increpa cum omni patientia & doctrina: noua autem & inaudita est ista prædicatio, quę verberibus exigit fidem.

Sed iterum. Opponet aliquis: Concil. Tol. suprà citatum mandat, nemini deinceps ad credendum vim esse inferendam, vt ex eo allegatum fuit: ergo videtur prius licuisse, & tantummodo Ecclesiæ constitutione esse prohibitum. Confirmatur, quia ibidem laudat zelum religiosissimi Principis Sisebuthi, qui Iudæos sibi subiectos ad fidem & baptismum compulisset, quæ prius non susceperant. 37

Respondetur Neg. Conseq. quia Conc. dicit, quod nemini deinceps liceat &c. non quòd prius licuerit, sed quia Princeps ille Sisebuthus de facto iam prius compulerat, quod Conc. improbat, & declarat in posterum nullo modo faciendum. Ad Confirmationem respondetur, Conc. quidem commendare ac laudare feruorem & zelum istius Principis, quem habebat ad Catholicam & Christianam religionem promouendam: nihilominus quia vsus erat zelo isto non secundum scientiam, idcirco reprehendere factum illius, & statuere vel potius declarare deinceps non sic esse cum infidelibus agendum, quantumcumque Principes Christiani bonum zelum habeant.

Obseruandum tamen est, posse Princi- 38
pes Chri-

pes Chriſtianos cohibere infideles ſuos ſubditos ab Idololatriâ externâ, & à blaſphemijs contra Deum vel Chriſtianã religionem: non autem poſſe compeſcere alios externos extra regnũ ſuum ab Idololatriâ, & multo minus poſſe illis propter Idololatriam bellum inferre: vt contra à Caſtro rectè docet hic Mald. cũ Molina de Iuſtitia & Iure Tract. 2. diſp. 106. ſi tamen in ſuis ſacrificijs innocentes occiderent ac immolarent, tũ poſſe pro eorũ defenſione à Chriſtianis Principibus bellum ſuſcipi, ſi aliter à nece innocentum abſtinere nollent.

39 Ratio autem Concluſionis aſſignari poteſt, quia cum fides & religio Chriſtiana ſit omnino ſupernaturalis ac diuina, non conueniebat quod homines inuiti ad eam compellerentur, qui ſuâ voluntate nunquã eius Sacramenta ſuſcepiſſent, vel eam eſſet profeſſi; ſed magis, vt ſuaui prædicatione, quę fiat in oſtenſione ſpiritus & virtutis, ſicut fuit Apoſt. 1. ad Cor. 2. allicerētur ad ſpõtaneè religionem amplectendã, quę niſi ex animo teneatur & colatur, nihil prodeſt. Hinc quamuis potuiſſet Chriſtus Eccleſiæ dare poteſtatem infideles etiam vi & armis compellendi ad religionem ſuam, tamen ita noluit: vnde & ipſe doctrinam ſuam mundo prædicaturus, non venit cum externâ potentiâ & viribus, ſed ſummâ manſuetudine & humilitate, voluitque omnem terrorem humanum à perſuaſione doctrinæ ſuæ multùm abeſſe.

40 Conclvsio *Secunda:* Infideles compelli poſſunt ad fidei prædicationem in ſuis locis admittendam, & ſi eam impediant, poſſunt etiam armis cogi, vt ab impedimento ceſſent. Eſt D. Thomæ hoc loco; & communis aliorum. Probatur primò, quia Eccleſia ius & poteſtatem habet prædicandi Euangelium vbique terrarum. Patet Matth. vlt. *Docete omnes gentes:* & Marc. vlt. *Prædicate Euangeliũ omni creaturæ.* Nõ poſſunt igitur Principes infideles hoc Eccleſiæ ius impedire, quod illi diuinitus eſt conceſſum, imo præceptum, vt vbique prædicent, non obſtantibus legibus vel edictis infidelium in contrarium. Quando ergo de facto impediunt, iniuriam faciunt Eccleſiæ, eiuſque prædicatoribus, à quâ iniuriã vt ceſſent, poſſunt proinde compelli non ſecus, quàm vt ab alijs iniurijs in bonis corporalibus, aut temporalibus Reipublicæ Chriſtianæ inferendis ſuperſedeant, ac ceſſent.

41 Sed obſeruandum hic eſt, ius & poteſtatem hanc prædicandi Euangelium, non conuenire omnibus, ſed ſolùm legitimis & ordinarijs Eccleſiæ Paſtoribus, ac illis qui à Paſtoribus legitimè miſſi ſunt, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Vnde patet neminem in Eccleſiâ prædicare poſſe, niſi à legittimâ poteſtate fuerit miſſus: quæ quidem poteſtas à Chriſto primitùs conceſſa eſt Petro & Apoſtolis: ac deinde Romano Pontifici ſucceſſori Petri, & Epiſcopis; ſed tamen hi, quia limitatam habent iuriſdictionem, non poſſunt mittere extra ſuam Diœceſim, niſi ex conceſſione Rom. Pontificis, cuius eſt mittere in vniuerſum orbem, & ad omnes infideles: Petro enim peculiariter, eiuſque ſucceſſoribus dictum eſt à Chriſto, *Duc in altum.*

Vnde ad illum ex officio pertinet cura propagandi Eccleſiam, & infideles conuertendi ad fidem, ac proinde mittendi prædicatores per vniuerſum mundum: Et quamuis poſſet Chriſtus extraordinariè aliquem mittere per ſe, ſicut olim miſit Prophetas, tamen id nunquam fecit in nouo Teſtamento, ſed omnes voluit ab ordinarijs Paſtoribus Eccleſiæ ad munus prædicandi Euangeliũ mitti, & deſtinari, quo pacto omnes qui poſt Apoſtolos, gentes ad fidem vocarunt, miſſi fuerunt: vt ex hiſtorijs Eccleſiaſticis ſufficienter cõſtat. 42

Quæret aliquis: vtrũ eiuſmodi infideles poſſunt etiã cogi, vt prędicationi Euangelij interſint, prędicatores audiãt? Reſpõdetur: generaliter omnes cogi non poſſe: docet tamẽ Banneſius hic: dub. 4. concl. 4. eos qui Principi Chriſtiano ſunt ſubiecti, poſſe ab eo compelli, vt ſemel ſaltẽ Euangelium audiant, quod rationi ſatis videtur conſentaneum; quia illa auditio nullũ poteſt dici eis inferre grauamen, & è contra poteſt eis cauſare maximum bonum, & æternam ſalutem. Quare nec à ratione videtur alienum, quod etiam aliquoties certis in anno temporibus cogerentur Cõcioni Chriſtianæ intereſſe, ſub pænis ſaltem moderatis. Quando autem eſſent alterius nationis, & ex gratiâ Principum Chriſtianorum admiſſi ad ibi habitandum, tum nihil obſtat quo minùs poſſent tales etiam ſub pæna exilij, vel potius dimiſſionis ex Prouinciâ, vrgeri ad Chriſtianas Conciones aliquando audiendas, prout quidam Chriſtiani Principes aliquando cum Iudæis, in ſuis terris commorantibus, egerunt. Sic quoque licebit imponere iuſta aliqua tributa talibus, ſub quibus admittuntur, & facere ſpem remiſſionis alicuius, ſi ad Conciones Catholicas accedant, & magis, ſi fidem ſuſcipiant. Sic Paulus III. & alij Pontifices Iudæos ad fidem prouocarunt, quæ vel ideo iuſta & licita ſunt, quia ne alijs ſint ſcandalo, poſſent ex regno dimitti, vel certis Prouinciæ terminis conſtringi. 43

Conclv-

44 Conclvsio Tertia: Possunt hæretici & omnes Apostatę, qui fidem Christi aliquandò susceperunt & professi sunt, aç postmodùm ad Hæresim aut Iudaismũ aut Paganismum declinarunt, ad Catholicam fidem compelli pœnis etiam corporalibus: Est D. Thomæ hic & omnino certa. Diuus quidem August. aliquando fuit in aliâ opinione, sed postmodùm mutauit: vt patet ex epistola 48. l. 2. contra epistolas Petiliani c. 92. & alijs eius libris contra Donatistas, in quibus ex professo varijs locis nostram conclusionem docet.

45 Probatur autem Primò: Quia Canones & Concilia ad fidei Christianæ obseruantiam decernunt cogendos etiam illos, qui metu aut necessitate adacti baptismũ susceperunt, & qui in infantiâ baptizati sunt, licet nunquam actu proprio fidem Catholicam sint professi; ergo multo magis omnes alij fidei desertores, ad eam compelli poterunt. De his videre licet Capitulum Contra Christianos, de Hæreticis, in 6. Capitulum Maiores, de Baptismo: Capitulum, de Iudæis: dist. 45. desumptum ex Conc. Toletano, quod tractans de Iudæis ad baptismum coactis per Sysebuthum Regem decernit hunc in modum: Oportet vt fidem etiam, quam vi vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides quam susceperunt, contemptibilis habeatur. Denique Conc. Trid. Sess. 7. Can. 14. sic definit: Si quis dixerit huiusmodi paruulos baptizatos cum adoleuerint, interrogandos esse, an ratum habere velint quod Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt: & vbi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec aliâ interim pœnâ ad Christianam fidem cogendos, nisi vt ab Eucharistię, aliorumq; Sacramentorum perceptione arceantur donec recipiscant: Anathema sit; ergò &c.

46 Probatur Tertiò ratione, quia per fidei professionem ac susceptionẽ baptismi incorporati sunt Ecclesiæ, ac se obligarunt ad religionem Catholicam obseruandam: ergo possunt à superioribus suis compelli, vt obligationi suę satisfaciãt, & si eam non seruent, puniri. Confirmatur primò: quia rationi consentaneum est, vt Magistratus Reip. habeat potestatem subditos suos continendi in illa vnitate, in quâ semel ritè se obligarunt: nam eiusmodi mutatione, ac diuisione seu schismate perturbatur plurimum status Ecclesiæ, & cuiuscumq; Reip. Confirmari Secundò potest ex illo ad Rom. cap. 13. *Si malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit:* possunt igitur etiam pœnis & vindictis coërceri fideles, ne ad hæresim, aut aliam infidelitatem dilabantur: neque enim minus inter malefactores sunt reputandi, quàm olim Iudæi qui ad Idololatriam deficiebant, vel Pseudoprophetæ, aut Blasphemi: qui in antiquâ lege omnes iussi fuerunt occidi: quandoquidem non minus isti quam hi, omnia sacra conuitijs proscindant, & prophanent.

Sed contra obijci potest primò: Fides debet esse libera; ergo nunquam potest quis ad fidẽ compelli, etsi prius aliquando eam susceperit. Confirmatur, quia inde grauissima incommoda videntur sequi: qui enim compulsi religionem Catholicã colunt, rarò interius verè sunt conuersi: vnde Sacramentis etiam iniuriam faciunt, indignè ea participando. Accedit frequenter maius odium internum contra religionem, ad quam quis vi compellitur, maiorque ab eâ animi alienatio & auersio. Hinc Ioan. 6. vbi quidam discipuli à Christo recedebant, non legitur quòd eos ad manendum secum compulerit. 47

Respõdetur: Debet fides esse libera antequam quis eam acceptauit, aut professus sit, ac priusquàm Ecclesiæ sit incorporatus: verùm postquàm semel fidem quispiã suscepit non debet vlterius esse libera: sed quisq; ad seruandum ad quod se obligauit, vt diximus, compelli potest merito ac iure: vt patet in alijs pluribus, quæ antequam suscipiantur libera sunt, vt in religione, in votis, in militiâ, in matrimonio, quæ tamẽ postquam suscepta sunt, seruari debent: nec libera relinquitur potestas ab illis recedendi.

Ad primam confirmationem respondetur, etsi ex eiusmodi compulsione aliquãdo sequantur incommoda aliqua, tamẽ ex libertate oppositâ sequutura multo plura; atq; adeo Ecclesiæ statum futurum inconstantissimum, ac maximè perturbandum, si cuilibet foret ista libertas: vnde æquum non est quod propter quorundam malitiã, Ecclesia, & Catholici Principes à iure suo discedant, & minis ac terroribus subditos suos in vnitate fidei & religionis non contineant, & Hæreticos ac Apostatas pœnis condignis non puniant: præsertim quia huiusmodi disciplinæ seuerioris exercitio & multi conseruantur in fide sanâ, qui alioqui proniores ex se ad eos, quorum sermo sicut cancer serpit, audiendos, fortassis inficerentur; & multi lapsi quoque seriò redeunt, & conuertuntur, vt docet August. diuersis locis contra Donatistas, & probat experientia. 48

Ad secundam confirmationem respondetur, noluisse tunc Dominum vti coactiuâ potestate, quia dum Ecclesia noui Testamenti 49

stamenti primum formaretur, non expediebat fortassis eiusmodi compulsione vti. Deinde qui recedebant, forsitan nondum erant baptizati: sed sequebantur & audiebant Christum, quemadmodum nunc Cathecumeni qui adhærent & audiunt Ecclesiam, quos nec modo Ecclesia compelleret, aut compellere potest ad fidem, vel baptismum, si priusquam baptizentur ad infidelitatem aliquam declinent, vt probari potest ex Conc. Trid. Sess. 14. cap. 2. vbi dicit: quod Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non priùs in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Vnde neque adolescens parentibus Christianis natus, sed qui patriam potestatem iam euasit, si Iudaismum aut Paganismum profiteatur, compelli potest ad baptismum, vel Christianam religionem. Ad præcauenda tamen aliorum scandala posset ac fortassis deberet in exilium relegari, aut moderato carcere contineri, vel sic aliquâ notâ affici, vt alijs tollatur occasio scandali & ruinæ.

50 Obijcitur Secundò: Nemini ius acquiritur per iniuriam: ergo si quis coactus baptismum suscipiat, non acquiret Ecclesia iurisdictionem in talem, ac proinde si deficiat, compelli non potest.

Respondetur non semper verum esse, ius nullum acquiri vbi aliqua iniuria intercedit. Vnde fit quod diuersi contractus per metum, aut dolum extorti teneant, donec saltem rescindantur. Quandoquidem ergo talis verè consenserit in baptismi susceptionem, quamuis metu adactus, fueritque illi baptismus absolutè voluntarius, licet secundum quid inuoluntarius, hinc Ecclesię fuit ius in illum acquisitum: quod ipsa dimittere non debet, tum ad fidei vnitatem conseruandam, tum etiam quia sanctitas Sacramenti id postulat, ne per infidelitatē polluatur, vt notat Conc. Tolet. 4. cuius verba supra recitauimus.

Obijcitur denique: Hæresis ad mentem pertinet; ergò non est contra illam pugnandum gladio materiali, sed supernaturali.

Respondetur, si hæresis solâ mente cōtineatur, & nullo modo se foras prodat, tum id posse locum habere: sed quando se foras effundit in sui propagationem & in aliorum scandalum, & diuisionem Ecclesiæ quæ semper nata sunt sequi ex hæresis externa ostensione aut professione, tunc etiam gladio materiali esse elimandam. Verùm plura dicenda erunt infrà quæst. sequenti art. 3.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm cum infidelibus possit Communicari?

NOtandum est, duplici de causa posse contingere, quod nobis communicatio cum alijs sit vitanda, scilicet vel ad cautelam nostram, vel in correptionem & pœnam aliorum. 51

Respondetur ex priori capite, non ex posteriori vitandos esse Iudæos, & Paganos: idque ab infirmioribus Christianis, non autem à firmis, quibus ex communicatione cum istis nō imminet peruersionis periculū, sicuti infirmis imminere posset.

Respondetur ex posteriori autem capite vitandos esse ab omnibus hæreticos & apostatas: ex vtroque autem capite vitandos esse ab infirmioribus. Ita hic D. Thomas: & indicat hæc Apostolus in suis epistolis, vt 2. ad Thessalon. c. 3. *Ne commisceamini cum illo, vt confundatur.* & 1. ad Timoth. 1. *Quos tradidi Sathanæ vt discant non blasphemare:* & 1. ad Cor. 5. *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit:* vnde Cypr. lib. 1. epistola 3. ad Cornelium sic scribit. Declinent fortiter & euitent fratres nostri dilectissimi verba & colloquia eorum, quorum sermo vt cancer serpit, & paulò infrà: nulla cum illis commercia, nulla cum illis colloquia misceantur: simus ab illis tam separati, quàm illi sunt ab Ecclesia profugi. D. Anthonius quoque vt in vita eius refert S. Athanasius sollicitè monebat suos, vt cum omni diligentiâ vitarent hæreticorum, ac præsertim tunc temporis Arrianorum colloquia & congressum.

Obseruandum, etsi olim aliquando hæretici ex lege positiua fuerint ab omnibus vitandi, vt ex multis Capitulis constat, modò tamen eos etiam notorios vitandos non esse quasi per legem positiuam (nisi sint specialiter à legitimo iudice denuntiati) idque propter moderationem adhibitam per Conc. Constantiense: quam in hoc sensu docet Suarez de Censuris Disp. 9. Sect. 2. vsu & praxi receptam esse ac recipiendam. Quamuis autem per legem positiuam modo vitandi non sint, tamen adhuc sicuti diximus vitandi sunt, quatenus ius veluti naturale illud requirit: vnde inprimis propter priorem causam vitandi sunt ab infirmioribus Catholicis, vt diximus: deinde etiam à firmioribus ex capite posteriori, ex præcepto nimirum charitatis, si obseruetur eiusmodi vitationem cum ipsorum erubescentia, esse necessariam aut fore

fore vtilem ad eorum correctionem & cõuersionem: idq; præsertim quando nõ habet quis necessitatẽ cum illis conuersandi.

52 Notandum Secundò, diuersi esse generis & ordinis ea in quibus homines inter se communicant: posse autem inprimis reuocari ad duo generalia capita, quod scilicet alia spectent ad religionem: alia ad ciuilem aut politicam conuersationem. In ijs autẽ quæ religionis ipsorum sunt, nunquam fidelibus licere cũ infidelibus quibuscumque propriè communicare, siue ita eorum sacris interesse, vt horum efficiamur participes, vel censeamur ea probare, vt patet ex Apostolo 1. ad Cor. 8. & 10. ac alijs locis: quia sic essemus sacrilegiorum quę committunt, simul cum ipsis rei. Similiter neque permittendum esse, vt sacris mysterijs nostræ religionis intersint, quãdo prohiberi possunt, vel vt Sacramẽta participẽt, ne Sancta dẽtur canibus. Hinc & Ordo ianitorũ est institutus in Ecclesia, vt infideles & indigni repellãtur ab ingressu.

53 Quas itaque D. Tho. admittit aliquibus communicationes cum infidelibus, accipiendę sunt de communicationibus in rebus ciuilibus; non in rebus religionis, nisi quatenus forsitan instruerentur in doctrinâ religionis & fidei nostræ.

Notandum prçterea, multos esse casus in quibus per leges positiuas prohibita est communicatio cum Iudæis: neque enim licet Christiano cum illis habitare, comedere, balneum intrare; nec eis tanquam medicis vti, aut ab illis medicinam accipere. Non licet quoque eorum filios domi retinere, aut azymis ipsorum vesci, neque vllo seruitutis vinculo illis subesse, vt refert Malderus ad hunc articulum ex Capitulo Nullus, & Capitulo Omnes 28. quæst. 1.

54 Sed hic quæritur, Vtrùm Christianis liceat vendere Iudęis, vel gentilibus res illas, quibus solent in cultu suæ infidelitatis abuti? Respondetur cum Syluestro V. Infidelitas, & cum alijs pluribus Doctoribus, inprimis si res sint tales quæ communiter alium vsum non habent, quàm vt in sacrilego exercitio infidelitatis adhibeantur: v.g. Idolum, aut vestes sacrificijs duntaxat subseruientes, non licebit eiusmodi res infidelibus vendere: quando autẽ sunt tales quę communiter habent alium vsum, vt est v.g. agnus, poterunt fideles vendere eiusmodi, si habeant iustam vendendi causam, puta aliquam necessitatem, vel notabilem vtilitatem, quatenus ratio victus cõparandi in talibus rebus vendendis consistit, etiamsi probabiliter existimaret quod infideles rebus istis abusuris sint.

55 Rationem reddit Syluester: quia meæ necessitati, vel vtilitati consulere possum, etsi video ex malitiâ alterius, inde sequuturum aliquod peccatum: modò ego immediatè non cooperer illi, quod illicitum est: & in meâ actione præscindam ab eo quod aliter malè operaturus est. Quod si verò non haberet fidelis iustam aliquam rationem illis vendendi, non liceret tum vendere: quia moraliter censeretur velle & approbare peccatum ipsorum.

ARTICVLVS X.

Vtrùm infideles poßint habere Prælationẽ seu Dominium super fideles?

SVpponendum hic inprimis, infideles simpliciter esse capaces dominij, tam despotici, quàm politici. 56

Despoticum est, quale dominus habet in mancipium. Politicum est, quale Princeps habet in subditos. Ratio est, quia capacitas huius dominij fundatur in naturâ rationali, vt colligitur ex illo Gen. c. 1. *Faciamus hominem ad imaginẽ, &c. Et præsit piscibus maris*, &c. ipsum verò dominium fundatur proximè in iure gentium: Neutro autem scilicet, neque naturâ, neque iure gentium infidelis per infidelitatem priuatur, vt per se constat: neque enim infidelitas tollit intellectum: nec aufert per se quod iure gentium est institutum, aut concessum. His positis sit

CONCLVSIO Prima: Infideles iure diuino non priuantur dominio prius obtento despotico, vel politico, hoc ipso quo ipsorum subditi, vel serui sunt, aut fiunt Christiani. Videtur esse cõtra Hostiensem in Capitulum: Quod super his: de voto & voti redemptione, & alios quosdam Canonistas, qui existimant infideles esse incapaces dominij super Christianos. Verùm Conclusio est D. Thomę hic cum suis Cõmentatoribus: & Scholast. in 4. dist. 24. & 25. Et docet D. August. in Psal. 125. vbi dicit, Christum non tam ex seruis suos facere liberos, quàm ex malis seruis seruos facere bonos. 57

Constat ex Scripturis Matth. 22. Interrogantibus Iudæis: Vtrum liceat censum dare Cæsari, an non? respondet Christus viso numismate, eiusque imagine, & superscriptione: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari:* cũ tamen Iudæi tunc essent fideles, & Cęsar infidelis. Ad Rõ. 13 *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, &c. ubi euidenter Apostolus docet, Principibus qui tunc Ethnici erãt, à Christianis necessariò esse obtemperandũ: & ad id in conscientiâ obligari: 58

obligari: quia potestas eorum à Deo est, & ipsi sunt Dei ministri ad laudem bonorū,& vindictam malorū: vt ibidem tradit Apostolus eoque nomine & ipsis tributa esse soluenda, idem indicat ad Colos. cap. 3. & ad Titum cap. 2. D. Petrus 1. suæ epistolę cap. 2. ita mandat: *Subditi igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, quasi præcellenti: siue Ducibus tanquam ab eo missis.*

59 Quod etiam antiqui Patres passim inculcarunt cum ipsâ Scriptura: eoque diligentiùs, ne Principes & Reges infideles contrarium opinantes forent difficiliores ad prædicationem Euangelij siue suscipiendam, siue admittendam: & ne quoque serui aut subditi sub prætextu Euangelicæ libertatis, in quam vocati erant, forent dominis suis immorigeri, aut rebelles: atque ita, eis essent scandalo, & ponerent fidei prædicationi, eiusque fructui impedimentum. Vnde ab eo specialiter dehortatur loco citato Petrus: *Quasi liberi* (inquit) *& non quasi velamen habentes malitiæ libertatem: sed sicut serui Dei*, &c.

60 CONCLVSIO Secunda: Quando agitur de aliquo dominatu, vel prælatione conferenda de nouo, tunc nullo modo permitti debet, quod infidelis præficiatur fidelibus, scilicet quantum est ex parte fidelium & Christianorum Principum. Est quoque D. Tho. hîc & rationem reddit, quia hoc adferret fidei præiudicium, tum quia periculosum est subditis fidelibus, qui nisi magnæ sint virtutis poterunt ductu vel imperio sui Principis aut domini facilè mutari, & iterum ad perfidiam pertrahi, tum etiam, quia illi qui præsunt, solent informari & cognoscere defectus subditorum, vnde & illi, si infideles sint & grauiores aliquos defectus in Christianis obseruent, patientur scandalum, & in fidei ac religionis contemptum adducentur: vnde & Apostolus 1. ad Cor. 5. grauiter fideles reprehendit, quod iudicio contenderent apud infideles.

61 CONCLVSIO Tertia: Si qui infideles, principibus Christianis subiecti, habeant dominium in aliquem vel aliquos Christianos, possunt eo priuari. Est quoque D. Tho. hîc, & Ratio est, quia hoc ordinariè necessarium videtur ad conseruandam integritatem Christianæ religionis, & ad præcauendum eiusdem contemptum ac iniurias, & simul ad conseruandam vnitatem & concordiam in regno aut Rep. Christiana: possunt autem Christiani Principes, & per eos Ecclesia, disponere de rebus ac bonis subditorum, in quantum hoc ad conseruationem fidei & ad tranquillitatem Reip. putatur esse necessarium; ergò &c.

Hinc Imperatores Theodosius & Iustinianus statuerunt, non licere Iudæis, Paganis, aut Hæreticis Christianum & Catholicum seruum habere, quod si habeant, statim effici liberum. Vide legem De nobis Cod. de Episcopis & Clericis, & Legem, Hac valitura Cod. de Iudæis & Cœlicolis: idem contra Iudæos statuunt Canones, vt patet ex Capitulo vlt. de Iudæis, & Capitulo Fraternitatem dist. 54. Neque aliquid difficultatis hic potest esse quo ad hæreticos, qui eiusmodi priuationem, per modum pœnę, promeruerunt per suam Apostasiam, neque etiam quoad Iudæos, qui inter Christianos conuersantes, sunt quasi eorum serui, hactenus saltem, quod non tantùm ciuiliter subiecti sint; sed etiam seruiliter tributarij. Vnde Capitulo, etsi Iudæos, de Iudęis & Sarazenis dicitur, quod propriâ culpâ eos perpetuæ seruituti subiecerit, nusquam enim habent formatum regnū vel Remp. per se stantem; Hinc itaque, per modum tributi vel onerosæ conditionis, sub qua admittuntur in prouincijs Christianorum, potest ab illis omne dominium, vel iurisdictio, si quam in aliquos Christianos habeant, auferri. 62

De Paganis verò, qui in proprijs sedibus sub Principe Christiano habitant, posset res videri obscurior, sed tamen propter rationem in principio adductam, dubium non est, quin ab illis dominium istud auferri posset, quandoquidem & de alijs bonis priuatorum Resp. disponere potest, quando commune bonum id exigit. Prudenter tamen in istis & similibus attendendum est, vt scandala caueantur, ne forsitan dum bonum minus procurare intendimus, grauiora mala tam religionis, quam quietis publicæ, incurrantur. 63

CONCLVSIO Quarta: Infideles qui nullo modo subditi sunt Ecclesię aut principibus Christianis, quando non subest periculum subuersionis fidei ex ipsorum dominatu, non possunt priuari iurisdictione & dominio quod super fideles habent. 64

Probatur, quia Ecclesia & Christiani Principes directè non habent potestatem in tales, cum non sint eis subditi, vt supponimus, neque etiam indirectè, quandoquidem non subsit quoque periculum subuersionis fidei, puta non conantur subditos pertrahere ad infidelitatē aut alia peccata contra religionem, neque eos impediunt ab officijs religionis Christianæ; ergò &c. Confirmatur, quia Principes illi infideles iure gentium legitimam obtinent in hos, qui ad fidem conuertuntur, potestatem & ea non priuantur iure

diuino

diuino per istam conuersionem, vt diximus; ergò per Ecclesiam, aut Principes Christianos priuandi quoque non erunt, nisi in Ecclesiam siue religionem Christianam sint iniurij, impediẽdo eius exercitia, vel aliud periculum cum iusto fundamento ab eis religioni & fidelibus timeatur.

65 Huc accedit, quod circa illos infideles qui Ecclesiæ, aut eius membris seu Principibus temporalibus Christianis non subsunt, hactenus tali authoritate non fuerit Ecclesia vsa: vt etiam notat D. Tho. qui alioquin videtur in hoc inclinari, quòd de rigore Ecclesia possit quoque illos dominio priuare sepositis scandalis. Quod ex eo capite forsitan sustineri poterit, quia semper meritò videtur timendum, quod Domini infideles qui à fide permanent auersi & alieni, sint molesti & graues futuri fidelibus circa officia religionis, vt fidem eorum subuertant, & ad suas infidelitates retrahant. Hoc interim extra controuersiam est, infideles qui terras & prouincias Christianas occuparunt, priuari posse omni dominio & iurisdictione supra fideles, inprimis in pœnam ratione iniuriæ illatæ, ob quam tribunali Christianorum subiecti sunt: Deinde, in compensationem damnorum quæ intulerunt & ad recuperanda quæ iniquè possident. Hoc tamen ius directè pertinet ad Principes, à quibus prouinciæ sunt ablatæ: indirectè verò, ad Ecclesiam seu Pontificem.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm infidelium ritus sint tolerandi?

66 AD quæstionem hanc resoluendam pro principio & fundamento statuit D. Tho. aliquando quædam mala in humano genere, seu regimine eius esse permittenda aut toleranda, vel ne eueniant maiora mala, vel ne impediantur maiora bona: quod sic declarat, quia regimen humanum ex diuino deriuatur, illudque imitari debeat: permittit autem Deus, quãuis omnipotens & summè bonus, aliqua mala fieri in vniuerso, ne illis impeditis bona maiora tollantur, vel etiam peiora mala sequantur. Hinc deducit & concludit D. Tho. primò, quod licet infideles in suis ritibus celebrandis peccent, tamen Iudæi in eis tolerentur, & quidem rectè, quia ipsi obseruant ritus suos, in quibus olim præfigurabatur veritas fidei quam tenemus, vnde magnum hoc bonum Ecclesiæ prouenit, quod testimonium fidei habeamus ab aduersarijs & hostibus, per quos, quasi in figura nobis repræsentatur, quod credimus.

Et probari potest ex D. Greg. lib. 11. epistola 15. vbi vult Iudæis permitti, vt celebrent suas ferias & festiuitates: quod & refertur Capitulo, Qui sincera, dist. 45. D. August. quoque lib. 18. de Ciuit. cap. 46. docet, quod noluerit Deus Iudæos occidi, sed quaqua versum dispergi, prout prædixit Psalmista Psal. 58. vt Ecclesia, quæ vbique est, eos prophetiarum quæ de Christo sunt præmissę, haberet testes in omnibus gentibus: similia habet lib. 4. cap. vlt. & Theodoretus oratione 10. de Prouidentia. Debet tamẽ adhiberi modus, quando fieri potest, ne forsitan nimis frequenti ac solemni rituũ exercitio patiant scandala, & sint fidelibus offendiculo & in laqueum. Hinc rectè Sedes Apostolica statuit, ne Iudæis liceat plures habere Synagogas in vna ciuitate, aut nouas in pluribus locis ædificare, vel eas quæ sunt, extendere & ampliare: vt patet ex Capitulo Iudæi & Capitulo Consuluit Extra. de Iudæis. 67

Concludit D. Thomas secundò, quod Ethnicorum & Hæreticorum ritus non sint tolerandi, vtpote in quibus nihil est veritatis vel vtilitatis, quod in bonum Ecclesię possit deriuari: nisi tamen contingeret illud fore necessarium, quia alioquin grauiora mala sint obuentura, ad quę præcauenda & subterfugienda, possent etiam isti in suis ritibus tolerari. 68

ARTICVLVS XII.

Vtrùm pueri Iudæorum & aliorum infidelium sint inuitis parentibus baptizandi?

DE hoc articulo, quia in 3. Parte qu. 68. art. 10. ex professo solet difficultas ista examinari & explicari hinc nihil de eà hìc dicendum duximus. 69

QVÆSTIO XI.

De Hæresi.

In quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Hæresis sit infidelitatis species?

1 QVOD ad nomen Hæresis attinet. Notandum est, illud iuxta antiquos Patres ab electione dictum esse: Ita testatur D. Hier. in cap. 5. ad Gal. Isidorus lib. 8. Ethymologicarum rationum cap. 3. & Tertull. lib. de Præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 6. Hæreses, inquit, dictæ Græcâ voce ex interpretatione electionis, quâ quis siue ad instituendas, siue ad suscipiendas eas vtitur, & quidem secundũ nominis grammaticam significationem vocabulum est generale ad omnem electionem, quâ quis sibi quod lubet, deligit sequendum vel amplectendum, sed ex vsu Scriptorum Ecclesiasticorũ appropriatũ est electioni, quâ quis suo arbitratu deligit ex ijs, quæ ob diuinam authoritatem credenda sunt, quę ipse retineat & credat, & quæ reijciat. Hinc semper propemodum in malam partem capitur apud eiusmodi Scriptores, vnde Tertull. loco citato subiungit, De hęretico ideo & sibi damnatum dixit (scilicet Apostolus) quia & in quo damnatur, inquit, sibi eligit. & 1. ad Cor. 11. *Oportet hæreses esse*: & Act. 5. *Quæ est hæresis Saducæorum*: quo fit, vt D. Paulus non fuerit passus Christianam doctrinam vocari hæresim, cum enim Tertullus Orator quidam, Act. 24. dixisset, Paulum authorem hæreseos Nazaræorum (vt in Græco textu habetur, quamuis interpres noster vertat sectæ Nazarenorum) reiecit illud Paulus in sua responsione ita resumens, *Secundum sectam, quam*, inquit, *dicunt hæresim, sic deseruio Patri Deo meo*, &c. vbi inprimis vocabulũ, quod noster interpres hic vertit quoque sectam, & à Paulo admittitur, vel potius assumitur, non est Græcè nomen hæresis, sicuti priori loco; sed aliud, quod viam significat, estque magis accommodum quam latinè nomen sectæ, nam & hoc frequenter ponitur in vitio, & pro hæresi capitur. Quia tamen sectæ nomen magis, quam nomen hæresis extendi solet ad disciplinas, vt secta dicatur quædam certa & ab alijs distincta disciplinæ ratio & via, hinc versio interpretis reijcienda non est, quin & Tertull. & Cypr. illum, vt apparet, imitati religionem nostram interdum sectam appellarunt. Opponitur itaque hæresis, iuxta appropriationem dictam accepta, rationi fidei Catholicæ, nam vt scribit Isidorus ex Tertull. Nos nihil ex arbitrio nostro eligere debemus in rebus fidei: Apostolos enim Dei habemus authores, qui nec ipsi quidquam, quod ex arbitrio suo inducerent, elegerunt, sed acceptam à Christo doctrinã rationibus fideliter assignarunt. His præmissis de nomine

Conclusio Diui Thomæ est, quod hæresis sit infidelitatis species pertinens ad eos, qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt aut corruptè tenent. Constat satis ex dictis, & amplius ex modo dicendis constabit; hoc tantùm obseruandum hic erit, scilicet sicuti nomen fidei accipitur aliquando pro obiecto quod credimus, & aliàs pro actu seu habitu quo credimus, ita & nomen hæresis aliquando capi pro hæretica propositione, aliàs autem pro iudicio erroneo, quo quis tali propositioni adhæret, & iuxta posteriorem acceptionem, de eo esse sermonem. 2

ARTICVLVS II.

Vtrùm hæresis sit propriè circa ea quæ sunt fidei?

CONCLVSIO D. Thomæ est affirmatiua, rationem addit, quia sermo est de Hæresi, vt importat corruptionem fidei Christianæ: Si quis verò quascumque opiniones falsas, circa disciplinas vel res alias sibi sequendas deligat, præterquam quàm circa ea quæ fidei sunt, non pertinebunt opiniones illæ ad fidei Christianæ corruptionem; ergò &c. 3

Sed hic disputari solet quænam ad hęresim propriè dictam, prout de illa hic loquimur, requirantur?

Respon-

4 Reſpondetur, Inprimis ex parte intellectus requiritur error aliquis, ſine quo ipſa conſiſtere non poteſt, quique verſetur circa dogma fidei: Conſtat ex communi modo loquendi & apprehenſione omniũ, nemo enim hæreſim ponit aut apprehendit niſi in falſo dogmate, & quidem non in omni, ſed in eo quod circa res fidei verſatur.

5 Requiritur Secundò ex parte ſuppoſiti errantis, quod profiteatur Chriſtianiſmũ: niſi enim nominis Chriſtiani profeſſionem retineat, error eius contra dogma fidei, non dicetur hæreſis, ſed Apoſtaſia. Hinc Silueſter verbo, Hæreſis primò ad hæreticum requirit, vt adhuc teneat aliquem fidei articulũ de humanitate vel diuinitate Chriſti, & D. Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 15. hæreticos deſcribit eos, qui ſub vocabulo Chriſtiano reſiſtunt doctrinæ Chriſtianæ.

6 Tertiò requirunt DD. omnes antiqui & recentiores pertinaciam, vt error ſit hæreſis. Et probari poteſt ex Capitulo Dixit, 24. q. 3. vbi dicitur non eſſe hæreticos, qui hęreticã quam tenent opinionẽ, non pertinaciter defendunt. Idem colligi poteſt ex Clementina vnica de Summâ Trinitate vbi dicitur, eum fore cenſendum hæreticum, qui cum pertinaciâ negaret animam rationalem eſſe formam corporis. Docet idem Aug, epiſt. 162. Qui ſententiam ſuam, inquit, quamuis falſam, nulla tamen pertinaci animoſitate defendunt, non ſunt inter hæreticos deputandi, & lib. 18. de Ciuit. cap. 51. docet eos fieri hæreticos, qui prauum ſectantes, correpti reſiſtunt contumaciter, & nolunt mutare. Videre licet hac de re Capitulum, Qui in Eccleſia: 24. quæſt. 3. ſuprà citatis, & Clementinam Ex graui, de vſuris.

7 Sed contra id quod diximus, primo loco ad hæreſim requiri errorem, quædam objiciuntur: primò, quod dubius in fide ſit infidelis: vt habetur Capitulo 1. de Hæreticis, & docet D. Hier. in cap. 12. Abacuc; ſed qui dubitat, nondum laborat errore, neque enim à ſcopo aberrat qui iaculum nondum mittit, ſed ſuſpendit; ergo poteſt eſſe hæreſis abſque errore.

Reſpondetur N. C. inprimis quia dubitatio iſta, ſi ſit de particularibus materijs fidei, ſolet præſupponere errorem de generalibus & quaſi primis principijs fidei, quo v. g. iudicet Eccleſiæ iudiciũ in rebus fidei determinandis ac proponendis non eſſe certum ac infallibile, atque ita talis dubitans nõ eſt ſine omni errore in materiâ fidei: Deinde eſto quod nõ dubitet de primis illis & quaſi generalibus articulis, nihilominus dici poterit non eſſe abſque omni errore intellectus, quia licet circa veritatem obiecti, de quo dubitat, nondũ habeat errorem poſitiuum, tamen habet errorem de eius certitudine, quia iudicat veritatem eius non eſſe omnino certam, quæ certa eſt: definitur autem error ab D. Auguſtino Enchirid. cap. 17. quod ſit, Verum putare quod falſum eſt, falſumque quod verum eſt, vel certum habere pro incerto, incertum pro certo. Denique, quia hęreſis iuxta communem apprehenſionẽ videtur magis ſonare aliquid oppoſitum veritati fidei, quã certitudini eius duntaxat, ideo dici poteſt de tali dubitâte, quòd quidem infidelis ſit, ſed quod eius infidelitas nõ ſit perfecta hæreſis, ſed reductitiè ad eam pertinens, ſi in reliquis profeſſionẽ Chriſtianam teneat: quemadmodum reductitiè pertineret ad Iudaiſmum vel Paganiſmum, ſi de toto Chriſtianiſmo dubitaret, an nõ illi Iudaiſmus aut Paganiſmus ſit præferendus.

Objicitur Secundò, qui fide humanâ tantùm teneret ea dogmata Catholica, in quibus v. g. diſſentiunt Caluiniſtæ à nobis, eſſet potius Caluiniſta, quàm Catholicus, & tamen non haberet errorẽ in intellectu, qui non negat articulos fidei, ſed eos tenet & affirmat, quamuis non ex illo motiuo & cum tantâ firmitate quibus oportet; ergò &c. 8

Reſpondetur, hic iterum cõcurrit alius error, quatenus ſcilicet ille, cui articuli iſti præſupponuntur ſufficienter propoſiti, tãquam propter diuinam authoritatem credendi, non vult eos vt tales credere, ſed ſolum, quatenus humanis quibuſdam rationibus, vel coniecturis, aut ſignis trahitur & mouetur ad eis aſſentiendum: talis enim iudicat vel atteſtationem diuinæ authoritatis non eſſe infallibilem, vel dubiũ eſſe de eius atteſtatione, quam tamen Eccleſia proponit & approbat, atque ita ex his erroribus erit hæreticus; aut ſi ſpectetur eius humana credulitas tantum circa aliquos articulos, tunc defectus iſte fidei dici quoque poterit infidelitas & hæreſis inchoata, & reductitiè pertinens ad ſpeciem hæreſis, quatenus ſcilicet hæreſis completa dicit perfectam mentis adhæſionem, adeoque perfectum errorem, qui contrarietur fidei, vt modò diximus.

Objicitur Tertiò, ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis: vt ex D. Hier. refert Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 13. atqui inordinata verborum prolatio poteſt eſſe ſine errore in intellectu; ergò &c. 9

Reſpondetur Primò incertum eſſe, vtrũ ſentẽtia illa Hieronymi ſit: Secundò, quia tamen videtur communiter recepta, di-

cendum est cum D. Tho. quod ea hactenus sit vera & ita accipienda nimirum, quod verba inordinatè prolata, sint causa & occasio sæpius erroris aut hæresis, quãuis in illis hæresis per se non cõsistat: alioqui propriè loquendo potius dicendum est, eiusmodi sermonem malè sonare & sapere hæresim, quàm esse hæreticum. In foro interim exteriori de hæresi redditur suspectus, qui inordinatè in materijs fidei loquitur: præsumptio enim oritur ex talibus verbis de errore mentis, nemo enim existimandus est dixisse quod mente non
10 cogitauit. Circa alterum, quod tertio loco diximus ad hæresim esse requisitum

QVAERITVR, qualis debeat esse pertinacia, quæ errorem circa dogmata fidei constituat in ratione hæresis.

Diuersi diuersis modis rationem istius pertinaciæ explicant.

Respondeo autem & dico primò, non requiritur aliqua temporis mora ad pertinaciam istam saltem maior, quàm vt cum plenâ rationis aduertentiâ possit quis de re iudicare, & velle iudicio suo inhærere: neque enim actus hæresis longiorem requirit moram, qui hæreticum constituat, quam actus fidei, vt constituat fidelem: vnde non est per se necessarium, quod duret vsque ad secundam vel primam correptionem. Putat Bannes hæc esse contra Siluestrum verbo Hæresis primo; sed tantùm dicit Siluester, eum pro hæretico habendum esse, qui diu in errore latuit: non autem dicit, moram temporis esse necessariam: imò dicit non esse necessarium, quod scriptis aut verbis sit monitus.

11 Dico Secundo: Duo hæc requiruntur ad pertinaciam de qua sermo est, & ad eam sufficiunt: Vnum, quod erranti sufficienter oppositum fuerit declaratum esse dogma fidei, & vt tale ab Ecclesiâ haberi & credi. Alterum quod eo non obstante velit inhęrere opinioni suæ, & nolit acquiescere aut assentiri opposito. Colligitur ex D. Cyp. epistola 63. ad Iubaianum vbi sic scribit: Ignosci potest simpliciter erranti, post inspirationem vero & reuelationem factã, qui in eo quod errauerat, perseuerat sciens & prudens, sine veniâ ignorantiæ peccat: præsumptione enim & obstinatione quâdam nititur, cum ratione superetur.

Hinc inferri potest primò, eum non esse hæreticum, qui ex ignorantiâ in fide errat, modò paratus sit corrigi & aliter sentire melius instructus, etsi quoque fuerit illa ignorantia crassa, vt rectè contra Soto Canus ostendit lib. 12. de Locis cap. 9. ex D. Tho. in c. 3. ad Titum: talis enim ignorantia non excludit formale obiectum fidei, & cum illo errore ex tali ignorantiâ constitit voluntas parata obedire & credere, quidquid ab Ecclesiâ ei credendum proponitur.

Sed petes; Quid dicendum, si erret ex ignorantiâ affectatâ? Respondetur cum 12
distinctione, si errans affectet ignorare tantùm, vt liberiùs faciat opus quod aliàs secundum doctrinam fidei mortale peccatum est: v. g. si quis vt liberius & cum minori conscientiæ remorsu fornicari possit, affectet ignorare fornicationem esse peccatum mortale, eoque nomine negligat inquirere, non censebitur laborare errore pertinaci qui eum constituat hæreticum: talis enim non est perfectè incredulus aut infidelis, quia eligit ignorantiam magis ad hoc, vt veritatem quam fides docet, non aduertat, quàm vt eam non credat, quando cognouisset sic fidem docere: Imo ideo eligit non inquirere vel discere, quia crederet, si ei constaret: vnde minus suæ voluptati, aut saltē minus liberè possit indulgere. Similiter dicendum videtur si errans ex aliquo nimio affectu erga suam opinionem nolit ex doctoribus inquirere de Ecclesiæ doctrina, aut fidei dogmatibus, ne si ea intelligeret suæ opinioni esse contraria, deberet illam deserere, quia & hic non vult repugnare illi doctrinæ, de quâ ei constat quod ab Ecclesia, tanquam fidei dogma sit recepta: sed potius animo paratus est tunc acquiescere: non tamen idcirco negamus, quin errores isti ex eiusmodi affectatâ ignorantiâ sint peccata, etiam contra fidem; sed quod non videantur destruere fidei habitum infusum, & hæresim inducere ac ponere: quemadmodum omissio actus fidei, vbi & quando præceptum fidei obligat, est peccatum contra præceptum fidei, quo tamen fidei habitus non amittitur, nec efficitur quis infidelis, Si verò affectet ignorare dogma fidei ex animi alienatione à fide, quia v. g. statuit non credere quantumcumq; sciret aut intelligeret istud ab Ecclesiâ, vt fidei articulum proponi & teneri, erit sufficienter pertinax in errore fidei contrario, vt dicatur & sit hæreticus, quia absolutè incredulus est, dum non vult credere omnia, quæ tanquam à Deo reuelata, Ecclesia proponit credenda: propterea enim non vult de veritate opinioni suæ contrariâ edoceri aut informari.

Infertur Secundò ex dictis, Ad hæresim 13
constituendam non satis esse pertinaciam in errore, quâ quis reluctetur viris doctis, vel etiam proprio Episcopo contrarium sentientibus, quia non habent isti infallibilem authoritatem definiendi aut determinandi res fidei; si tamen hi, præsertim Pastores aut Episcopi, ostendant & declarent

rent opinionem illius aduersari dogmati fidei ab Ecclesia recepto aut definito, tunc pertinaciam incurreret, si errorem suum nollet corrigere: nisi fortassis aliquam haberet rationem existimandi, eos ignorare aut non tam probè scire, quam doctrinam Ecclesia, tanquam dogma fidei teneat aut definierit, & parato esset animo à sua opinione recedere, quando certius de doctrinâ & sensu Ecclesiæ constaret. Ex hactenus dictis colligi poterit, huiusmodi hæresis definitio, quod scilicet sit,

Hominis Christianismum profitentis error pertinax, contrarius dogmati fidei, de quo sufficienter ei constat, quod ab Ecclesia Catholica siue Romana, tanquam dogma fidei teneatur & credatur.

14 Petes, quid si aliquis existimet quippiā ab Ecclesiā Romanā definitum, tanquam articulum fidei, quod definitum non est, & interim pertinaciter teneret contrarium?

Respondetur, de illo dicendum quòd verè hæreticus sit, quamuis enim non habeat errorem fidei contrarium circa illud obiectum, quod putat se tenere contra definitionem Ecclesiæ, tamen pertinaciter errat in eo contra fidem, quod opinetur Ecclesiam in suis definitionibus errare posse.

15 Petes Secundo, quid si pertinaciter erret in aliquâ conclusione Theologicâ, ex quâ euidenter sequatur subuersio alicuius dogmatis fidei?

Respondetur, si is non neget dogma istud, sed potius ipsam consequētiā, quantumcumque euidentem, non erit dicendus hæreticus, sed laborare errore hæresi proximo: ratio patet ex dictis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm hæretici sint tolerandi?

CONCLVSIO est negatiua & certa. Sed Quæritur hic Primò.

Vtrùm propter hæresim possit quis affici extremo supplicio, seu puniri pœnâ mortis?

16 NEgarunt olim Donatistæ, vt patet ex August. epist. 50. Item lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 10. & lib. 2. contra epistolam Gaudentij cap. 17. & ex Opt. Mileuitano lib. 3. contra Parmenian. Idem negauit Ioan. Hus, vt patet ex art. eius 14. qui in Conc. Constant. ss. 15. refertur. Eiusdem opinionis fuit Lutherus cum multis suis discipulis. Sed omnino dicendum est, quod iustè & rectè Hæretici propter hæresim possint mortis supplicio puniri. Habetur hæc responsio tanquam de fide certa, propter consensum Ecclesiæ & omniū Doctorum, qui tanquam dogma fidei id tenent. D. Thomas hic ita scribit: Ex parte Ecclesiæ est misericordia, & ideo ad errantium conuersionem non statim condemnat, sed post primā & secundam correptionem, vt Apostolus docet, postmodum: si adhuc pertinax inueniatur, Ecclesia de eius conuersione non sperans, aliorum saluti prouidet, eum ab Ecclesiā separando per excommunicationem, & vlterius relinquit eum iudicio sæculari à mundo exterminandum per mortē: quod dicit eum ex parte suâ statim meruisse. Huc accedunt articuli Ioannis Hus & Lutheri condemnati respectiuè à Conc. Constansiensi & à Leone X. quibus contrarium asserebant.

Probatur Primò ex Scripturis: Deuteronomij c. 13. Propheta qui fictis somniorum visis ad cultum alienorum Deorum, populum sollicitat, iubetur à Domino occidi: & additur, *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, aut filius tuus, &c. Eamus & seruiamus Dijs alienis, &c. Lapidibus obrutus necabitur:* & si quam forsitan vrbem abominandus cultus inquinasset, *Statim percuties* (inquit Dominus) *habitatores vrbis illius in ore gladij.* Atqui hæretici adinstar Pseudoprophetarum talium, incautos fallunt & ab vnius Dei vero ac legitimo cultu ad suorum somniorum ac fictionum, opinionumque Idola colenda seducunt corda innocentum. Rectè enim Lyrenensis docet in veteri Testamento, hæreticorum dogmata allegorico sermone, per Deos alienos designari, eo quod sic ab eis propria ipsorum adinuenta colantur, sicuti apud gentiles in obseruantia sunt Dij ipsorum: vnde non secus ac antiqui Pseudoprophetæ, etiam hi dicunt: Eamus, sequamurque nouos, recentesque Deos, quos ignorarunt patres tui, nec coluerunt eos. 17

Neque tantùm contra illos qui professione à Deo vero recedebant, sed etiam contra illos qui vnius veri Dei cultu retento, aliter in religionem peccabant, apud antiquos lex mortis lata fuit, Deuteronomij capite 18. *Propheta autem qui arrogantiâ deprauatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi vt diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur.* An non proprijssimè in hæreticos quadrat, quod arrogantiâ deprauati loquantur in nomine Christi ea quæ non præcepit eis Dominus vt dicerent: attendunt enim ipsi spiritibus errorum & doctrinis dæmoniorū, & alios in errores mittunt, currentes tanquā Euangelistæ cum à nemine tamen mittantur. 18

Accedit & alia lex Deuteronomij c. 17. 19

Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore administrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malum de medio Israël: Non tantùm itaq; ob Idololatriam, vel ob falsam doctrinā sub Dei dicentis nomine obtrusā: sed etiā ob superbiā, quâ summi Sacerdotis imperio quisnoluerit obedire, mortis supplicio decernitur puniendus: Hæretici autem non tantùm non sunt obedientes summo Sacerdoti, cui à Christo dictū est *Pasce agnos meos, pasce oues meas:* sed extremè etiam in illum sunt contumeliosi inuidiæ ac odij facibus accensi: ac consequēter in eius dominum ac magistrum Christum, iniurij ac blasphemi: Dixit enim ille: *Qui vos spernit, me spernit.*

20 Quis ergo non iudicet ęquissimas & diuinis eloquijs consentaneas esse leges & iudicia: quibus corrupti illi homines, ac alios corrumpentes, & veritati semper, sicuti Moysi Iamnes & Mambres, resistentes, decernuntur è Republ. tollendi. Vide cap. 32. Exodi, 22. Iosue; & c. 1. l. 3. Regum, vbi sunt exempla sumpti supplicij de Idololatris & seductoribus ac inobedientibus.

21 Neque est, quod quisquam respondeat seueritatem illam legum ad antiqua pertinuisse tempora, quæ fuerunt timoris & seruitutis: ad tempus autem noui Testamenti non esse extendendam, quod est gratiæ, libertatis, & adoptionis filiorum, non est quod quis hæc respondeat (inquam) cum Diuo Augustino locis citatis, vbi etiam allegat decretum Nabuchodonosoris contra blasphemos in Deū Sydrach, Misach & Abdenego, disertè doceat (quamuis ipse in hac re semper fuerit mitissimus) ista decreta & facta antiquorum typum gessisse disciplinæ & seueritatis, quæ multo post in Ecclesiâ obseruaretur per pios & religiososReges seruiētes Domino in timore contra sacrilegos & deprauatores doctrinæ Christianæ. Neque hæc tantùm dixit D. August. sed & Apostolus Petrus Act. c. 5. summæ seueritatis edidit iudicium & exemplum contra Ananiam & Saphyram, quos in instanti morte percussit, quia mentiti fuerant ausi Spiritui Sancto: D. Paulus quoque falsum Prophetam qui proconsulem à fide impedire conabatur, nec desinebat subuertere vias Domini, percussit cęcitate.

22 Huc accedit, quod hæretici in Scripturis dicuntur fures & latrones, qui veniunt, vt occidant & mactent, Ioannis cap. 10. Item lupi rapaces non parcentes gregi Matth. 7. & Act 20. atqui fures digni sunt morte, lupi quoque pro gregis incolumnitate quærūtur ad internecionem: 2. ad Timoth. 2. comparatur hæresis cancro qui totum corpus inficit & corrumpit, nisi maturè ferro exscindatur; ergò &c.

Probatur Secundò Testimonijs antiquorum: Tertull. in principio Scorpiaci: Ad officium, inquit, hæreticos compelli, non illici, dignum est: duritia vincenda est, non suadenda: quod allegatis Scripturis & legibus ex veteri Testamento comprobat: & post multa: Nec putem disputandum, an dignè Deus prohibeat nomen & honorem suum mendacio addici? an dignè quos ab errore superstitionis auulserit, rursus in Ægyptum regredi nolit? an dignè à se non patiatur absistere, quos sibi adlegit. Ita nec illud expectabit retractari à nobis, an obseruari voluerit disciplinam, quam voluit instituere? & an meritò vlciscatur desertam, quam voluit obseruatam, quando frustra instituisset, si obseruari eam noluisset, & frustra obseruari voluisset, si vindicare (inquit) noluisset. 23
Hieron. in epistolam ad Gal. ad cap. 5. in illa verba, *Modicum fermentum totam massam corrumpit:* Igitur, inquit, scintilla statim vt apparuerit, exstinguenda est, & fermentum à massæ viciniā amouendum: secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal à stabulis ouium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arrius vna scyntilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est: & Epistola ad Tesiphontem cap. 2. de Priscilliano scribit, eum sæculi gladio, & totius orbis authoritate damnatum. Vbi approbat supplicium mortis, quo eum Maximus Imperator affecerat, vt idē testatur lib. de Viris illustribus. Quod obseruandum est, ne quis forsitan respondeat Imperatorem illum fuisse Tyrannum, & iniustè alterum oppressisse: quamuis enim Tyrannus fuerit, tamen in eô facto non egit tyrannicè: vt ex verbis D. Hieronymi patet. Optatus Myleuit. lib. 2. contra Parmenianum, laudat factum Macharij præfecti, quod Donaristas aliquot enecasset, & comparat cum facto Moysis, Phinees, & Eliæ, qui Idololatras & desertores legis occiderunt. D. August. epistola 50. comparat hæreticos cum Absalone sine cuius interitu, non potuerit domus Dauid habere pacem. Tract. 11. in Ioannem docet meritò in Donatistas illud statui posse, quod Nabuchodonosor statuit cōtra istos, qui blasphemassent Deum trium puerorum. Similia habet lib. 1. contra Parmenianum cap. 8. & lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 83. & 86. vbi inter cætera habet, Etsi Donatistæ nondum supplicio capitali coërcentur ab Imperatoribus, non id fa-

id factum fuisse, quod eo non fuerint digni, sed vt supplicio Cain paricidæ, vitâ ipsâ carnifice diu torquerentur.

24 Obseruandum tamen, D. Augustinum aliquando censuisse hęreticos nullâ vi externâ esse ad fidem compellēdos, sed verbis & disputatione cum illis agendum & pugnandum, & sic reducendos: postmodùm verò illam suam opinionem ex proposito retractasse, vt constat ex lib. 2. Retract. cap. 5. & alijs locis iam citatis.

Notandum prętere a, etsi D. Augustinus posterius censerit & docuerit, vt iam dictum est, hęreticos externis pænis, vt mulctis pecuniarijs, exilijs ac etiam corporalibus castigationibus esse coërcendos, tamen videatur istius semper fuisse consilij, vt contra eos ad pænam mortis non procederetur, licet eos absolutè judicaret & censeret morte dignos; idque verisimiliter ideò magis, quia eius temporibus nondum videntur leges Imperatorię de hæreticis morte puniendis exstitisse: vt ex verbis eius citatis potest colligi. Sed postmodum Marcianus & Valentinianus legem mortis contra hæreticos sanxerunt: vt patet lege, Quicumque, Cod. de Hæreticis: vbi jubentur occidi, & qui eorum conciones adeunt certum auri pondus persoluere. D. Leo epistola 93. ad Turribiū Episcopum, Meritò igitur, inquit, patres nostri sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda (scilicet Priscillianistarum) prorupit, per totum orbem instanter egere, vt impius furor ab vniuersâ Ecclesiâ pelleretur, quando etiam mundi Principes, ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, vt authorem eius ac plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent. Vbi videtur respicere D. Leo ad factum Maximi Imperatoris, quod ex sancto Hieronymo retulimus, Et profuit, inquit, diu ista districtio Ecclesiasticę lenitati, quæ etsi sacerdotali cōtenta judicio, cruentas refugit vltiones, seueris tamen Christianorum Principum constitutionibus adiuuatur, dum ad spirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium: quibus & leges mortis contra hæreticos, à Principibus latas, Pontifex approbat, & earum vtilitatem declarat. D. Gregor. epist. 72. lib. 1. ad Gennadium Patricium, & Exarchum Africæ, Persoluentes, inquit, præterea paternæ charitatis affectum, Dominum petimus, qui brachium vestrum ad comprimendos hostes (fidei scilicet & religionis siue Hæreticos, de quibus iam egerat) forte efficiat, & mentem vestram zelo fidei velut mucronem gladij vibrantis exacuat. Et lib. 4. Dialog. cap. 4. refert hęreticum quendā Basilium dictum, à populo Catholico exustum. Idem docuit S. Bern. serm. 60. & 68. in Cantica.

Probatur Tertiò, quia Ecclesia suis cōstitutionibus sanciuit, quatenus hæretici qui conuerti nolunt, brachio sæculari tradantur puniēdi: vt patet ex Capit. Ad abolendum, & Capitulo Excommunicamus primo, de hæreticis desumpto ex Concil. Lateran. & ex Capitulo, Super eo, de hęreticis in 6. ergò &c. 25

Probatur denique ratione D. Thomæ, quia multo grauiùs est corrumpere fidem, per quam est vita animæ, quàm falsare pecuniam, per quàm vitę temporali subuenitur. Vnde si falsarij pecunię, vel alij malefactores statim per Principes sęculares iustè traduntur morti; multo magis hæretici, inquit, statim ex quo de Hęresi conuincuntur, possunt non solum excommunicari, sed etiam iustè occidi. Ad cuius confirmationem faciunt, quę ex Scripturis sunt allegata, scilicet quod fures, latrones, & lupi rapaces habeantur, qui ouile & oues Christi dissipent, diripiant, mactent. 26

Sed contra obijcitur Primò: Christus Matth. 18. docet, eos qui Ecclesiam non audiunt, habendos esse vt Ethnicos & Publicanos: & Apostolus monet, hæreticum hominem post vnam atque alteram correptionem esse vitandum, non autem docet hæreticos esse occidendos; ergo non possunt propter hæresim supplicio mortis affici. Confirmatur Primò, quia in primitiua Ecclesia per multa tempora non alia fuit in eos statuta aut exercita pœna quam excommunicationis; postmodum verò statutę quidem fuerunt aliquę pœnę externæ, vt exilij aut quędam mulctę pecuniarię, sicuti contra Donatistas, vt habet Aug. epistola 50. Non autem mortis ad seruandam, inquit, etiam contra indignos, Christianam mansuetudinem. 27

Confirmatur Secundò: Quia de hęresi cognoscere pertinet ad Ecclesiasticum Iudicē; non licet autem Ecclesiasticis aliquē occidere, imo neque tradere sęculari potestati occidendum, quin potius allaborare debent ne à Iudicibus sęcularibus occidatur: hoc enim Canones ordinarunt, & docent exempla SS. PP. D. August. epistola 127. Donatum proconsulem Africę rogat, ne occidat hæreticos, vt sint quos pæniteat errasse; ergò &c.

Respondetur, Christus instruit vnumquemque Christianum particularem, quomodo debeat se gerere erga proximum & fratrem; non autem sæcularem Iudicem, quomodo se debeat habere & officium exercere circa malefactores, aut perturbatores Ec- 28

res Ecclesiæ & Reip. Christianæ; & proinde istud hic ad rem non facit. Apostolus verò instruit Episcopum, cuius est deuitare, & deuitandos declarare hæreticos, postquam correptioni non acquiescunt. Vtrùm verò, quando salus reliqui ouilis plus postulater, scilicet vt etiam potestatis sæcularis gladius famuletur Ecclesiæ, sint tunc tradendi vel relinquendi iudicio sæculari, sicut non affirmat Apostolus, ita neque illud negat.

29 Ad Primam Confirmationem Respondetur, Quod non semper quidem voluerit Ecclesia pænam mortis infligi hæreticis, sed hoc ideo accidisse; vel quia non potuit, quando Imperatores adhuc Ethnici erant, & nondum Ecclesiæ seruiebant, sed magis in eam sæuiebant: vnde plus infestabatur tunc à persecutoribus gentilibus, quam perturbaretur à Christi nomen profitentibus hæreticis: & proinde magis erat sollicita de persecutionibus prudenter declinandis, aut fortiter sustinendis, quàm de hæreticis per pænas corporales coërcendis: vel quia ab initio clementiæ studiosa, mitioribus pænis voluit eorum correctionem tentare. Quod charitatis officium commendandum fuit, sicut D. Aug. commendat, sed hactenus, vt charitas indulgeat, quando peruicacia & malitia nondum satis forte innotuerant, nec grauiora pericula cõstaret imminere, non quod indulgentiã hanc tanquã de iure debitam possit sibi hæresis arrogare. Vnde & Aug. dicit eos indignos: quin neq; concedi debet, quando experientia satis constiterit Ecclesiam lenitate & mansuetudine parum aut nihil apud eos proficere, & è contra obseruatur eorum tollerantiam in periculum & exitium aliorum vergere. Quę autem vlterius adijciuntur, magis pro nobis faciunt: quamuis enim ab initio Ecclesię nõ essent vllæ pœnę corporales, aut externę contra hæreticos, tamen quando Imperatores sceptra sua subdiderũt Ecclesię, & inceperunt illi famulari, tum per eos pœnæ fuerunt in hęreticos, (quamuis non statim mortis) decretæ: vt exilij tempore Constantini, sicut patet ex Concil. Nycæno, & mulcta decem librarum auri per Theodosium: vt habet August. epistola 50. Cuiusmodi constitutiones, cum constet ab Ecclesia non fuisse improbatas, sed plurimum commendatas, non debet quoque censeri iniquum, quod postmodum pluribus exsurgentibus & grassantibus hęresiarchis & hęresibus, fuerint in eos etiã pœnæ seueriores & corporales decretæ: quod factum similiter ab Episcopis & Pastoribus illorum temporum fuisse approbatum, ex sanctis Patribus supra citatis & Canonibus satis constat.

Ad secundam confirmationem, Etsi pro Ecclesię & Ecclesiasticorum lenitate, quę eis maximè conuenit, inhibitum sit illis proferre iudicium sanguinis, imò eis commendatum, vt apud sęculares Iudices potius sanguinis pœnã deprecentur, quando scilicet id ad ædificationem, & non in destructionem putatur cedere: nihilominus tamen, quando pertinacia malefactorum, & publica salus, & fidelium quies aliud requirunt, tum meritò Ecclesiastici ab eiusmodi intercessione apud Iudices, pro auertenda hęreticorum, sicut & aliorum malefactorũ nece, desistere possunt: imò eos potius monere cõuenit in genere, officio debito desint, quamuis interim praxis adhuc obtineat, vt quando Iudex Ecclesiasticus malefactorẽ tradit brachio sęculari, petat vt pro meritis puniat, citra tamen pœnam sanguinis. 30

Obijcitur Secundò, Matth. 13. iubet Paterfamilias suis ministris, vt sinant zizania crescere vsque ad messem, id est, vsque ad diem iudicij; ergo non debent hęretici interfici. Confirmatur ex D. Chrys. hom. 47. in Matth. vbi scribit, Non prohibet Christus hæreticorum concilia dissipari, sed prohibet interficere & trucidare. Euthymius ad cit. verba sic scribit, Iubet ergo, vt vtriusque generis homines (id est, orthodoxi & hæretici) sinant viuere crescentes; ergò &c. 31

Respondetur Neg. Conseq. ac inprimis quidem per zizania non intelliguntur hęretici soli, sed filij nequam siue mali omnes: & proinde, si argumentum aliquid pro hæreticis concluderet, etiam pariter concluderet pro omnibus malis, quod scilicet nullus malefactor eradicari & occidi posset, quod manifestè est contra Apostolum ad Rom. 13. Sensus igitur & scopus parabolæ est, quod semper futuri sint permixti mali cum bonis in agro Dominico, quodque proinde ministri patrisfamilias siue propositi Ecclesiæ, non debeant hoc existimare, quod aliquando omnes mali simul sint ab Ecclesiâ colligendi & tollendi, ne forsitan aliqui id existimantes, zelo indiscreto velint & laborent omnes malos è medio tollere, & cum non sit facile omnes discernere à bonis, iudicio forte indiscretiori, etiam bonos cum malis euellant vel auferant: cum quo tamen bene consistit, quod sceleratiores & notorij malefactores, qui Rempubl. aut Ecclesiam perturbant, & quietem ac salutem aliorũ impediunt, è medio tollantur. Quęadmodum licet nõ omnia zizania sint simul eradicanda & colligenda propter periculum euellendi simul triticum, tamen quæ 32

magis superexcrescunt & à quibus periculum imminet, ne triticum ab illis obruatur aut suffocetur, omnino eradicanda sunt.

33 Quod ad D. Chrysost. & Euthymium attinet, putant quidam eos à contraria sententia excusari non posse, inter quos est Bannesius, qui tamen ea ex parte illos excusat, quod tunc temporis hæc doctrina nondum in Ecclesia esset satis eliquidata. Alij verò dicunt, eos ad sensum parabolæ fuisse loquutos, quod scilicet hæretici nō sint interficiendi cum periculo eradicandi triticum: v. g. quando tam potentes sunt, aut tam potentes habent defensores, quod periculum sit, ne se opponentes opprimant Catholicos, aut fiant magna & quasi generalia schismata, prout etiam D. August. parabolam illam exponit quibusdam in locis. Vide dicta plura in tract. de Ecclesia, dub. 1. de verbis huius parabolæ. QVAERITVR Secundò:

Quas pœnas, siue Ecclesiasticas, siue Ciuiles de Iure incurrant hæretici ipso facto?

34 Respondetur: Imprimis hæretici sunt ipso facto excommunicati. Ita communiter sentiunt omnes: & constat ex Capitulo, Ad abolendam, titulo de hæreticis, & ex bulla Cœnæ Domini; quod tamen intellige de hæreticis qui actu externo hæresim produnt, quia sicuti de actibus merè internis non iudicat Ecclesia, ita nec eos punit: vt communis habet Doctorum sententia, & latiùs explicari solet in 1. 2. in tract. de Legibus. Deinde intellige quoque de illis, qui in animo verè sunt hæretici, & non tantùm ex metu, vel ex aliqua vanitate foris se hæreticos ostendunt, vt passim D D. tenent: & ratio est, quia tales reuera hæretici non sunt, vnde non debent censeri subiacere, in foro saltem interno, pœnis, quia hæ restringendæ sunt. Vide Syluestrum verbo, Apostasia parte 2. Nauar. cap. 27. num. 56.

35 Sed contra Obijciet aliquis, mandat Apostolus ad Titum cap. 3 vt post vnam & secundam correptionem vitetur hæreticus; ergò non ipso facto est excommunicatus.

Respondetur Negand. Conseq. imprimis, quia lex excommunicationis ipso facto incurrendæ, tunc nondum à Iure erat lata sicuti modò: quod verò ad correptiones attinet, quarum Apostolus facit mentionem, sufficienter illæ supplentur & fiunt per legem ipsam, quæ omnes quasi continuò monet, vt ab hac hæresi sibi caueant: quando enim de lege prohibente sub pœna ipso facto incurrēda alicui constat, & tamen opus facit, non minùs conuincitur contumax, quàm qui monitioni Ecclesiæ non vult acquiescere.

Secundò incurrunt hæretici ipso facto irregularitatem, ita vt non possint ad Ordines promoueri, quamuis hæresim abiurent antequam cum ijs dispensetur. Patet ex Canone, Saluberrimum: 1. quæst. 7. vbi dicitur, eis adempta omnis spes promotionis, etsi redeant: si tamen prius fuerint in aliquo Ordine etiam sacro, poterunt in illo ministrare post pœnitentiam & absolutionem ab excommunicatione iuxta Syluestrum, V. Irregularitas, qu. 7. & summam Angelicam ibidem: neque enim inuenitur manifestus textus in contrarium, & fauet satis Canon Saluberrimum citatus, quia ibi dicitur, quatenus in beneficio magno, si habeant, in quo inueniuntur ordine permaneant. 36

Incurrunt etiam inhabilitatem ad beneficium, & officium publicum, vt expressè habetur Can. Quicumque, de hæreticis in 6. Nec tantùm ipsi, sed etiam filij eorum vsque ad secundam generationem, vt ibidem dicitur. Quod tamen Can. Statutum eodem titulo restringit ad lineam paternam, ita videlicet quod per hanc deriuetur pœna ad nepotes, non sic per maternam: quam restrictionem sic quasi exemplariter explicat Glossa: si v. g. Titius fuerit hæreticus, & habuerit filium & filiam: vterque ipsorum subiacebit prohibitioni, scilicet quod nec ad beneficium Ecclesiasticum nec ad officium publicum possit admitti, & si ille filius habeat filium, ipse nepos ex illo subiacebit prohibitioni: sed si filia habeat filium, hic nepos ex illâ non subiacet: item si mulier aliqua est hæretica, & habeat filios, soli filij includantur hac prohibitione; sed nepotes ex filijs, inquit, non. Declarat preterea idem Capitulum: Statutum, quod alterum Capitulum, Quicumque, sit intelligendum de parentibus qui in hæresi perseuerant, aut in eâ decesserunt, non autem de illis qui hæresi reiecta ad Ecclesiam redierunt. 37

Quartò priuantur hæretici Ecclesiasticâ sepulturâ, non tantùm, quia excommunicati (sic enim nōn nisi nominatim denuntiati secludendi modo ab illa forent; sicut aliàs excommunicati modo vitandi non sunt, sed etiam particulari constitutione Alexandri Papæ, quæ habetur citato Capitulo Quicumque, de Hæreticis in 6. vbi etiā excōmunicantur qui eos scienter præsūpserint Ecclesiasticę sepulturę tradere. 38

Quintò hęretici manifesti amittunt ipso facto omnem iurisdictionem supernaturalem, non sic occulti, quamdiu scilicet eorū hæresis latet, & se pro Catholicis gerunt. 39

Prior

Prior pars est contra Caietanum Opusculo de authoritate Papæ & Concilij cap. 19. & contra Soto in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 2. Sed docent eam à Castro lib. 2. de Iustâ hæreticorũ punitione cap. 23. Driedo lib. 4. de Script. & Eccles. dogmatibus cap. 2. parte 2. vbi sententiâ 7. dicit, In ijs qui ab Ecclesia discesserunt, quales sunt hæretici & schismatici, nullam remanere potestatem spiritualem super eos, qui sunt in Ecclesiâ. Melchior Canus lib. 4. De locis cap. vlt. ad 12. & significat D. Thom. infrà qu. 39. art. 3. in Corp. dicens, quod potestas iurisdictionalis non immobiliter adhæreat sicuti Sacramentalis seu Ordinis: Vnde, inquit, in hæreticis & schismaticis non manet, &

40 Probatur ex Capit. Audiuimus: 24. q. 1. vbi dicitur, quod Episcopus hæreticus non possit excommunicare: & in fine sic concludit, Hæc autem quæ de hæreticis atque schismaticis excommunicatis dicta sunt, videlicet quod ligandi vel soluendi potestatem non habeant, multorum authoritatibus comprobatur; ait enim Leo Papa &c. Idem satis manifestè tradunt alij Patres: Cypr. lib. 1. epist. 6. & lib. 4. epist. 2. Ambr. lib. De pænitentiâ cap. 2. August. Enchyridij cap. 65. Et Opt. Meliu. lib. 2. contra Parmenianum, docet hæreticos non habere claues, quibus aperire & soluere possint: retinent tamẽ potestatem Ordinis, siue sacramentalem, vt loquitur D. Thomas loco citato, si eam prius habuerint: quia hæc fundatur in charactere, qui immobiliter adhæret: vnde validè, quamuis illicitè, possunt conficere & conferre Sacramenta, quæ iurisdictionem non requirunt: quin & probabile est, posse eos quoque validè facere Sacramentalia: vt consecrare Ecclesias, altaria, vasa sacra, sicut docet Glossa ad Can. Ecclesijs de cons. dist. 1. Neque obstat quòd ibi mandetur, quatenus Ecclesiæ consecratæ ab illis qui fidem Trinitatis non tenuerant, iterum consecrentur: idcirco enim hoc mandatur, quia non putantur seruasse debitam formam ab Ecclesiâ institutam & præscriptam. Contrariũ tamen à Castro lib. 2. de iusta hæreticorum punitione cap. 22. tenet.

41 Pars posterior tenetur à Caiet. Soto locis suprà citatis, Cano de locis lib. 4. cap. vlt. & à plerisque alijs. Ratio est, quia hæretici occulti sunt adhuc suo modo de Ecclesiâ, & sufficienter ei cohærent, vt à superioribus regantur, quia nondum ab obedientiâ se subtrahunt; ac etiam regant inferiores. Accedit quod plurimæ perturbationes in Ecclesia nascerentur, si omnes eorum actus à iurisdictione dependentes essent inualidi & nulli.

Sexto, hæreticorum bona hoc ipso quo exteriùs hæresim quocumque modo produnt, sunt fisco addicta. Ita communiter tradunt DD. omnes, & habetur expressè Capitulo Cum secundum leges, de Hæreticis in 6. Bona hæreticorum, inquit Pontifex, qui grauius, horribilius, & detestabilius delinquunt, quam prædicti (scilicet quorum bona secundum leges ciuiles confiscantur, de quibus iam antè erat loquutus) ipso iure, de fratrum nostrorum cõsilio, decernimus cõfiscata. Non potest tamen dominus temporalis exequutionem huius confiscationis facere, aut bona hæretici occupare, priusquam per Ecclesiasticam personam habentem ad id potestatem fuerit super crimine illo sentẽtia promulgata, vt dicitur ibidem: multò minus tenebitur reus bona sua ad fiscũ ante eiusmodi sententiam deferre: imò neque post illam sententiam: vt contra Soto lib. 1. de Iustitia & Iure quæst. 6. artic. 6. docent Nau. cap. 27. num. 66. & Couarr. in epitome decretalium part. 2. cap. 6. § 8. Estque hæc communior sententia, quia ad iudicem spectat exequi has pœnas, non ad reum, vt Capitulum citatum indicat, imò videtur hoc omnino supponere. 42

Accedit quod humanæ infirmitatis vires videatur superare, quod reus in se ipsũ tam graues pœnas exequatur; quare ad id obligatus censeri non debet, nisi quando legislatores disertissimè exprimunt & declarant eam esse suam mentem & intentionem, vt in quibusdam Canonibus & constitutionibus fit, qua de re plura diximus 1. 2. quæst. 96. art. 4. dub. 4. Hinc fit quod hæreticus licitè vtatur fruaturque bonis suis, & de illis disponat, siue donatione liberali, siue per contractum onerosum, quamdiu Fiscus manum non apponit, modò id faciat consueto suo more & bonâ fide: scilicet quod non faciat ad dissipanda bona in odiũ & fraudem Fisci: suntque ea rata donec postmodum fortassis irritentur, & qui ea acceperunt, in conscientia tuti sunt vsque ad irritationem, licet etiam hæresim alterius nouerint, vt docent Couarr. loco citato, Caiet. verbo Pœna, & Sylu. verbo Excommunicati §. 8. Poterunt tamen omnes alienationes factæ post diem commissi criminis, siue hæresis exteriùs proditæ per Fiscum irritari: vt patet ex Capit. 2. de hæreticis in 6. & omnia bona ac fructus ex illis percepti, vbicumque inueniuntur, occupari, etsi translata sint per venditionem. Neque emptori refunditur pretium; si non exstet, vel non auxerit tantundem bona alterius. 43

Quæres

Quæres, an hæreticus, etiam ipso iure, priuatus sit beneficijs Ecclesiasticis, si quæ habeat?

44 Respondetur, quod non videatur ipso iure priuatus, sed priuandus. Ita à Castro l. 2. c. 9. & Sylv. Verbo hæresis, § 14. Et probari potest ex Capit. Ad abolendam de hæreticis, vbi dicitur, Et totius Ecclesiastici ordinis prærogatiua nudetur, & ex Capitulo, Vt commissi, eodem titulo in 6. vbi inquisitoribus datur potestas eos priuandi officijs, & priuatos denunciandi: Couarr. tamen lib. 2. Variarum cap. 8. tenet eos ipso facto esse priuatos.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm reuertentes ab hæresi sint ab Ecclesia recipiendi?

45 CONCLVSIO Prima: Ecclesia semper recipit hæreticos ad pœnitentiā, etiam sæpius relapsos, per quam illis impenditur via salutis, si per Dei gratiam ad fidem conuertantur. Ita D. Tho. hîc. Patet ex Capitulo, Excommunicamus, de hæreticis, & Capitulo Super eo, Tit. eodem in 6. non enim claudit Ecclesia gremium redeuntibus ad ipsam, & delicti veniam dat pœnitentibus: vt dicitur lege inter claras. Cod. de summa Trinit. quod conforme est doctrinæ & affectui Christi Domini, qui monet, vt laborantes omnes & onerati ad se veniant, vt eos reficiat: vnde Nouati & Montani dogma contrariū iam olim ab Ecclesia damnatum existit.

CONCLVSIO Secunda: Ecclesia ab hæresi reuertentes, pro prima vice conseruat in vita, & interdum etiam restituit eos dispensatiuè ad Ecclesiasticas dignitates quas priùs obtinebant. Ita quoque D. Tho. hîc. 46

Prior pars fundari potest in clementia Ecclesiæ, quæ tanquam pia mater bene de talibus præsumit, & credit eos seriò pœnitentes, ac in posterum eos futuros in fide stabiles, quod de relapsis non tam iustè præsumi potest.

Ratio posterioris partis est, quia licet hoc disciplinæ rigorem aliquantulùm minuat, tamen aliquando iudicatur necessarium aut multùm expediens pro bono pacis Ecclesiæ. Vnde D. Tho. hîc scribit, quod frequenter pro bono isto legatur id factum. De quo licet etiam videre D. August. epistola 50.

QVÆSTIO XII.

De Apostasia.

In duos Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm apostasia pertineat ad infidelitatem?

1 NOTAT D. Tho. Apostasiam, quę importat quandam retrocessionē à Deo, tripliciter dici, secundum tres modos, quibus homo Deo coniungitur. Primus autem istorum est, quo homo coniungitur Deo per fidem. Secundus, quo coniungitur per debitam subiectionem voluntatis ad obediendum diuinis præceptis. Tertius, quo coniungitur per quandam particularem consecrationem ac veluti dedicationem, quâ peculiariter se obligat ad Dei cultum & seruitium: vt fit per vota solemnia & ordines sacros; sic igitur etiam tripliciter retroceditur à Deo, & triplex constituitur apostasia, scilicet per retrocessionem ab illa dedicatione hominis facta per vota aut susceptionem ordinis sacri, per retrocessionem ab obedientia mandatorum Dei, & per desertionem fidei Christianæ, quæ dum progreditur eo vsque, vt non tantùm quędam fidei dogmata negentur, aut cōtraria quædam astruantur, sed vt etiam professio Christiani nominis abnegetur, tum hęc absolutissimè & quasi per antonomasiam dicitur apostasia, alioquin nomine hæresis compellari solet: Post hanc magis vulgariter apostatæ dicuntur, qui à votis solemnibus ad sæcularem vitam transeunt. Recessus autem ab obedientia mandatorum Dei, non ita communiter apostasia vocari solet; est enim hoc nomen ex communi vsu magis odiosum, quàm vt cuilibet peccato etiam mortali tribuatur; Ecclesiastici tamen c. 10. ita Sapientia loquitur, secūdum versionem vulgatam, quando dicit, *Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo.*

Ex his facile est respondere ad articulū, quod scilicet apostasia secundum tertium modum dicta, pertineat ad infidelitatem, non sic iuxta secundum aut primum, quāuis primus hæresim sæpius habeat, aut apostasiam à fide coniunctam. 2

ARTICVLVS II.

Vtrùm Princeps propter apostasiã à fide amittat dominium in subditos, ita vt ei obedire non teneantur?

3 CONCLVSIO D.Tho.est, Quã citò quis denuntiatur excommunicatus propter apostasiam à fide, hoc ipso facto eius subditi à dominio eius & iuramento fidelitatis, quo ei tenebantur, sunt absoluti.

Patet ex Capitulo Absolutos, de hæreticis: quod tamen non requirit denuntiationem excommunicationis; sed tantùm, quod eius hæresis sit manifesta, sic enim habet, Absolutos se nouerint à debito fidelitatis dominij, & totius obsequij, quicumque lapsis manifestè in hæresim aliquo pacto quacumque firmitate vallato tenebantur adstricti; quando autem foret nominatim denuntiatus, tunc non tantùm inferiores essent soluti ab obedientia, sed nequidem obedire possent, quatenus illis interdicta est cum illo cõmunicatio; quod tamen intellige, si absq; notabili suo incõmodo illam obedientiam possint recusare.

QVÆSTIO XIII.

De Blasphemia in genere.

In quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm blasphemia opponatur confessioni fidei?

1 NOTANDVM Primò, Blasphemię nomen importare derogationem alicuius excellẽtis bonitatis, principaliter tamen diuinæ: vt monet hîc D. Tho. vnde generaliter sumptum significat omne conuitium aut maledictũ prolatum in alium, contra eius virtutẽ aut excellentiã: vt etiam tradunt Hier. in c.4. ad Ephes. & Aug. lib. 2. de Moribus Manichæorum c. 11. sic accipitur apud Apostolum 1. ad Cor. 4. *Blasphemamur & obsecramus*: & ad Tit. 3. *Admone illos* &c. *neminem blasphemare*: & Apoc. 2. *Blasphemaris ab his qui se dicunt Iudæos esse.* Ex communi tamen vsu peculiariter est accommodatum ad significandum maledictum, aut conuitium quo derogatur diuino honori & excellentiæ, quod etiam D. Aug. loco cit. annotat: & iuxta hanc eius acceptionem, hîc de blasphemia sermo est, siue interim immediatè sit contra Deum, siue contra Sanctos eius cum illo regnantes.

2 Notandum Secundò, Huiusmodi blasphemiam aliquando fieri secundum solam opinionem intellectus: vt quando quis sentit & loquitur Deo indigna, absq; alioquin malo affectu contra illum: v. g. Deũ non habere rerum humanarum curam aut scientiam, ipsum mouere & impellere hominẽ in peccata, sicuti Calv. & eius sectatores docent; aliquando autẽ fieri secundũ solam malignæ voluntatis affectionem: vt dum aliquis malediceret Dei iustitiæ, sciẽtię, omnipotentię quę quidẽ crederet Deũ habere, sed optaret, quod ijs careret; aliquando autem fieri secundũ vtrumq; tam intellectum quàm affectum, quod scil. quis sentiat Deo indigna, & illa affectu maligno quasi improperet: v.g. si quis sentiat quod Deus hominem in culpã adigat, & id malo corde improperet, aut desuper Deum incuset, vel quod iniquè aduersitates immittat aut iniustè peccata puniat &c.

Notandum Tertiò, dictas blasphemias fieri posse, vel corde siue interiùs tantum, vel etiam ore siue exterius emitti. His pręmissis sit

CONCLVSIO Prima: Blasphemia, quæ fit secundum opinionem intellectus, siue habeat affectum coniunctum, siue nõ, si exteriùs se prodat, opponitur confessioni fidei. Patet, quia continet assertionem externam rectę de Deo fidei contrariam: imò etsi maligno tantũ affectu proferretur absq; interiori tali opinione, nihilominus rectè opponi diceretur fidei confessioni: sicuti dum quis ex metu negat fidem, vel illi contraria profitetur quam in animo retinet, dicitur contra confessionẽ fidei agere & peccare: & quidẽ huiusmodi blasphemia, quâ Deo attribuuntur indigna, vel ei negantur quæ perfectioni eius debita sunt, proprijssimè blasphemia dicitur. Vnde D. Aug. lib. contra mendacium c. 19. scribit, neminem posse esse blasphemum per veritatem, & blasphemando falsa dici de Deo: quare ista quę secundum affectum solum procedit, videtur eatenus blasphemia no- 3

miæ nomen & rationem tenere, quatenus saltem affectu vouet & attribuit, quantum in ipso est, ea quæ in Deum non cadunt, nec cadere possunt.

4 CONCLVSIO Secunda: Blasphemia, quæ est secundum malignum affectum solum, & altera, quatenus secundum affectũ, rectè dicuntur opponi virtuti religionis. Ita Malderus in hanc quæst. sect. 1. cum alijs quos citat. Et probari potest primò ex definitione quam tradit Hugo Victorinus in libello de fructibus carnis & spiritus cap. 6. siue quicumque huius libelli author est, quod scilicet blasphemia sit, cum quadam probrosa irreligiositate conuitiorum iaculata in alium maledictio. Secundò probatur, quia malignus ille & detrahens affectus, manifestè est contra honorem & reuerentiam Deo debitam; ergò &c.

ARTICVLVS II.

Vtrùm blasphemia semper sit peccatum mortale?

5 CONCLVSIO D. Thomæ est: Blasphemia ex genere suo peccatũ mortale est. Colligitur id inprimis ex Scriptura sacra, quę testatur graues pœnas blasphemiæ constitutas, eamque extraordinariè aliquando diuinitus grauiter vindicatam, atque adeo veros Dei cultores, plurimùm eam exhorruisse, vt nequidem prolationẽ eius in alijs ferrent: Leuit. cap. 24. iubentur blasphemi occìdi: 4. Reg. 19. percutiuntur 185. millia Assyriorum propter blasphemias Ducis Sennacherib contra Deum Israël & populum eius, & ipse fugiens gladio percutitur in tẽplo Idoli sui: ibidemque Ezechias Rex pius cum istius blasphemias intellexisset, scidit vestimenta sua, & opertus est sacco. Danielis 3. Nabuchodonosor Rex gentilis decretũ fert, vt morte moriatur, & domus eius vastetur, quicumq; blasphemauerit Deum trium puerorum Israël, qui à camino ignis erant liberati. Imo vox ipsa blasphemare aut maledicere Deo tam horrenda est, vt impia ac procax mulier vxor Iob, & Iesabel ac calumniatores Nabaoth eam quasi subterfugerint, & contrario nomine, scilicet benedicere, vsi fuerint, volentes tamen blasphemiam in Deum significare: vt videre est Iob cap. 2. & 3. Reg. 21. Quare non tantùm commune mortale est, sed admodum graue & horrendum peccatum.

6 Probatur Secundò ratione, quia opponitur principalioribus virtutibus, scilicet fidei & religioni, vt ex dictis patet, & versatur circa materiam grauissimam, scilicet contra primam Veritatem, & diuinã præstantiam ac excellentiam; ergò &c.

Potest tamen aliquando esse peccatum veniale propter inaduertentiam, vt quando quis subitò ex aliqua passione in verba imaginationi obuersantia prorumpit, quorum significationem non considerat: vt habet hic D. Tho. ad 3. si tamen id fieret ex praua consuetudine quam non detestetur, neque exuere curat, non videbitur à mortali excusandus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm peccatum blasphemiæ sit maximum peccatum?

CONCLVSIO D. Thomæ est, blasphemia est peccatum maximum inter ea, quæ ad genus infidelitatis pertinẽt, 7
proinde etiam maius omnibus peccatis, quæ contra virtutes morales committuntur, Quia suprà quæst. 10. art. 3. ostensum fuit, infidelitatis peccatum in genere esse maius istis omnibus; quod verò inter peccata infidelitatis blasphemia excedat, sic declaratur: quia inprimis falsa, imo indigna omnino sentit de ipso Deo, qui est primarium fidei obiectum: deinde aggrauatur, quando accedit detestatio, & conuitium ipsius voluntatis, & vlterius augetur, quando ista prorumpunt in maledica verba, aut iniuriosas actiones contra diuinam excellentiam; quemadmodũ & laus fidei crescit per dilectionem & externam confessionem. Ita ferè D. Tho. vnde constat, eum potissimùm agere de blasphemia, quę habet infidelitatem coniunctam.

Quare poterit aliquis quærere de blasphemia, quã diximus aliquando esse posse citra falsam opinionem intellectus, Vtrum illa sit grauior peccato infidelitatis? 8

Respondetur breuiter, quia ista affectio irreuerentialis, & derogatiua diuini honoris eiusque præstantiæ procedit ordinariè ex quodã odio alicuius diuinæ perfectionis, hinc etiam charitatem lędit, & ex illo saltem respectu, grauiorem videri simplici infidelitate; secus si subsisteret, absque omni odio aut dedignatione contra Deum eiusque perfectionem & virtutem.

De Pœnis in blasphemos videre licet Alphons. à Castro lib. 1. de Hæret. punitr. cap. 12. Leuit. 24. vt diximus, iubentur blasphemi occìdi, quod etiam legibus ciuilibus aliquando in nouo Testamento fuit confirmatum: vt patet ex Authẽticis; vbi Iustinianus refert multas calamitates ab irato Deo propter blasphemias immitti, ideoq; has vltimo supplicio esse exstirpandas: nunc tamẽ mortis pœna abrogata apparet consuetudiñe contrariã: vt Azorius 9

 obseruat,

obseruat, tamen aliæ grauissimæ pœnæ tam ciuili quàm canonico iure blasphemis irrogantur. Conc. Later. sub Leone X. Sess. 9. in reformatione Curię, & aliorum. §. Ad abolendũ, præter pœnas externas, quas contra Clericos & Laicos blasphemantes, & contra Iudices sæculares & Ecclesiasticos, qui eos non castigant, constituit, insuper ordinat, quod in foro conscientiæ nemo blasphemiæ reus, absque grauissima pœnitentia seueri confessoris arbitrio, inquit, iniunctâ, possit absolui: Præterea addit, Quicumque blasphemantem audierint, eum acriter obiurgare teneantur si citra suum periculum id fieri posse contingat, eundemque deferre vel notificare apud Iudicem Ecclesiasticum seu sæcularem, intra triduum debeant. Correptio autem illa videtur etiã facienda, quantumuis fortassis nõ speretur blasphemantis emendatio: quia non tantùm ad eius emendationem dirigitur, sed etiam ad læsionem & iniuriam Deo aut Sanctis eius illatam, restaurandam ac reparandã.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm damnati blasphement?

CONCLVSIO D. Tho. est affirmatiua: quæ sic declaratur: Quia retinent peruersam voluntatem & omnino à Dei iustitia auersam, & ad ea, quæ dilexerunt, & pro quibus puniuntur conuersam; vnde diuinam iustitiam ac Deum ipsum detestantur & abominantur, quæ detestatio est interior quædam blasphemia. Et credibile est (inquit D. Tho.) quod post resurrectionem erit in eis etiam vocalis blasphemia, sicut in Sanctis vocalis laus Dei. 10

QVÆSTIO XIV.

De blasphemia contra Spiritum Sanctum.

In quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm peccatum in Spiritum Sanctum sit idem, quod peccatum ex certa malitia?

1 DE peccato & blasphemia in Spiritum Sanctum, loquitur Christus in Euangelio Matth. c. 12. & Marci cap. 3. & dicit, quod non remittetur hominibus, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Hinc quęrit D. Tho. Quodnam illud peccatum sit? qua de re etiam agi solet in 3. parte quæst. 86. art. 1.

Notat autem D. Tho. Dupliciter posse peccari in certa malitia, vno modo ex praua inclinatione habitus ad malum, vnde fit quod quis sciens & prudens eligat peccatum; alio autem modo contingit ex eo, inquit, quod per contemptum abijcitur & remouetur, illud quod electionem peccati poterat impedire: hac distinctione posita

2 Ad articulum respondet, quod priori modo ex certa malitia peccare non sit idẽ, quod peccare in Spiritum Sanctum; sed peccare in Spiritum Sanctum, fit idem, quod peccare ex certa malitia modo posteriori: quia hoc est per contemptum abijcere dona gratiæ per Spiritum Sanctum specialiter ordinata, & homini oblata ad peccata impedienda, & salutem promouendam, id autem est Spiritui Sancto contumeliosum, quia in donis & effectibus suis vilipenditur & contemnitur. Non nihil aliter rationem istius peccati, cum pluribus Sanctis Patribus, explicuimus in 3. parte quæst. 86. supra citata.

ARTICVLVS II.

Vtrùm conuenienter assignentur sex species peccati in Spiritum S. scilicet desperatio, præsumptio, impugnatio veritatis agnitæ, inuidentia fraternæ gratiæ, impœnitentia, & obstinatio?

DIuus Thomas inhærens expositioni, quoad rationem peccati in Spiritum 3 Sanctum, respondet affirmatiuè, & probat in hunc ferè modũ: quia sex sunt diuersa, quæ specialiter à S. Spiritu ordinantur & ingeruntur ad hominem à peccatis retrahendũ, quæ dum singula ex certa malitia contemnuntur, cõtingit sex distinctis modis Spiritui Sancto iniuriam & quandam contumeliam inferri: ac proinde rectè assignantur species sex peccati in S. Sanctũ.

Declara-

Declaratur, quia inprimis retrahunt hominē à peccatis consideratio diuinę misericordiæ ex vnà, & consideratio diuinæ iustitiæ ex altera parte: Deinde, cōprobata agnitio veritatis diuinitus reuelatæ aut ostensæ, & internum gratiæ auxilium ac Spiritus Sancti operatio: Tertiò consideratio turpitudinis peccati ex vna, iterum & breuitas ac paruitas boni, si quod inesse dici possit, ex altera parte: iuxta illud Apostoli ad Rom. 6. *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis*; atqui per desperationem contemnitur Dei misericordia, quam Spiritus Sanctus nobis proponit: per præsumptionem, negligitur timor diuinę iustitiæ: per impugnationem agnitæ veritatis, reijcitur manifestata & comprobata diuina veritas: per inuidentiam fraternæ gratiæ; occluditur aditus diuinis influxibus, quoad illuminationem & emollitionem cordis: per impœnitentiam seu propositum non pœnitendi, vt D. Thomas explicat, reijcitur consideratio turpitudinis peccati, quam Spiritus Sanctus solet interiùs suggerere, & ob oculos ponere: Denique per obstinationem in malo, remouetur omnis consideratio & reflexio super vilitate ac breuitate delectationis omnis, quæ ex peccato haberi possit; ergò &c.

QVÆSTIO XV. & XVI.

QVÆ vlterius D. Tho. disputat de peccato in Spiritum S. & quæ duabus quæst. sequentibus, de Vitijs intellectui & scientiæ oppositis, scilicet de hebetudine & cæcitate mentis, & de Præceptis fidei, respectiuè tractat: tum ex ipso, tum ex ijs quæ alibi traduntur, satis possunt intelligi. Vide dicta suprà quæst. 2. & in 3. partem quæst. 86. citata: vnde ad sequentia progredimur.

QVÆSTIO XVII.

De Spe.

In octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm spes sit virtus?

1 NOTANDVM Primò, Tres posse hîc considerari significationes nominis spei, quæ quidem diuersæ sunt, sed tamen habent inter se affinitatem & analogiam quandam: quarum prima est, secundùm quàm significat passionem quandam appetitus irascibilis circa bonum futurum, arduum, & adeptu possibile. Cuiusmodi spem docet D. Tho. 1. 2. quæst. 40. art. 2. etiam in brutis animalibus reperiri: quod colligit & ostendit ex motu eorum exteriori, Quia, inquit, si canis videat leporem, aut accipiter auē eminus distantem, nō mouetur ad ipsam, quasi non sperans se posse adipisci; si autem sit in propinquo, mouetur quasi sub spe. Distinguitur autem ista passio, quatenus boni est, à timore: quatenus futuri siue absentis, à gaudio: quatenus circa arduum, à communi desiderio: & denique quatenus circa possibile, distinguitur à desperatione: quæ ideo hîc obseruanda sunt, quia cum proportione quadam, etiam locum habent in spe, de qua hîc agitur.

Altera significatio quæ hîc potest considerari est, quâ spes significat affectionē, vel habitum appetitus rationalis, similem analogiā quadam prædictæ passioni appetitus sensitiui irascibilis, quibus scilicet voluntas tendat in bonum rationi commensuratum, siue honestum, absens, arduum, & possibile; sed quia præter bona sensibilia, & præter honesta rationi naturaliter conuenientia & commensurata, sunt homini proposita quædam sublimiora ac omninò diuina bona; absentia quidem & maximè ardua, possibilia tamen. Hinc succedit 3

Tertia significatio spei, quâ significat siue motum, siue habitum, qui tendat in hęc bona: duæ significationes priores pertinent propriè ad philosophum moralem, nobis autem hîc sermo est de spe iuxta tertiam significationem. Vbi 4

3 Notandum Secundò, hic vsu venire etiam, quod in similibus vocabulis solet, nimirum quod dum plura concurrunt circa hoc eius significatũ, contingat quoque ipsum nomen spei vsurpari, aliquando pro habitu, aliquando pro actu: vt 1. ad Cor. 13. *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc*, ad Rom. 5. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*, & ibidem, *Spes non confundit*, & ad Rom. 8. *Spe salui facti sumus*: Aliquando autem pro obiecto, vt dum dicitur eodem loco: *Spes quæ videtur, non est spes*, id est, res sperandę, quę tenentur, iam non sperantur: & ad Titum cap. 2. *Exspectantes beatam spem*: Aliquando verò pro eo, à quo speramus bonum: sic in Psalmis sępius dicitur, *Dominus spes nostra*: Denique aliquando pro eo, per quem speramus bonum obtinere, quomodo Christus homo est spes nostra, quia per eius redemptionem & merita speramus saluari, & B. Virgo salutatur, Spes nostra, quia per eius intercessionẽ speramus nobis media salutis donanda, atque adeo ipsam salutem. His præmissis

4 CONCLVSIO D. Tho. est Affirmat. Estque communis & certa. Probatur autem primò ex Scripturâ, quæ satis testatur spem de quâ agimus, esse virtutem, quando tantopere ad eam nos hortatur, eam laudat, eius merita commemorat: Ps. 61. *Sperate in eo omnis congregatio populi.* Ad Heb. c. 10. *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Psa. 145. *Nolite confidere in principibus* &c. *Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius*, Psal. 112. *Domus Israël sperauit in Domino, adiutor eorum & protector eorum est: Domus Aaron sperauit in Domino*, &c. Psal. 117. *Bonum est confidere in Domino*, &c. *Bonum est sperare in Domino*, ad Rom. 5. *Spes non confundit*, & cap. 8. *Spe salui facti sumus*, 1. ad Cor. 13. *Spes annumeratur cum fide & charitate*; ergò dubium non est, quin spes sit magna virtus. D. Aug. quoque lib. 2. quæst. Euangelic. cap. 22. & epistolâ 121. cap. 8. inter pręcipua Dei dona spem recenset.

5 Probatur Secundò ratione, quia actus spei est rationi fide instructæ admodum consentaneus, & in se maximè laudabilis, in medio rationis consistens; ergo habitus qui inclinat in actum illum est virtus. Antecedens declaratur, quia amare Deum nobis propositum, vt bonum, licet absens, quo supra naturæ nostræ conditionem, sumus beatificandi, & in illud cum intentione assequendi tendere per media proportionata, scilicet diuinæ gratiæ auxilia, quę ab illo quoque exspectamus, rationi & honestati est conforme, & laude dignum; atqui ista in nobis causat spes, de qua agimus; ergò &c.

Sed contra obijcitur primò. In spe informi inest quidquid ad rationem spei requiritur: hæc tamen non videtur posse dici virtus; ergo spes non est simpliciter virtus. Probatur minor, quia temerè quis sperat beatitudinem sine charitate: vt patet ex Apostolo 1. ad Cor. 13. Prouerb. quoq; cap. 10. & Iob cap. 8. spes hypocritæ & impiorum dicitur peritura. 6

Respondetur Neg. minorem: & ad probationem dicendum, temerariam fore spẽ, si quis speraret beatitudinem consequi, non præhabitâ charitate; sed non esse temerariam, quâ quis nondum charitatem habens sperat cum Dei auxilio assequi beatitudinem, mediantibus scilicet & præuijs omnibus ad eam necessarijs; atque ita si non semper explicitè, saltem tacitè & virtualiter sperat etiam talis peccatorum veniam & charitatem.

Ad Scripturæ loca ex Prouerb. & Iob dicendũ, quod ibi non sit sermo de spe virtute Theologicâ; sed potius de spe humanâ & inani, qua homines mundani ad temporalia bona, siue honores, siue diuitias anhelant, & omnia sua studia eò dirigunt, quæ spes simul cum ipsis absque aliquo illorum bono peribit: hoc interim verum est, spem nisi cum charitate sit coniuncta, non habere statum virtutis: sicuti suprà fuit explicatum de fide.

Obijcitur Secundò, passiones non sunt virtutes, sed earum moderationes; ergo quod in mente siue in parte rationali correspondet spei non erit virtus. 7

Respondetur Neg. Conf. Pro intelligentiâ autem huius notandum est, passiones posse dupliciter considerari, scilicet vno modo quasi in habitu, pro inclinatione ad eiusmodi actus: secundo modo, vt in actu & tanquam operationes potentiæ. Similiter etiam posse affectiones correspondentes in mente dupliciter considerari: vno modo, vt in habitu: altero, vt in actu: & quidem licet in appetitu sensitiuo passiones neutro modo sint virtutes, tum quod appetitus iste virtutis secundum se capax non sit, tum quod naturam sequantur, & moderationem non includant, tamen quę in mente illis correspondent, siue acquisitæ, siue infusæ, dicimus eas obtinere virtutis rationẽ, quia vt in habitu, sic sunt principia operandi secundum rationem & honestatẽ cum debitis circumstantijs omnibus: vt autem sunt in actu, sic operationes sunt exercitæ tali modo ab istis principijs, sic v. g. habitus spei inclinans in beatitudinem in Dei visione consistentem, est quædam voluntatis affectio mouens, non quomodolibet, sed secundum rationem & per media proportionata, & cum alijs debitis

bitis

bitis circumſtantijs ad bonum illud exſpectandum, & ad contendendũ ad illud: actus verò ſpei iſti habitui correſpondens, & ab eo procedens, eſt motus quidam & tendentia in tale obiectum debitis modis. Vnde nihil ad virtutis rationem illis deeſt, quamuis in paſſione appetitus ſenſitiui ratio virtutis locum non habeat.

8 Obſeruandum tamen eſt, quod diximus actum ſpei conſiſtere in medio rationis, intelligendum id eſſe, non vt verſatur circa ſuum principale obiectum, quia cum illud ſit primum & ſumnum appetibile ab homine, non poteſt motus in illud ſecundum ſe eſſe nimius aut excedens, vt docet D. Tho. art. 5. ſeq. ad primum: quod generaliter locũ habet in virtutibus Theologicis, quia earum obiectũ eſt Deus; ſed vt verſatur circa aliqua, quæ ad illud ordinantur, vt dicit ibidem Tho. v. g. circa vires & auxilia quibus ad illud tendendum eſt: vt ſi quis ſuis viribus confideret eò peruenire, vel etiam in Dei auxilio vellet confidere, & ex parte ſuâ non cooperari, nec media conuenientia ſimul adhibere, caderet ille in quendam exceſſum, ſicuti qui de Deo, eiuſque auxilijs diffideret, caderet in defectum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm beatitudo æterna ſit obiectum proprium ſpei?

9 CONCLVSIO D. Th. eſt affirmatiua: ſcil. quod proprium & principale obiectũ ſpei ſit beatitudo æterna: quæ in fruitione ipſius Dei conſiſtit.

Probatur ex Scripturis: Geneſ. cap. 15. Dominus dicit Abrahamo, *Ero protector tuus & merces magna nimis.* Ad Rõ. 5. *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei:* quibus locis tũ Deus ipſe, tũ gloria ex ipſo declaratur ſatis obiectum ſpei noſtræ. ad Epheſ. cap. 1. *Vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in Sanctis*, ad Titum 2. *Exſpectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei*: vbi rurſum Apoſtolus oſtendit, ſpei noſtræ obiectum eſſe glorioſam illam hæreditatem Sanctorum in cœlis, quę non eſt aliud, quam Deus per viſionem nobis communicatus: ad Titum 3. *Vt iuſtificati gratiâ ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Ad Heb. cap. 6. dicimur habere ſpem vt anchoram animæ, tutam incedentem vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introijt IESVS, & vbi Dei vultus cernitur, vt idem Apoſtolus ſignificat ad Heb. 9. Conſtat igitur obiectum ſpei noſtræ quod ſperamus, eſſe beatitudinem & vitam æternam.

Sed hic Primò Quæritur, An id quod dicitur de Beatitudine, ſit intelligendum de beatitudine formali, ſiue de ipſa viſione Dei: an de obiectiuâ, ſiue de ipſo Deo, qui eſt ſupremum bonum noſtrum nos beatificans? 10

Reſpondetur breuiter, de quâuis dicatur intelligi, parum intereſſe, quia eodem res recidit, ſi bene explicetur: quemadmodum ſiue dixeris ſpem auari eſſe pecuniam, ſiue eſſe pecuniæ poſſeſſionem, idem dices. Ratio eſt, quia homo ſperat bonum, vt aliquando futurum ſuum; & à ſe poſſidendum: vt docet D. Auguſt. cap. 8. & poſſeſſio quoque ſperatur tantùm, quatenus eſt modus tenendi bonum illud; atq; ita quando Deus dicitur obiectum ſpei noſtræ, intelligitur etiam viſio eius eſſe obiectum ſuo modo, quatenus ſcilicet eſt ratio & modus tenendi ac poſſidendi Deũ, tanquam bonum noſtrum, & quoque dum viſio Dei dicitur eſſe obiectum, intelligitur Deus eſſe obiectum, ſcilicet tanquam bonum quod illâ viſione tenemus ac poſſidemus.

Apparet tamen potius dicendum, quòd Deus ſit obiectum, quam quòd viſio, quia illum ſperamus tanquam bonum, cuius poſſeſſione ſumus beatificandi; viſionem autem tantùm tanquam modum, quo teneamus bonum, cuius poſſeſſione gaudeamus & beatificamur. Si quis verò vellet conſiderare Dei viſionem tantummodo, vt qualitatem & perfectionem quandam creatam inhærentem intellectui noſtro, non conſiderando bonum externum quod per eam poſſidemus, ſic non niſi inter ſecundaria obiecta materialia ſpei veniret enumeranda. 11

Quæritur Secundò: Quodnam ſit obiectum formale ſpei? Hactenus de obiecto materiali ſpei loquuti ſumus, nunc difficultas eſt ſub quâ formali ratione ſpes circa illud verſetur? 12

Diuus Thomas quæſt. 7. De ſpiritualibus creaturis art. 1. dicit, formale obiectũ ſpei eſſe auxilium diuinæ poteſtatis & pietatis, quod etiam art. 5. ſeq. videtur indicare quando docet, ſpem attingere ſupremam actuũ humanorum regulam, ſcilicet Deum ipſum, & tanquam primam cauſam efficientem, in quantum eius auxilio innititur, & ſicut vltimam cauſam finalem, in quantum ex eius fruitione beatitudinem expectat. Eodem inclinant illi qui docent, Dei omnipotentiam habere rationem hic obiecti formalis: Vaſquez in 1. partem diſp. 84. & 1. 2. diſp. 15. cap. 5. vult Deum, à quo bonum ſperatur vt ſic, eſſe obiectum formale: vnde à ſententiâ D. Tho. nõ videtur recedere, poterit

plus inhæreamus, ac nobis amemus aliud quodcumque bonum quam ipsum, & propter aliud negligamus hoc quærere, & ad eius amplexum & possessionem aspirare: quare constat satis, hunc Dei amorem esse honestum & supernaturalem. His præmissis

16 Probari potest secunda sententia supra posita: Primò, quia vnus est virtutis habitus, à quo procedit hic Dei amor, quem vocant concupiscentiæ, quo illum nobis amamus, & à quo causantur desiderium illius, & spes, ac intentio consequendi ac possidendi bonum tantum; ergo idem est obiectum formale illius desiderij ac spei, quod est amoris: atqui formale obiectum huius amoris est increata Dei bonitas, quatenus supremum bonum nostrum & beatitudo nostra supernaturalis, quod nemo videtur posse negare; ergo etiam spei, de qua agimus.

Antecedens probatur, quia idem vsu venit in alijs virtutibus voluntatis, vbi tales actus secundum quandam proportionem similes procedunt ab eodem habitu; sicut declaratum est in charitate, & alioquin oporteret, quasi sine numero, admittere habituum multiplicationem.

17 Probatur autē prior consequentia, quia idem est obiectum formale habitus, & omnium actuum ad quos per se & directè mouet & inclinat; neque refert quod actus aliquando sint diuersi, siue connotato aliquo, siue etiam specie: quia talis diuersitas nasci potest ex diuerso modo quo influit aut applicatur obiectum potentiæ, quamuis sub eadem ratione formali influat; quemadmodum amor Dei concupiscentię in hac vita, & delectatio ac fruitio Dei in cœlo, sunt actus multùm diuersi, & tamen haud dubiè versantur ambo circa Deum, sub ea ratione, qua est summum bonum nostrum supernaturale.

18 Probatur Secundò, quia spes Theologica est virtus voluntatis: vt infra docet D. Tho. sicuti altera est passio appetitus sensitiui; ergo actus illius ratio formalis debet esse aliqua ratio boni; atqui per accidens est obiecto bono, quatenus tale, quod huius vel illius auxilijs, his vel illis viribus sit obtinendum: hoc enim non mutat aut diuersificat bonitatis rationem in obiecto, quia non ideo bonum est alterius rationis, quia à tali causâ nobis obuenire debet; sed potius, quia bona aliqua in se sunt diuersa, diuersique ordinis, ideo diuersas respiciunt causas, quibus mediantibus obtineri ac possideri à nobis possint; ergo auxilium diuinæ potestatis & pietatis, quod ipsi Deo amato tanquam bono nostro non addit specialem rationem boni nobis appetibilis, non potest rectè dici formale obiectum spei: sed potius videtur se extrinsecùs habere; quatenus eius apprehensio est necessaria, vt voluntas efficaciter, & cum intentione assequendi Deū vt bonum nostrum possit moueri, & eò tendere, quia alioquin iudicaretur impossibile aut nunquam obuenturum.

Confirmatur, quia si ista formalis ratio spei Theologicæ, sequeretur fore actum huius virtutis, si quis aliquod temporale bonum ex Dei omnipotentia & pietate exspectaret, quantumuis hoc ad æternam beatitudinem non referret. Similiter quotiescumque exspectaret quispiam à Deo auxilium ad operandum quemcumq; virtutis actum ob formalem rationem boni, quod in tali virtute, aut in eius obiecto in est, semper dicendus esset operari ex spe Theologica, cum tamen actus talis pertineat ad virtutē, ex cuius bonitatis amore, & affectu, istud auxilium à Deo postulat & exspectat: vt ex antè dictis potest colligi. 19

Neque eadem videtur hic esse ratio diuinæ potentiæ & pietatis auxiliantis, in ordine ad spem, quæ est diuinæ veritatis reuelantis in ordine ad fidem: quia hæc facit obiectum fidei nobis cognoscibile, atq; adeo cognitum ob eius authoritatem secundum suam propriam rationem, sic vt illa sit tota ratio credendi; diuina autem potentia & pietas non faciunt obiectum amabile & desiderabile, vtpote quod ex se est tale, & desiderabile etiam à nobis, quādo fide cognoscitur; vnde dici non debent tota ratio, quare bonum illud à nobis speretur; sed solum præstant quod iudicetur nobis possibile: quo iudicio posito, mouetur voluntas ab obiecti bonitate ad efficaciter illud intendendum cum Dei auxilio; quod non est aliud, quàm illud sperare. 20

Tertiò, pari ratione, quâ potestas & pietas Dei ponuntur obiectum formale, possent etiam poni Dei promissio, & eius veracitas in promissis: quia nisi hæc simul considerentur, non satis apprehendet intellectus bonum obuenturum: & proinde neque voluntas efficaciter appetet & ad illud tendet, quia Dei potentia & pietas non sufficienter generabunt opinionem de illo aliquando consequendo, nisi consideretur simul, quod Deus nobis tantùm bonum ordinauerit & promiserit. 21

Quartò & vlt. quia sequeretur plures esse virtutes Theologicas quam tres: non enim dubitandum est, quin aliqua sit virtus, quæ proximè versetur circa Deum, sub eâ formali ratione, qua bonitas eius increata est bonum nostrum summum, & supra naturam: quâque illum, vt sic amemus ac 22

mus ac desideremus, quæ distincta est à fide & charitate; ergo si hæc non est virtus spei, efficitur quod quatuor ad minus sint Theologicæ virtutes, quod receptissimæ Theologorum doctrinæ repugnat.

23 Sed obijcitur, Scripturæ principaliter commendant nobis, atq; adeo præcipuam laudem spei in eo positam significant, vt speremus in Domino; non autem in hoc, quod speremus Deum; ergo videtur quod Deus, vt potens & pius ad auxiliandum, debeat poni obiectum formale spei, non autem Deus, vt nobis bonus, siue vt summum bonum nostrum.

Antecedens patet ex locis suprà num. 4. citatis, ad ostendendum spem esse virtutem, & ex alijs plurimis, quæ passim in Psalmis & apud Prophetas leguntur.

Respondetur in Scripturis sanctis multum quidem commendari spem in Domino, in eiusque auxilijs & protectione; sed tamen non minus etiam commendari, vt non respiciamus in insanias falsas; sed speremus & intendamus hæreditatem æternã in cęlis, & videre bona Domini in terra viuentium, quæ non est aliud quam ipse Dominus, & Deus noster: iuxta Ps. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ* &c. *tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*: Ps. 143. *Beatus populus cuius Dominus Deus eius*. Psal. 26. *Vnã petij à Domino: hanc requiram, vt habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: vt videam voluptatem Domini, & visitem templum eius*: & Genes. cap. 15. *Ego merces tua magna nimis*: vide plura circa conclusionem huius articuli suprà num. 9. allegata. Huc accedit quod dum Scriptura cõmendat spem in diuinis auxilijs, id facere soleat in ordine ad bona Domini in terra viuentium consequenda & possidenda: quemadmodum etiam quando vituperat & reprehendit fiduciam in principibus & filijs hominum, id facere solet ad reuocandos affectus nostros à terrenis & mundanis bonis, quæ ab istis videntur aliquo modo dependere, vt nobis obueniant, vel à nobis auferantur.

24 Patent hæc passim ex Scripturis quæ de materia huiusmodi loquuntur: Psal. 35. *Filij hominum in tegmine alarũ tuarum sperabũt, inebriabũtur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis illos*: Psal. 36. *Spera in Domino, & fac bonitatem*: & infrà, *Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur multitudine pacis*: ac rursum, *Nouit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit*: Psal. 72. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum: mihi autẽ adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam*: Ps. 141. *Clamaui ad te Domine, dixi: tu es spes mea, portio mea in terra viuentium*: vide similia Psal. 36. & alijs iam citatis: imo quando Scriptura simpliciter iubet aut monet, vt speremus in Domino, non tantùm commendat, vt in eius virtute & pietate confidamus, sed etiam, vt ipse sit spes nostra, & bonum nostrum quod intendamus, & ad quod consequendum conatus nostros omnes conuertamus: quod tum Scripturæ allegatæ satis significant, tum modus loquendi Hebręorum importat, qui verbum, *Sperare*, sicut & alia quædam construere solent cum præpositione (*In*.) siue particula illi æquiualente. Quandoquidem igitur Scriptura commendet vtrumque, sed vnum vt medium, & alterum vt finem, videtur formalis ratio obiecti potius desumenda ex eo, quod rationem finis habet, quàm quod medij ad illud.

Obijcitur Secundò, Inordinatum esse videtur Deum amare amore concupiscentiæ, & eum sperare tanquam bonum nostrum, hoc enim videtur esse Deum ordinare ad creaturam tanquam ad finem; ergò &c. 25

Respondetur Neg. Antecedens, & simul illud quod ad eius probationem adijcitur, neque enim istud est referre Deum ad nos tanquam ad finem, sed est ipsum vt finem nostrum nobis velle & nobis applicari desiderare, vt illi, tanquam summo bono, inhæreamus, ac ipso fruamur, quod ordinatissimum est, & Deo maximè honorificum, sicut supra de amore concupiscentiæ dictum est.

ARTICVLVS III.

Vtrùm aliquis possit sperare alteri æternam beatitudinem.

CONCLVSIO Prima: Nemo propriè & absolutè sperat alteri quodcumque bonum, sed sibi. Colligitur ex D. Thoma hîc: & probari potest authoritate D. Augustini Enchr. cap. 8. vbi docet, Fidem esse, & suarum rerum, & alienarum; spem verò, non esse nisi rerum ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur. Deinde probatur ratione, quia spes propriè motus quidam est, seu protensio appetitus in bonum arduum, vt sibi proportionatum & commodum; ergo propriè & absolutè non sperat quis alteri. 26

CONCLVSIO Secunda: Quatenus tamen alter est nobis per amorem vnitus, sic possumus etiam illi sperare bonum & æternam vitam. Est etiam D. Thomæ: & declaratur, quia quatenus amor illum nobis coniungit, sic quodammodo idem nobiscum est, & ipsi sperando bonum etiam 27

nobis

nobis speramus, quia bonũ eius quodammodo nostrum est, nam de illo conquisito alteri, tanquam de nostro, gaudemus cum ipso, ac bene inde nobis esse sentimus; Sed quando volumus alteri beatitudinem: quia hoc Deo gratum est, qui vult omnes saluos fieri, & vt sic, honorificetur Deus in illo, tum voluntas hæc non erit spei, sed charitatis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm aliquis poßit licitè sperare in homine?

28 CONCLVSIO D. Thomæ est: Non licet sperare in homine, aut in aliquâ creaturâ, tanquam prima & principali causa nos mouente ac ducente in beatitudinem: licet tamen tanquam in aliquâ causa secundariâ, & instrumentali, per quam Deus adiuuat nos ad bona in beatitudinem ordinata assequenda: quemadmodum non licet quoque sperare bonum creatum tanquam finem vltimum, cuius possessione efficiamur beati; sed benè tanquam medium aliquod ordinatum, aut subseruiens ad consecutionem boni increati, quod est Deus ipse.

Priorem partem probant Scripturę omnes, quæ reprehendunt & maledictum pronuntiant eum, qui in carne, in principibus, in filijs hominum in quibus non est salus, confidit: vt 2. Paral. c. 16. Ierem. 17. Psal. 43. & 146. & alibi frequenter: quia scilicet homo non potest nobis conferre quæ nos verè beatos faciant, & qualiacumque bona videatur nobis præstare aut procurare, non ille tamen prima & principalis causa vel author istorum habendus est.

Posterior pars probari potest ex D. Gregorio, qui lib. 1. Dialog. cap. 8. docet, prædestinationem precibus SS. iuuari, quod in 1. parte & alibi latiùs ostenditur & explicatur.

ARTICVLVS V.

Vtrùm spes sit virtus Theologica?

29 CONCLVSIO est affirmatiua: & probatur à definitione: quia virtus Theologica dicitur quæ versatur (scilicet proximè) circa Deum tanquam obiectum quod naturalem intellectus nostri cognitionem excedit: siue quod est finis supernaturalis: vt docet D. Tho. 1. 2. quæst. 62. art. 1. & 2. atqui spes, sicuti ex hactenus dictis constat, versatur proximè ita circa Deum, quatenus est supernaturale bonum nostrum vltimatè & perfectè nos beatificans, quando à nobis possidetur: ergò &c. Accedit quod vt ordinatè in illum voluntas tendat, debeat quoque homo Dei virtuti, & benignitati inniti, sic vt principaliter per ipsum Deum eiusque auxilia misericorditer præstanda, & non viribus nostris, aut alicuius creaturæ, debeamus prætendere bonum illud increatum consequi, & obtinere, vt hîc monet D. Tho. ergò &c.

Sed obijciet aliquis: spes non tantùm 30
circa Deum, sed etiam circa alia multa, v. g. circa peccatorum remissionem, circa iustificationem, imo circa omnia quę Oratione Dominicâ continentur, versatur, hęc enim oratio spem Christianam, continet & explicat: quemadmodum symbolum fidem, & decalogus charitatem vt significat August. Enchrydij cap. 7. & 113. & sequentibus, ergo non potius videtur dicenda virtus Theologica: quàm moralis.

Respondetur spem non versari circa ista, nisi ex motiuo Summi boni: appetit enim & sperat Christianus ista propter Deum, siue increatum bonum assequendum, quod mediantibus istis obtinere intendit. Vnde in omnibus talibus causa mouens & trahens voluntatem, quatenus ex spe Christianâ mouetur est finis vltimus quasi extrinsecè illa informans. Quarè id nihil obstat, quo minus spes Christiana dicatur & sit virtus Theologica: quia in omnibus istis Deus speratur modo explicato.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm spes sit virtus distincta ab alijs virtutibus Theologicis?

CONCLVSIO est affirmatiua: & 31
certa, vt apparet de fide. Probatur autem primò, quia Apostolus 1. ad Cor. 13. apertè inter se distinguit tres has virtutes fidem, spem, & charitatem, dum non tantùm distinctis nominibus eas exprimit, sed insuper adijcit, *Tria hæc:* vbi autem non est distinctio, ibi non oritur pluralitas, aut numerus; vt hîc notat D. Thomas: Insuper addit vlterius: *Maior autem horum est charitas:* quo etiam satis significatur eorum distinctio. Estque communis doctrina antiquorum ad citatum Apostoli locum: & D. Augustini Enchr. cap. 8. & cap. 113. & sequentibus.

Et ex

32 Ex proprijs rationibus ac obiectis potest declarari, quia fidei obiectum primarium est Deus, vt in se veraciter est: & vt verax in suis dictis, obiectum autem spei est Deus, vt nobis bonus, siue vt bonum nostrum per eius auxilia à nobis acquirendum & possidendum. Deinde fides est virtus intellectus: Spes autem voluntatis. In quo etiam charitas à fide distinguitur: cum spe autem conuenit quidem in subiecto, sed habet obiectum proprium & formale diuersum à spe: quia huius obiectum est quidem etiã Deus: sed vt summè amabilis amore beneuolentię, & amicitiæ propter infinitam eius præstantiam & infinitas eius perfectiones, ob quas dignissimus est quod illi omnem honorem & gloriam ac omne bonum deferamus ac velimus. Quare manifestum euadit, quod spes sit virtus ab alijs Theologicis, fide scilicet & charitate distincta.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm spes præcedat fidem?

33 CONCLVSIO D. Thomæ est: fides absolutè spem præcedit. Probatur, quia voluntas non fertur in obiectum, nisi apprehensum,& cognitũ per intellectum; atqui obiectum spei,quam hic supponimus esse virtutem voluntatis, est Deus vt finis noster supernaturalis, & summum bonum nostrum, diuinis auxilijs obtinendum, quod non cognoscit, neque apprehendere potest mens humana, nisi per fidem; ergò fides debet præcedere spem. Quod intellige de necessitate quoad actus,vt explicat D. Thomas 1. 2. quæst. 62. art. 4. quia habitus in primâ iustificatione solent simul infundi.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm charitas sit prior spe?

34 CONCLVSIO Prima: Spes prior est charitate viâ generationis. Ita D. Thomas hic. Et probari potest ex Concil. Trid. Sess. 6 cap. 6. vbi describens ordinarium progressum iustificationis, ponit primo loco fidem: deinde timorẽ: tertio loco spẽ, & postmodum dilectionem. Ex eo namq; quod quis speret ab altero multa & magna bona, inducitur quoque non tantùm ad amandum bona eius; sed etiam ad ipsum amandum amore beneuolentiæ & amicitiæ, qui est actus charitatis. De quo videre licet D. August. Tract. 9. in epistolam 1. Ioannis. Hinc Scriptura, & Concilia, ac Patres passim hoc ordine enumerant tres virtutes, vt primo loco fidem, secundo spem,& tertio charitatem exprimant. Sed contra potest

Obijci ex Augustino lib. 1. de doctrinâ Christianâ cap. 37. vbi sic scribit: Porrò si credit & diligit bene agendo, & præceptis bonorum morum obtemperando, efficit, vt etiam speret se ad id quod diligit, esse venturum: quibus significatur spem oriri ex dilectione coniunctâ cum obseruatione diuinorum mandatorum, quę sunt charitatis; ergo charitas ordine generationis videtur prior Spe. Quod etiam indicat Ambrof. in cap. 17. Luc. vbi dicit, spem esse ex charitate & fide. 35

Respondet Diuus Thomas, Patres illos loqui, & cum illis Magistrum Sentent. quem citat,de Spe formatâ,& vt habet statum virtutis: quod quidem eo sensu verissimum est; quia spes per accedentẽ charitatem redditur formata, sicuti supra de Fide est explicatum.

Alio modo potest responderi, quod Patres illi loquantur de actu spei, quo quis omnino fiducialiter & proximè sperat & exspectat bonum increatum, quod amat tanquam habens omnia necessaria ad beatitudinem obtinendã: quia scilicet habet spiritum Dei in quo clamat, Abba Pater, & qui reddit testimonium spiritui eius, quod sit filius Dei, vt loquitur Apostolus ad Rom. cap. 8. cuiusmodi perfectissimi & fidentissimi actus Spei sequuntur charitatem. 36

CONCLVSIO Secunda: Charitas tamen prior est spe, sicuti & fide, dignitatis & perfectionis ordine. Patet ex Apostolo 1. ad Cor. 13. vbi enumeratis tribus istis addit: *Maior autem horum est charitas:* & ad Rom. cap. 13. docet plenitudinem legis esse dilectionem. Est igitur charitas cæteris virtutibus etiam fide & spe dignior & præstantior. 37

Sed disputatur, vtrum spes ordine dignitatis fidem præcedat, sicut fides præcedit illam viâ generationis.

Respondetur breuiter probabilius videri, quod fides non tantũ ordine generationis, sed etiã dignitatis spẽ præcedat. Ita tenet Bannes supra quæst. 4. art. 7. & cum illo Malderus hoc loco: fauet D.Th. quia quando hic spem & charitatem inter se comparat, dicit solùm cum quâdã quasi restrictione, quod spes sit prior dum addit, viâ generationis: quia, vti dicturus erat, charitas præcedit dignitate: quando autem articulo præc. comparat fidem & spem inter se, dicit absolutè quod fides præcedat spem, insinuans per hoc quod spes non aliâ potiori ratione præcedat fidem. Huc etiam facit, quod infra qu. 20.

art. 3.

art. 3. doceat infidelitatem esse peccatum maius desperatione.

38 Et probari potest primò, quia spes suam certitudinem & firmitatem à fide accipit, vnde dicitur fides hypostasis seu fundamentum rerum sperandarum. Secundò, quia maioris præstantiæ videtur esse cognoscere Deum, & eius attributa, quæ omnem humanum captum superant, & ob diuinam authoritatẽ credere eâ firmitate prout talis authoritas postulat, quod est munus fidei; quàm Deum & eius præmia sibi amore concupiscentiæ diligere, & ad illa assequenda adniti & intendere: quod ad munus spei spectat; ergò &c.

QVÆSTIO XVIII.

De subiecto spei.

In quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm spes sit in voluntate sicut in subiecto?

2 CONCLVSIO est affirmatiua: & satis potest constare ex dictis: quãdoquidem enim obiectum spei sit bonum aliquod, efficitur quod ipsa sit in appetitu; & quia non bonum sensibile, sed bonum intelligibile, & quidem lumine tantùm supernaturali, consequens est quòd non in appetitu inferiori, aut sensitiuo; sed in superiori & rationali spes collocanda sit vt in subiecto. Sed contra potest

1 Obijci, spes innititur Deo vt veraci in promissis; ergo videtur esse virtus intellectus potius, quam voluntatis.

Respondetur spem inniti Deo vt veraci hactenus quod præsupponat fidem, quâ sperans credat Deum in suis promissis fidelem & veracem; sed actus iste non spei, sed fidei est, per actum autem spei exspectat bonum quod promisit Deus, quem credit fallere non posse, & illud consequi intendit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm spes sit in beatis?

3 CONCLVSIO Prima: Principalis actus, ad quem virtus spei hîc ordinatur, cessat in beatis. Est certa & manifesta ex Scripturis: imprimis, quia Apostolus sæpius citato loco ad Cor. docet, spem in patria euacuari, quod ad minus de actu eius principali, quem hîc habet, debet verificari. Secundò, quia actus iste est sperare increatum bonum supernaturale nondum habitum, sed obtinendum; atqui beati iam possident & fruuntur illo præsenti: *Spes autem quæ videtur*, iuxta Apostolum ad Rom. 8. *Non est spes*, id est, quando res sperata iam possidetur, naturali quadam sequelâ sperari tum desinit: *Nam quod videt quis, quid sperat?* vt addit ibidem Apostolus. Declaratur idem ex Extrauag. Benedictus, quod scilicet visio Dei eiusque fructus actum fidei & spei euacuent.

Objiciet aliquis, eiusdem rationis sunt sperare futuram possessionem alicuius boni, & sperare continuationem possessionis in futurum; sed beati possunt sperare continuationem; ergò principalis actus spei non videtur in totum cessare. 4

Respondetur Primò, quando possessio boni iam adepti est omnino necessaria & immutabilis, & clarè cognoscitur talis, tunc locum non habere aliquem actum eiusdem rationis circa continuationem possessionis cum actu spei, quę est de bono absente adipiscendo; quia quod quis immutabiliter possidet, eo ipso perpetuò possidere censetur.

Respondetur Secundò, cum D. Thoma beatam vitam Sanctorum participare quandam æternitatem Dei, vt in eorum beatitudine non sit considerare præteritum & futurum, adeoque nihil sit quod exspectent, cum totum simul possideant.

CONCLVSIO Secunda: In beatis tamen, præsertim antè diem iudicij, supersunt quidam secundarij actus spei. Patet, quia inprimis adhuc nobis viatoribus, quatenus amore nos habent sibi coniunctos, sperant beatitudinem; cuiusmodi actum S. Thomas suprà art. 3. refert ad virtutem 5

ſpei. Deinde ſperant corporis ſui glorioſam reſurrectionẽ: quem actum, licet quidam exiſtiment etiam in via non pertinere ad virtutem ſpei Theologicę, eoquod corpus diuini boni, circa quod ſpes verſatur, non videatur eſſe capax; tamen probabilius apparet, ſaltem ſecundariò ab illa virtute quoque procedere; quia rationi conſentaneum eſt, quod habitus ille ſeſe extendat ad omne bonum exſpectandum, quod ex Deo clarè viſo, ſiue in anima, ſiue in corpore per redundantiam quandam, nobis obuenturum eſt. Præterea poſſunt exſpectare quædam gaudia ac præmia accidentalia.

6 Conclusio Tertia: Quod ad habitum ſpei attinet, multi probabiliter tenent illum in patria euacuari ac deſinere eſſe. Probari poteſt primò, quia vbi actus maximè proprius & principalis alicuius habitus locum non habet, nec habere poteſt propter rationem ſtatus, ibi non videtur ratio cõſeruationis, quia appareret fruſtraneus & otioſus; ergò &c. Secundò, quia ſicuti actus eius principalis importat imperfectionem, quatenus poſtulat abſentiam rei ſperatæ, ſic quoq; videtur dicendum de ipſo habitu. Tertiò, quia Apoſtolus loco ſuprà cit. poteſt dici loqui, non tantùm de actu ſpei, ſed etiam de habitu; ergò &c.

7 Conclusio Quarta: Non tamen improbabiliter alij quidam exiſtimant, habitum ſpei quoad ſubſtantiam in patria remanere, quamuis non ſecundum nomenclaturam.

Probatur Primò, quia vt ſupra oſtendimus, videtur omnino dicendum, eundem eſſe habitum, quoad ſubſtantiam, quo Deũ tanquam finem noſtrum ſupernaturalem amamus, ſiue abſentem, ſiue præſentem amore concupiſcentiæ, & quo illum ſperamus; atqui habitus iſte amoris non debet dici in patria deſinere aut euacuari, quia vel maximè ibi actus eius vigebunt, tum amoris, tum fruitionis & gaudij de amato bono iam plenè poſſeſſo: ergò habitus ſpei quoad ſubſtantiam quoque remanet.

Secundò, quia, vt diximus, ſuperſunt quidam actus ſecundarij ſpei: quandoquidem ergo abſque incommodo poteſt dici, quod habitus ſecundum ſubſtantiam maneat, non videtur iſtud negandum, cum aliquis eius ſubſit vſus. Probatur conſequentia, quia alioquin dicendũ erit, quod actus iſti (qui ſine dubio ſupernaturales ſunt) vel eliciantur abſq; principio ſupernaturali intrinſeco & permanente, quod eſt contra perfectam rationem & modum operandi; vnde eâ de cauſa varij habitus Chriſto attribuuntur, ne illâ perfectione careat: vel oportet ſtatuere nouum operandi principium tales actus in beatis; vel ad aliud principium generale eos obliquè reuocare, quæ omnia videntur minus congrua; ergò potiùs dicendum quod habitus remaneat.

Dixi quoad ſubſtantiam, non autem quoad nomenclaturam: quia ideo compellatur habitus ille nomine ſpei hîc communiter, quia conſideramus eum ordinariè ſecundum actum eius primarium & difficiliorẽ, propter quem primò & principaliter hîc in via nobis communicatur & infunditur, qui eſt ſperare aliquando adipiſci bonum illud increatum, & Deo per claram viſionem frui. In beatis itaque quia deſinit ordo habitus ad hunc actum, propter mutatam circumſtantiam obiecti, quod illi modo plenè poſſident, non quoque amplius nomine ſpei veniet compellandus, quamuis à parte rei idem ſuperſit.

Qui itaque hanc concluſionem volent ſequi, ad probationes alterius poterunt reſpondere. 8

Ad primam quidem, quod licet principalis actus ſpei, ad quem in via ordinatur, ibi ceſſet, tamen adhuc locum ibi habere actus ſecundarios, quod etiam alij fatentur. Deinde ſeruit ad actus amoris, fruitionis, & gaudij de fine vltimo obtento & poſſeſſo eliciendos: vnde adhuc vel maximum ibi habet vſum.

Reſpondetur ad ſecundam, quod habitus iſte non ſimpliciter inuoluat imperfectionẽ, licet actus eius principalis viæ huius inuoluat; quia habitus ſecundũ ſe inclinat ad Deum vt finem ſupernaturalem & ſummum bonum noſtrum appetendum ſiue proſequendum & amandum, tum appetitu deſiderij quando abeſt, tum appetitu complacentiæ quando præſens habetur & poſſidetur.

Ad tertiam dicendum erit ſufficere verbis & propoſito Apoſtoli, quod ſpes dicatur ceſſare aut non manere ſecundum officium ſuum & actum principalem, quorum gratiâ nobis in via hîc infunditur, ſicut id iam ſupra dictum eſt. 9

Notandum tamen, ſi habitus ſpei ponatur realiter & quoad ſubſtantiam diuerſus ab habitu quo Deum, vt finem ſupernaturalem nobis amamus, quod tum videretur dicendum potius illum quoque in patria ceſſare ac deſinere ob argumẽta prædicta.

ARTIC.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in damnatis sit spes?

10 CONCLVSIO est negatiua, & probari potest primò ex illo Prov. c. 11. *Mortuo homine, impio nulla erit vltra spes*, & ex illo Psal. 6. *Non est in morte qui memor sit tui, &c. In inferno autem quis confitebitur tibi?* spes enim est quædam confessio diuinæ virtutis, & misericordiæ. Ratio autem est, quia damnati sciunt impossibile esse vt aliquando liberentur & saluentur; quemadmodum enim ad fœlicitatem beatorum pertinet vt sciant perpetuitatem beatitudinis suæ, nec se posse ab ea excidere, ita ad completam damnationem & cumulũ miseriarum facit quod sciant se perpetuò fore miseros, nec posse vnquam euadere: vnde necessariò sequitur desperatio.

11 Dicet aliquis, potest Deus per potentiam absolutam liberare damnatos, & videtur aliquando id re ipsâ fecisse, quando v. g. per Sanctos suos miraculosè reuocauit impios ad vitam; neque enim verisimile est, inter tam multos à mortuis resuscitatos, non fuisse aliquos in infidelitate sua vel alio peccato mortali defunctos: ergo possunt damnati adhuc apprehendere liberationem suam vt possibiliter futuram, & proinde eam sperare.

Respondetur Neg. Conseq. quia de omnibus illis, qui in peccato mortali siue in statu damnationis prius fuerint defuncti, & postmodum ad vitam reuocati, dicendum est, damnationis sententiam non fuisse in eos prolatam; sed suspensam, quę alioquin ordinariè statim à morte in malos profertur; quam non tantùm audiunt, sed etiam intelligunt, immutabiliter omnino fieri, neque vnquam mutandam, etsi dum in vita essent, sensissent cum Origene nullas pœnas creaturę rationalis fore perpetuas. Vnde fit quod nullam spem liberationis concipere possint.

12 Petet aliquis Primò, Vtrùm animæ in purgatorio spem habeant?

Respondetur eas spem habere, non tantùm quoad substantiam habitus, sed etiam quoad principalem eius actum, respectu scilicet beatitudinis quâ nondum fruuntur. Potest colligi ex illo Sapientiæ 3. vbi de Patribus & Prophetis qui erant in limbo dicitur: *Spes illorum immortalitate plena est*: quod & in animabus in purgatorio existentibus locum habet.

Petes Secundò, Vtrùm in hæreticis spes remaneat? 13

Respondetur in hæreticis non esse veram spem supernaturalem, neque habitum, neque actum. Patet, quia spes præsupponit fidem supernaturalem, tanquam fundamentum virtutum omnium supernaturalium, vt alibi latius explicatur, & docet Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 6. Quare dupliciter spes amitti potest: primò per submotionem fundamenti siue fidei, quomodo etiam aliæ virtutes tunc euanescunt: secundò per desperationem, vt si quis de sua salute desperet absque errore fidei contrario.

Obseruandum tamen est in hæreticis posse spem quādam naturalem seu potius præsumptionem reperiri, ortam ex persuasione seu fide humana etiam falsâ: in omnibus enim est amor quidam vitæ beatæ, cui si accedat opinio de illa consequenda, quamuis falsa, nascitur spes quædam, sed inanis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm spes Viatorum habeat certitudinem?

CONCLVSIO Vnica: Necesse est agnoscere certitudinem aliquam in spe viatorum. Patet ex Scripturis ad Heb. 6. *Interposuit iusiurandum (scilicet Deus) vt per duas res immobiles, quibus impoßibile est mentiri Deum, fortißimum solatium habeamus: qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmã.* 2. ad Timoth. 1. *Ob quam causam etiam hæc patior: sed non confundor: scio enim cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare*: ad Rom. 5. *Spes non confundit*; & Psal. 30. *In te Domine speraui, non confundar in æternum.* Idem constat Psal. 90. *Qui habitat.* Et confirmari potest ex Conc. Trid. Sess. 6. cap. 13. vbi ita scribit: Nemo sibi certi aliquid absolutâ certitudine polliceatur, tametsi, inquit, in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debeãt; Deus enim, nisi ipsi illius gratię defuerint, sicut cœpit opus bonum ita perficiet, operans velle, & perficere. Vnde etiam Magister Sent. lib. 3. dist. 26. quasi describit spem esse certam exspectationem futuræ beatitudinis. 14

Sed difficultas est in explicanda ratione huius certitudinis spei: vbi hoc inprimis. 15

Certissimâ fide tenendum est, non posse ita explicari, vti volunt hæretici, quod scilicet quisque fidelis teneatur certò cre-

dere & sibi persuadere sese esse iustum, & Dei filium, ac certissimè saluandum.

Patet ex Conc. Trid. inprimis loco citato, vbi postquam dixisset, Omnes debere in Dei auxilio spem collocare, subiungit statim ex Apostolo ad Philip. 2. & 1. ad Cor. 10. Veruntamen qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore & tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigilijs, in eleemosynis, in orationibus, &c. formidare enim debent, inquit, scientes quod in spem gloriæ, & nondum in gloria renati sunt, de pugna quæ superest cum carne, cum mundo &c. Sed contra vanam istam & præsumptuosam fiduciam & fidem specialem plura diximus in 1. 2. in tract. de Gratia & Iustificatione. Omissis autem varijs Catholicorum expositionibus.

16 Dico Secundò: Quod optimè & accommodatissimè ad scientiam & doctrinam Conciliorum, præsertim Conc. Trid. videatur ratio istius certitudinis spei explicari, si dicatur in tribus hisce consistere, & inde exsurgere:

Primò in certitudine ac soliditate obiecti, siue boni sperati, quod spes Theologica habet certissimum ac verissimum: & quidem obiecti certitudinem inprimis facere ac necessariam esse, vt generaliter spes aliqua possit dici certa & fundata, satis constat: quia si de illo ambigatur, dicetur is, cuius spes circa obiectum tale versatur, planè in incertum sperare: & si veritas non subsit, dicetur spes eius inanis & vacua. Hinc in Scripturis toties ridetur & reprehenditur spes mundana. Sap. 5. *Spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur: & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: & tanquam fumus, qui à vento diffusus est*, &c. *Iusti autem in perpetuum viuent*, &c. *Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini*, &c. Psal. 51. *Sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate.* Psal. 71. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Hinc & Apostolus 1. ad Cor. 15. contra eos qui dicebant resurrectionem mortuorum non esse, & obiectum spei nostræ tollebant, aut in dubium reuocabant, ita arguit: *Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra*: & paulò infrà: *Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus: miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

17 Secundò certitudo spei fundatur in certitudine & infallibili veracitate promittentis Dei, & promissionis nobis factæ de illo tanto bono præstando & reddendo, si nos ea fecerimus, quæ à nobis requirit: quam certitudinem vrget & explicat Apostolus ad Hebr. 6. ita scribens: *In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui: interposuit iuramentum: vt per duas res*, &c. *Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem*, &c. & 2. ad Timoth. 1. *Scio cui credidi, & certus sum, quia potēs est depositum meum seruare*, & Psal. 144. ea de re dicitur: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* & Psal. 145. *Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius*; quia, scilicet custodit veritatem in sæculum sæculi, vt mox subiungitur. Et passim vbique per Scripturam commendatur nobis veracitas ac fidelitas Dei in promissis nobis factis.

Tertiò, in certitudine potentiæ ac misericordiæ Dei, quibus ipse potest & inclinatus est nobis præstare auxilia, vt valeamus adimplere requisita ad consecutionem boni sperati: quod hîc significat D. Tho. ad secundum ita scribens: Spes non innititur principaliter gratiæ iam habitæ (scilicet sanctificanti, de qua non sumus certi) sed diuinæ omnipotentiæ & misericordiæ, per quam etiam qui gratiam non habent, eam consequi potest, vt sic ad vitam æternam perueniat: de omnipotentia autem Dei, & misericordia eius, inquit, certus est quicumque habet fidem, & colligitur idem exConcilio Tridentino verbis supra allegatis, quibus dicit, omnes debere firmissimam spem reponere & collocare in Dei auxilio &c. Conformiter loquitur Scriptura sacra quę sæpius spem nostram eiusque certitudinem ad Dei adiuuantis potentiam & bonitatem refert, Psal. 30. *In te Domine speraui, non confundar in æternum*, &c. *Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu.* Psal. 90. *Quoniam tu Domine spes mea, altißimum posuisti refugium tuũ: non accedet ad te malum*: & infrà: *Quoniam in me sperauit liberabo eum, protegam eum, &c. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum.* Et Apostolus ad Rom. 14. *Stabit autem, potens est enim Deus statuere illum.* Et similia passim occurrunt. 18

Propter tria itaq; ista, spes fidelium dicitur esse certa & exinde certitudinem habere. Sed

Dicet aliquis, stantibus tribus illis, contingit multos excidere à consequutione finis qui speratur; ergo non videntur sufficere, vt ab illis possit spes nostra dici habere certitudinem. 19

Respondetur Neg. Conseq. & quod eo non obstante sufficiant ista ad fundandam spei quandam certitudinem declarari potest à simili: nam si v g. Rex aut Princeps aliquis multas diuitias & quidem veras, non fucatas tantùm, subditis suis proposuisset mediantibus operis & meritis consequendas

sequendas, & infallibilem adiecisset promissionem de illis dandis, sic vt de fide eius dubitari non posset, ac insuper necessaria ad operas requisitas exequendas præstare esset paratus; non dubium est, quin de talibus laborare volentibus diceretur, quod spem certam haberent consequi magnas diuitias; non obstante quod fortassis multi ex animi ignauia, vel alia de causa negligerent, & sic ad propositas diuitias non pertingerent: sic quoque quod habentes spem deficiant à consecutione beatitudinis ex defectu liberi arbitrij ponentis obstaculum peccati, non præiudicat certitudini spei Christianæ, vt habet D. Tho. hic ad 3.

QVÆSTIO XIX.

De Dono timoris.

In duodecim Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Deus possit timeri?

1 PRO explicatione materiæ notandum est primò, nomen timoris pluribus modis sumi: Inprimis aliquando capi pro timiditate, quę vitium est oppositum fortitudini, de qua infra tractatur.

Secundò, pro passione quadam partis sensitiuæ, de qua tractat D. Tho. 2. 2. quæst. 41. & sic est quædam fuga mali imminentis sensibus apprehensi, cui resisti facilè non potest.

Tertiò, pro affectione seu actu quodam partis rationalis, refugientis scilicet malum imminens intellectu apprehensum, tanquam quod facilè repelli aut euadi non possit.

2 Notandum Secundò: Hic sermonem esse de timore iuxta tertiam acceptionem, non iuxta primam, quia agitur de actu aliquo, non de habitu vel habituali inclinatione: non etiam iuxta secundam, quia Deus non cadit sub apprehensionem sensuum.

3 Notandum Tertiò, dupliciter aliquid dici posse timeri: Primò, tanquam malum quod imminet: Secundò, tāquam id à quo, vt inferente imminet malum, vel quatenus ex ordine certo ad illud nobis malum obuenire potest. His præmissis

Respondetur cum D. Thoma Deum posse timeri, non quidem vt malum imminens, sed vt qui malum, scilicet pœnæ inferat; & deinde vt per comparationem ad ipsum (si scilicet ab eo auertamur & separemur) potest nobis prouenire malum culpæ: sic enim in D. Thoma legendum est, non pœnæ, quamuis plerique textus ita habeant; tum quia alioqui ista duo non distinguerentur, neque significaretur quomodo Deus, etiam filiali timore, possit timeri: quod tamen adiunctione istius, & vt per comparationem ad ipsum, &c. intendit insinuare; tum quia id clarius exponit infrà artic. 5. ad 2. vbi sic scribit: Timor seruilis respicit Deum sicut principium inflictiuum pœnarum. Timor autem filialis respicit Deum, non sicut principium actiuum culpæ, sed potius, sicut terminum à quo refugit separari per culpam.

Probatur conclusio, ac inprimis quod Deus timeri possit constat ex Scripturis Psal. 33. *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos:* & Psal. 111: *Beatus vir qui timet Dominum:* & Matth. 10. *Sed potius timete eum*, dicit Christus, *Qui potest & animam & corpus perdere in gehennam:* Quod autem non possit timeri tanquam malum quod imminet, per se manifestum est, quia ipse essentialiter est bonitas omnem mali rationem à se excludens: quod tamē iuxta conclusionis secundā parte timeri possit, declaratur, quia Deus iustus Iudex est, *Qui reddit vnicuique secundum opera eius*, vt docet Apostolus ad Rom. 2. *Ijs*, inquit, *qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati*, &c. *Ira & indignatio. Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum*, Ex altera parte ipse benignus & misericors pater noster est: quare etiam eatenus timeri debet, ne per offensam & culpam nostram ab eo separemur; ergò &c. vbi tamen hoc 4

Aduertendū est primò, sicuti spes principaliter versatur circa bonum obtinendum, & ex consequenti ac per extensionem quandam, circa illum à quo vel per

cuius opem assequi bonum arbitramur, ita timorem quoque principaliter & directiùs versari circa malum impendens arduum, & consequenter ac per extensionem circa eum, qui illud illaturus est, aut circa eum ex ordine ad quem nobis malum prouenire potest.

6 Aduertendum Secundò cum D. Tho. malum pœnę esse bonum simpliciter, quia iustum & conueniens cum ordine finis vltimi, esse autem tantùm malum secundum quid, in quantum priuat aut tollit aliquod particulare bonum; & proinde absq; omni inconuenientia posse hoc Deo adscribi, quod ab eo, tanquam à iusto iudice iustitiam vindicatiuam exercente, intentetur ac infligatur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm timor conuenienter diuidatur in filialem, initialem, seruilem, & mundanum?

7 OBseruandum est, nō moueri hîc quęstionem de timore omnino vniuersaliter, sed de timore, qui moraliter bonus aut malus est. Vnde plenitudini huius diuisionis non obstabit, quod timor naturalis etiam, qui in parte superiori sit, vt incursionis hostium, sic nudè consideratus non contineatur propriè sub aliquo membrorum diuisionis.

8 CONCLVSIO itaque est affirmatiua, & potest sufficientia diuisionis breuiter sic declarari; quia omnis timor, de quo scilicet hîc agimus, aut ad Deum conuertit, si videlicet moraliter bonus sit, vel ab eo auertit, si malus sit. Si auertat à Deo, vt quādo quis timore amittendi ea quę mundi sunt, v.g. ad paupertatem vitandam, ad vitam conseruandam, facit contra legem Dei, tunc timor ille mundanus erit, à quo dehortatur nos Christus Matth. 10. *Nolite timere eos qui corpus occidunt:* & alibi Scriptura frequenter. Si ad Deum conuertat: is vel est timor pœnæ à Deo irrogandæ, vel timor culpæ seu offensæ diuinæ, vel timor vtriusque. Si sit pœnæ tantùm, dicitur seruilis, quia tantùm est de plagis quas Dominus fugitiuis aut inobedientibus intentare & emittere solet: & de eo dicitur ad Rom. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore*, vt scilicet solo metu supplicij mandata Dei vestri obseruetis, *Sed accepistis spiritum adoptionis*, &c. Si autem sit timor offensæ, tunc dicitur filialis, quia nascitur ex filiali affectu quo quis cupit Patri esse subiectus, & mutuo amore semper cum illo esse coniunctus: vnde filiorum est timere offensam patris. De hoc timore scribit August. Concione 25. in Psal. 118. Timore autem casto, inquit, peccare timet charitas, etiamsi sequatur impunitas, & tract. 43. in Ioannem, Est, inquit, timor seruilis & castus, & timor ne patiaris pœnam. & timor ne amittas iustitiam. De hoc timore accipi potest illud Apostoli ad Rom 11. *Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time.* Item ad Philip. 2. *Cum metu & tremore vestram salutē operamini.* Si denique sit timor mixtim vtriusque, scilicet pœnæ & culpæ, dicitur initialis: quæ omnia ex subsequentibus magis constabunt.

ARTICVLVS III.

Vtrùm timor mundanus sit semper malus?

CONCLVSIO D. Thomæ est affirmatiua: & probatur, quia timor in genere moris est similis amori ex quo nascitur, sed mundanus timor oritur ex amore mundano, qui vt hîc capitur & iuxta modum loquendi Scripturæ, semper malus est; quia mundanus amor est, quo quis incumbit mundo aut mundanis rebus tanquam fini suo, & sic eis est affectus, vt propter illas paratus sit Dei legem & iustitiam deserere, vt explicat D. Tho. partim in Corp. partim in responsione ad tertium. Hinc scribit D. Ioannes 1. epistolæ cap. 2. *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo*, & Apostolus: *Si adhuc hominibus placerem, Dei seruus non essem.* Timor itaque quo quis metuit amittere ea, quibus tali amore inhæret, malus quoque erit, dum propter eorum amorem, ne illa perdat, iustitiam deserit. 9

ARTICVLVS IV.

Vtrùm timor seruilis sit bonus?

CONCLVSIO D. Thomæ est: timor seruilis secundum substantiam suam bonus est, sed seruilitas eius mala est: vnde 10

Notandum timorem seruilem quoad suam substantiam, non esse aliud, quàm timorem pœnæ: quemadmodum fides informis secundum suam substantiam, non est aliud, quam habitus diuinitus infusus, quo credimus Deo & ea quæ credenda reuelauit,

reuelauit. Porro sicuti fidei in sua substantia bonæ accidit informitas, quæ quoddam malum est, scilicet priuatio charitatis in eodem supposito; ita etiam timori in sua substātia bono accidit seruilitas quę quoddam malum est: Quod à diuersis diuersimodè videtur explicari. Nam D. Thomas seruitutē in eo videtur ponere, quod pœna non quomodolibet timeatur, sed tanquam summum malum, ita vt bonum quo priuat ametur tanquam bonum summum, & vt vltimus finis: quare cum nullum malum pœnæ sit eiusmodi, neque vllum bonum quo pœna priuat, sit bonum supremum & super omnia amandum, sed malum culpæ sit tale malum, & quo illa priuat, & à quo nos separat sit tale bonum; hinc facilè intelligitur, quod ista seruilitas omnino mala sit, atque adeo timor, habens eam coniunctām, ex parte eius quoque malus sit.

11 Alij verò aliter explicant seruilitatem hanc, tanquam scilicet in eo sitam, quod timor sit de malo pœnæ, ita vt inde quis purè & merè moueatur ad faciendū quod Deus mandat, vel omittendum quod prohibet, absque aliquo affectu amoris erga honestatem actus, vel obseruantiam legis Dei, sed tantùm, quia pœnas timet: & huiusmodi seruilitas est quoddam malum, quia priuatio melioris boni & maioris perfectionis, quatenus est carentia siue absentia amoris erga bonum honestum; non tamen est necessariò peccatum, nisi quis ita esset animo compositus, vt haberet affectum positiuum contrarium, quod scilicet nollet illud agere aut alterum omittere, nisi quia timet pœnas. Vnde

12 Notandum vlteriùs, tribus modis posse timorem pœnæ considerari & sese habere. Primò, vt solus est, & præcisè oritur ex amore boni particularis per pœnam amittendi, non adhibita comparatione, aut reflexione ad amorem Dei aut honestatis.

Secundò, vt habet adiunctum simul timorem culpæ, & sic pœnam timet quod etiam vereatur & metuat offendere aut displicere Deo, quem amat aut affectu colit.

Tertiò potest considerari, vt oritur ex amore inordinato boni seu commodi particularis per pœnam amittendi, quatenus scilicet illud pluris æstimatur quàm honestas aut Dei obseruantia, ita vt abstineat à malo, solùm ne illud bonum amittatur, non omissurus propter Dei offensam, aut actus turpitudinem.

13 Differunt itaque explicationes seruilitatis præmissæ, quod prior seruitutem ponat in eo, quod timori tertiò modo considerato accedit: Posterior autem in eo, quod deest primo modo considerato, scilicet quod non habeat adiunctum motiuum aliquod honestatis, vel amoris Dei, aut legis eius: inter quas explicationes videtur hæc secunda magis probanda; tum quia sic faciliùs potest intelligi, quomodo timor seruilis secundum substantiam suam possit dici bonus, & esse etiam à Spiritu Sancto, quia seruilitas sic explicata non importat peccatum, sed relinquit actum quasi indifferentem, quo etiam Spiritus Sancti operâ & directione aliquando retrahitur homo ab ijs, quæ à Deo auertunt, & disponitur ad conuersionem ad Deum: Tum quia iuxta alteram explicationem vix apparet distinctio, inter timorem seruilem & mundanum, quos tamen ponit S. Tho. membra distincta, & de mundano pronuntiat absolutè quod semper sit malus, nec dicit eum secundum substantiam esse bonum.

Cæterum quod timor pœnæ à Deo infligendæ, secundum se vtilis sit & bonus, probatur contra hæreticos: Primò ex verbis Christi supra allegatis ex Matth. 10. cap. *Sed potius timete eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam;* Deinde ex Conc. Trid. Sess. 6. cap. 6. vbi docet peccatores à diuinæ iustitiæ timore vtiliter concuti, & eadem Sess. Can. 8. ita definit: Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendò confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse aut peccatores peiores facere, anathema sit. Vnde timor huiusmodi etiam adscribitur Spiritui Sancto, ad Rom. 8. *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore,* ad quæ verba scribit Glossa, vnus est spiritus qui facit duos timores, scilicet seruilem & castum, vt hîc citat D. Tho. seruilis enim, vt est à Spiritu Sancto, præparat & disponit ad castum: vnde August. dicit, timorem seruilem esse setam qua filum charitatis inducitur. Patet igitur timorem huiusmodi secundum suam substantiam iuxta conclusionem D. Tho. esse bonum: de seruilitate autem iam satis multa dicta sunt. 14

ARTICVLVS V.

Vtrùm seruilis timor idem sit in substantia cum filiali?

CONCLVSIO est negatiua, & probatur, quia differunt obiectis formalibus: timoris seruilis enim obiectum est malum pœnæ quod malum nostrum est, & timoris filialis obiectum est malum culpæ, siue offensa Dei quam timemus, vt 15

malum quodammodo Dei, quia illi iniuriosa, & quasi grauis aut molesta. Vnde timor seruilis, v.g. gehennæ, quo à peccatis deterremur, potest ad virtutem spei pertinere, quia quâ virtute ferimur in bonum aliquod, eâdem refugimus malum isti bono oppositum: quandoquidem igitur spe tendimus ad fruendum Deo tanquam summo bono nostro, eâdem rectè dicimur refugere & timere gehennam, quatenus impedit nos à possessione summi boni nostri; sed si timeatur solùm, quatenus carni aut naturæ adfert pœnam sensus, sic metus ille secundū se magis videtur esse motus aliquis naturalis, quo fugimus quę naturæ sunt incommoda, quā alicuius virtutis. Potest tamen etiā hic metus ratione principij, v.g. fidei vt fundamenti, aut Spiritus Sancti vt excitantis, & ratione finis ad quem ordinatur, v.g. ad hominis conuersionem ad Deum, esse supernaturalis quoad modum, & disponere ac præparare hominem ad iustitiam: vt colligitur ex Conc. Trid. locis supra citatis. Timor autem filialis ad charitatem pertinet: sicut enim hâc diligimus Deum, & volumus illi omnē bonum; sic è contra eâdem charitate refugimus ac timemus omne illud, quod Deo, vtpote amico & Patri nostro, iniuriosum, aut ingratum esse potest.

16 Sed obijcitur, dicit Philosophus, neminem timere quod sit futurus iniustus: & ratio reddi potest, quia pendet hoc ab hominis libera voluntate; ergo filialis timor non potest dici pro obiecto habere malum culpæ, sed potius pœnam damni, siue æternam separationē à Deo & visione eius, vt videtur velle Durandus.

Respondetur, culpam considerari posse duobus modis: Vno, vt procedit à nostro arbitrio, & sic quidem obiectum odij est, non timoris; sic enim odisse debemus, non propriè timere, quod etiam cum Philosopho docet S. Tho. 1. 2. quæst. 41. Altero modo, vt habet principia quædam alia, quæ incitant & vehementer mouent ad peccandum: cuiusmodi sunt malorum societas, ignorantia, prauæ inclinationes, & concupiscentiæ carnis & oculorum, infirmitas lapsi hominis, tentatio dæmonis, & similia: & secundum hæc redditur malum culpæ arduum, quod non facilè vitatur, etsi à nostro arbitrio pendeat: atque ita etiam timeri potest, estque obiectum timoris filialis, qui oritur ex charitate & amore beneuolentiæ erga Deum, sicuti dictum est.

17 Quod ad pœnam damni attinet, si illa timeatur solùm vt malum nostrum est, & priuatio boni nostri, videtur adhuc timor iste seruilis censendus; si autem timeatur tanquam separatio ab amico summè dilecto, quam ille quoque ex se non vult, sed magis desiderat nos perpetuò & amore & fruitione illi inhærere, sic timor erit filialis quoque.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm timor seruilis remaneat cum charitate?

Conclvsio D. Thomæ est: Substantia timoris seruilis cum charitate manere potest, sed timor, in quantum seruilis, non manet. 18

Prior pars probatur: Quia qui charitatem habent, etiam timent damnationē incurrere, & ad pręcauēdam bonis operibus incumbunt, & cum Psalmista orant: *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui*: vnde & Christus monebat suos, vt non timerent eos qui corpus occidunt, sed eum qui animam & corpus potest perdere in gehennam. Vnde S. Ambros. in Psalm. 118. dicit Martyres timore gehennæ vincere timorem cruciatuum præsentium: & D. Basil. in Psal. 33. ad verba illa, *Venite filij*, &c. ostendit quomodo homines sancti debeant superare tentationes diuini Iudicij: vnde & D. Hieron. scribit, semper sibi insonare tubam illam, Venite mortui ad Iudicium.

Secundò probatur ratione: Quia cum charitate manere potest ordinatus amor boni proprij, quatenus suo ordine & mensurâ istud diligitur; ergo etiam potest manere timor mali proprij seu pœnæ, quatenus ordinem & mensuram non excedit; atqui ibi reperitur substantia timoris seruilis, qui circa pœnam vt malum propriū versatur; ergò &c. 19

Declaratur pars posterior, quæ facilè intelligitur si conditio seruilitatis in eo ponatur, prout D. Thomas explicat, quod pœna timeatur tanquam malum summū, & quod proprium commodum illi oppositum ametur, vt summum bonum & finis vltimus, quia sic importat peccatum mortale in suo actu. Si autem explicetur altero modo, non etiam remanet, quia iusti non tantùm agunt timore supplicij, sed etiam amore Dei & virtutis, ac odio habent peccatum, quia offendit Deum, quem vt patrem amant.

Sed contra priorem partem obijcitur illud Ioannis 1. epist. cap. 4. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem*; ergo non debet admitti timor seruilis, nequidem secundum substantiam cum charitate. 20

Respon-

Respondetur Neg. Conseq. Quia loquitur D. Ioannes de timore opposito fiduciæ bonæ in die Iudicij, de qua proximè in antecedentibus dixerat: *In hoc perfecta est charitas nobiscum, vt fiduciam habeamus in die Iudicij:* Iste autem timor est, quo impij malè sibi conscij de improba conuersatione & malis moribus anguntur, & quasi horrescunt ad considerationem diuinæ iustitiæ & vltimi iudicij, nec possunt cum tali statu concipere bonam fiduciam & animi hilaritatem ad cogitationem aduētus Domini; quemadmodum boni, qui Deum & proximum charitate diligũt, & opera charitatis assiduè exercent: hi enim quasi læti iudicem Christum sustinent, & ad eius aduentum quasi ad retributionis diem exhilarescunt. Istum igitur timorem excludit charitas, sicut iam dictum est de ijs, qui diligunt aduentum Christi: sed non excludit omnem timorem pœnarum bene ordinatum, sicut circa primam partem cõclusionis est explicatum: & proinde potest substantia timoris seruilis cum charitate consistere.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm timor sit initium sapientiæ?

21 CONCLVSIO est affirmatiua: Pluribus enim locis Scriptura expressis terminis id testatur & inculcat, Psal. 110. Prouerb. cap. 1. & 9. & Eccles. cap. 10. Sed quæritur, quo sensu timor dicatur, initium sapientiæ? D. Thomas hic interpretatur eo sensu dici, quia timor sit primum quasi opus, & primus effectus sapientiæ, quod hæc primò faciat hominem timere Deum. Alij autem volunt potius eiusmodi sententijs significari, timorem esse principium & fundamentum sapientiæ, siue vitæ bonæ & perfectæ virtutis: sic enim sapientia in Scripturis accipi solet, vbi sapientes dicuntur non illi, qui multa intelligunt & sciunt quæ facienda sunt, sed qui simul faciunt. Econtra stulti pronuntiantur, qui etsi multa sciant, tamen non ea opere complent, vt patet Matth. 7. *Qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti.* Est itaq; sapientia, de qua hîc agitur, vera & perfecta virtus complectens cognitionem & actionem; huius autem initium est timor, & quidem etiam seruilis, quamuis remotè; quia primò impelli solent homines timore pœnarum & damnationis, vt à peccatis abstineant, & rectè secundum leges Dei viuant: Timor autem filialis est proxima quasi radix & principium: postquam enim eo peruenerint, vt metu offensionis diuinæ & tantæ bonitatis bene agant, & mala deuitent, tunc ipsam sapientiam adepti sunt.

Sed quæret aliquis, Si timor est initium sapientiæ, quomodo ergo apud Iob c. 28. dicitur, quod timor Domini sit ipsa sapientia? Respondetur quando hoc tum ibi, tum alibi dicitur, sermonem illum accipiendum in sensu causali; cum enim timor Domini generet sapientiam, rectè etiam ipsa ad sapientiam pertinere, atque adeo etiam sapientia esse dicitur. 22

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm timor initialis differat secundum substantiam à timore filiali?

CONCLVSIO D. Tho. est: Timor initialis prout hîc capitur non distinguitur secundum essentiam à filiali. 23

Probatur & simul explicatur, quia initialis timor non dicitur hoc loco timor omnis qui quocumque modo est initium boni, siue recessus à malo, & accessus ad Deum, sed is tantùm, qui conuenit incipientibus ambulare viam mandatorũ Dei in charitate, siue qui competit statui incipientium, prout loquitur S. Tho. in quibus inchoatur simul quidam filialis timor, sed adhuc imperfectus, vtpote cui sæpius permiscetur timor seruilis quoad substantiam, siue metus pœnarum; nam in talibus adhuc multum huiusmodi metus viget: imo sæpius debet quasi assistere & iuuare filialem recenter natum, vt constãtius malum culpæ repudiet & virtutibus inhæreat: vnde & initialis dicitur, ac differt proinde à filiali sicut charitas imperfecta à perfecta: vt dicit D. Tho. quod igitur supra art. 2. dixit, tunc esse timorem initialem, quando quis ad Deum conuertitur aut ei inhæret propter vtrumque, scilicet malum culpæ & pœnæ, non id sic accipiendum est, quasi vno actu timoris timeatur vtrumque per modum vnius obiecti, quasi medij nascentis aut compositi ex vtroque; non enim illa duo rediguntur aut coalescunt in aliquid medium vnius rationis; sed quia in codẽ supposito, quod iam concepit timorem charitatis, remaneat adhuc plurimum timoris seruitutis quoad substantiam, modo iam explicato.

Similiter quod dicit initialem timorem esse medium, intellige non quod sit compositus ex vtroque, sed quod sit medius viâ generationis, quia à seruili peruenitur ad initialem, & hoc interueniente ac mediante 24

diante ad filialem: quæ conformiter traduntur ad doctrinam D. August. tract. 9. in epistolas Ioannis.

25 Notandum verò hîc est, quod etiam filialis timor iam perfectior, non soleat in hac vita perpetuò omnem metum pœnarum aut damnationis totaliter excludere; sed tamen qui in charitate plus profecerunt, soleant rariùs timore illo commoueri siue ad bene operandum, siue ad abstinendum à malo, sed magis ex diuino amore eiusque virtutum ac perfectionum, vtpote qui horum contemplationi, & intellectu & affectu magis inhærent, quàm attendant ad commoda propria, vel incommoda his opposita, sed vnicè solliciti sint, quomodo placeant Deo, & nomen eius in omnibus honoretur ac sanctificetur.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm timor sit donum Spiritus Sancti?

26 CONCLVSIO D. Thomæ est affirmatiua: & probari potest ex cap. 11. Isaiæ vbi inter dona Spiritus Sancti enumeratur: *Et requiescet super eum Spiritus Domini; spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Docet autem D. Tho. inprimis, non mundanum timorem esse qui dicitur donum, qui vt ex supra dictis patet, is semper est malus, & ab eo nos Spiritus S. in litteris sacris dehortatur, eumque reprehendit & improbat: Deinde neque etiam seruilem; quamuis enim secundum substantiam possit esse à Spiritu Sancto, tamen potest quoque esse cum peccato, quando pœna inordinatè timetur; dona autem Spiritus Sancti sequuntur charitatem, quia sunt quædam diuinæ affectiones habituales vel illuminationes, quibus anima redditur facilè mobilis, vt Deo seu Spiritui Sancto obediat & obsequatur, sicuti per virtutes morales redditur facilè mobilis per rationem naturalem ad honestatem, & per virtutes infusas redditur obsequiosa, vt facilè moueatur à ratione supernaturaliter instructâ, prout licet colligere ex ijs quæ tradit D. Tho. 1. 2. quæst. 68. An verò realiter à virtutibus infusis, cum quibus habent affinitatem, differant, non est huius loci examinare.

27 Videbitur interim sufficere si dicamus, doni rationem supra eiusmodi virtutem importare quendam ordinem peculiarem ad Deum, vt nos mouentem, cuius motibus ac instinctibus recipiendis faciat hominem proportionatum & idoneum, vt facilè moueatur ab eo ad res diuinas siue supernaturales, prout etiam D. Tho. loco citato satis significat. Concludit autem hîc timorem itaque filialem seu castum numerandũ inter dona Spiritus Sancti, quia hic excludit peccatum & præstat quod iustus facilè secundum diuinos instinctus & motiones auertatur à peccatis quę Deũ offendunt, ac filiali affectu Deo inhęreat.

28 Quidam verò existimant, timorem vt inter dona Spiritus numeratur, sumi non præcisè pro metu mali alicuius futuri, sed pro reuerentia & religione erga Deum; quomodo apud Lucam Symeon dicitur iustus & timoratus; & in Actis dicuntur viri timorati sepeliuisse Stephanum: sed non multum interest, quia timor filialis, saltem magna pars dici potest illius reuerentiæ, & totalis submissionis erga Deum.

ARTICVLVS X.

Vtrùm crescente charitate diminuatur timor?

29 RESponsio Diui Thomæ est, Crescente charitate, crescit timor filialis, sed timor seruilis, qui quoad substantiam remansit, diminuitur.

Probatur prior pars, quia crescente causa etiam crescit effectus; timor autem filialis est quidam charitatis effectus, quia quantò quis aliquem magis diligit amore amicitiæ, tantò magis timet ei displicere, & ab illo se separare; ergo &c.

Probatur posterior pars, quia charitate in nobis crescente attendimus minus ad commoditatem propriam & ad mala quæ possunt eam impedire, sed intenti magis sumus, vt satisfaciamus & placeamus Deo per omnia: Deinde profectus charitatis, & opera bona quibus augetur, pariunt etiam quandam maiorem fiduciam de Dei erga nos beneuolentiã, & de præmijs assequendis, quæ diuinitus nobis promissa sunt; atque ita timor pœnarum minuitur, vt nec tam frequenter, nec tam vehementer sese ingerat, & nos commoueat, sed Dei bonitas & amicitia nobis obuersatur, exhacque consideratione magis magisque insistimus operibus bonis & fugimus peccata.

30 Sed obijciet aliquis charitate crescente minuitur ac remotius fit periculum mali siue peccati; ergo videtur quod etiam tum minuatur filialis timor.

Pro solutione notandum, duo esse ex quibus oritur, aut pendet magnitudo timoris, scilicet magnitudinem mali imminentis,

nentis, eiusque exactam considerationem, & magnitudinem periculi.

Respondetur itaque Neg. Conf. quia licet periculum minuatur, tamen ex altera parte crescit apprehensio, & vera æstimatio magnitudinis mali siue culpæ; crescit autem multò magis timor ex magnitudine mali, quam ex propinquitate periculi, si malum sit leuius: Quare licet periculum hîc fiat remotius, tamen quia magnitudo mali viuacius apprehēditur, & verius æstimatur, contingit quod timor filialis multò magis ex hac consideratione crescat, præsertim crescente etiam amore boni oppositi, quàm ex illa diminutione periculi possit intelligi diminui, accedente etiam eo, quod moneat Apostolus, *Qui stat, videat ne cadat:* & rursum, *Tu fide stas, time.*

ARTICVLVS XI.

Vtrùm timor remaneat in Patria?

31 CONCLVSIO D. Thomæ est: timor seruilis seu timor pœnarũ nullo modo erit in patria; timor autem filialis, sicut augetur charitate augmentatâ, ita charitate perfectâ perficietur.

Probatur prior pars, quia timor iste pœnarum totaliter ibi excluditur per securitatem æternæ beatitudinis, quæ est de ipsius ratione.

32 Sed difficultas est de parte posteriori, quomodo in patria perficiatur timor filialis, cum non superfit periculum culpæ.

Respondetur & dico primò, non illum perfici in eadem ratione actus, quemadmodum dici potest in via perfici, quando crescente charitate etiam ipse dicitur augeri: hinc D. Tho. expressè dicit, quod in patria non habebit eundem actum quem habet modò, scilicet propter rationem allegatam, quia obiectum timoris etiam filialis est malum arduum, vt possibile obuenire, quod in patria locum non habebit.

33 Dico itaque Secundò, timorem filialem in patria perfici, quia animi fuga, quâ iusti hîc malum culpæ perhorrescunt, adhuc mutabiliter, ita quod possint idem malum sub specie boni prosequi & amplecti, ibi firmabitur ex charitatis plenitudine, ita vt mutari non possit: vnde quia non attendetur amplius vt malum possibile, sed tantummodo vt odibile & detestabile, hinc nō erit fuga timoris propriè loquendo, sed fuga odij perfectissimi & detestationis. Quæ significat D. August. dum lib. 14. de Ciuit. cap. 9. ita scribit: Timor ille castus permanens in sæculum sæculi, si erit in futuro sæculo non erit timor exiens à malo quod accidere potest, sed tenens in bono, quod amitti non potest, vbi enim adepti boni amor immutabilis est, profectò si dici potest mali cauendi timor, securus est; timoris quippe casti nomine ea voluntas significata est quâ nos necesse erit nolle peccare, seu fugere & odisse peccatum, & non sollicitudine infirmitatis ne peccemus, sed tranquillitate charitatis cauere peccatum.

Remanet etiam in patria quidam timor reuerentialis, quo mentes beatæ considerantes celsitudinem & incomprehensibilitatem diuini Esse eiusque maiestatis; & è contra tenuitatem, imo nullitatẽ sui Esse, quantum ex se ipso, summâ animi dimissione Deum intuentur & venerantur, cum quadam etiam fuga curiosæ inuestigationis tantæ maiestatis, de quo timore ab antiquis accipi solet illud Iob cap. 26. *Columnæ cœli* (id est, primi & supremi Angeli, sicut Petrus & Iacobus dicuntur columnæ inter Apostolos) *contremiscunt, & pauent ad nutum eius.* 34

Differt autem hic timor à præcedente à nobis explicato, quod precedens sit propriè actus charitatis ab illa elicitus, hic verò religionis, qui tamen à charitate etiam imperatur: quod autem timor soleat pro eiusmodi reuerētiali recognitione excellentiæ & superioritatis aliquando capi, patet ex Scripturis ad Rom. 13. *Cui timorem, timorem,* id est, reuerentiam, vt exponunt D. Chrys. & Theoph. Item Luc. 7. *Accepit omnes timor*, id est, reuerentialis quædam attentio & admiratio diuinæ potentiæ aut maiestatis relucentis in Christi operibus & miraculis. 35

ARTICVLVS XII.

Vtrùm paupertas spiritus sit beatitudo respondens dono timoris?

CONCLVSIO est affirmatiua, quam ferè hoc modo declarat & probat D. Thomas: timor filialis parit in homine altam submissionem sui sub Deo, & summã eius venerationem; vnde consequitur, quod homo non quærat in seipso aut alia quacumque re magnificari præter quam in Deo; atque ita fit quod non superbiat in se, siue in suis viribus aut virtutibus, neque in externis honoribus vel diuitijs: quod vtrumque spectat ad paupertatem spiritus, quæ est exinanitio inflati & superbi spiritus, vt exponit D. August. lib. 1. De ser- 36

De sermone Domini in monte cap. 2. & 9. & fit per humilem de seipso existimationem; vel est abiectio rerum temporalium per instinctum Spiritus Sancti, quatenus hominem alioquin eleuare videtur, prout exponit S. Ambros. lib. 5. in Lucam. Ex quibus patet, quomodo paupertas spiritus sit correspondens beatitudo timori Domini; sicuti nimirum effectus suæ propriæ causæ eiusdem quodammodo rationis.

QVÆSTIO XX.

De Desperatione.

In quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm desperatio sit peccatum?

1 SVPPONO sermonem esse de desperatione opposita spei virtuti Theologicæ, vt est, scilicet de beatitudine consequenda, vel de peccatorum venia, quatenus ad illam est medium necessarium obtinenda.

Conclusio autem est affirmatiua, & probari potest primò ex Scriptura quę reprehendit desperantes. Ecclesiastici cap. 4. *Væ his qui perdiderunt sustinentiam:* ad Heb. 10. *Nolite amittere confidentiam vestram*, &c. *Patientia vobis necessaria est.* Item Cain & Iudas proditor grauissimè reprehenduntur propter suam desperationem.

Probatur Secundò, quia desperatio est principium, & quasi fons omnium peccatorum, vt significat Apostolus ad Eph. 4. *Qui desperantes*, inquit, *semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam.*

2 Probatur Tertiò ratione D. Tho. quæ sic potest formari. Omnis motus voluntatis conformiter se habens intellectui falso, est secundum se malus, quia quod in intellectu est falsum, hoc proportione quadam in voluntate est malum; Atqui desperatio est eiusmodi motus voluntatis. Confirmatur, quia desperans per voluntatem conformiter operatur ad talem de Deo existimationem, Deus peccatori pœnitenti veniam denegat, vel peccatores non recipit ad pœnitentiam & iustitiam; quæ est existimatio falsa, & malè afficiens intellectum; ergò &c. vbi hoc pro explicatione istius argumenti,

3 Notandum est, quod desperatio dicatur operatio conformiter se habens prædictæ existimationi falsæ de Deo, non quasi necessariò præsupponat semper talem opinionem aut iudicium de Deo in ipso desperante, sic enim nunquam esset sine infidelitate, cuius contrarium docet D. Tho. art. seq. sed quia est motus voluntatis correspondens, & secundum quãdam analogiam conformis eiusmodi erroneæ opinioni, à quocumque illa teneatur: & proinde sicuti huiusmodi opinio afficit malè, & vitiũ est intellectus, sic ille motus afficit malè & peccatum est voluntatis.

Sed quæri solet, Vtrùm si Deus alicui suam reprobationem reuelaret, an talis peccaret desperando de sua salute? 4

Respondetur inprimis, non id esse suaui Dei prouidentiæ consentaneum, vt alicui in via suam damnationem aperiat, tum quod sit contra diuinam pietatem, constituere viatorem in eo statu, in quo intelligat se finem suum infallibiliter non assecuturum, tum etiam, quia talis reuelatio non videtur ad aliquid esse vtilis, sed è contra esse occasio plurimorum peccatorum: vnde etiamsi fieret alicui similis aliqua diuinitus significatio, non ea tanquam absoluta prædictio, sed vt comminatoria & conditionata esset accipienda. Sicuti illud Ionæ cap. 3. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*, nisi videlicet pœnitentiam egerit, & illud Christi ad Pharisæos Ioannis 8. *Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris*; quod ex subiunctis constat; addit enim quasi prius explicans: *Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Sed supposito tamen quod alicui euidenter & certò diuinitus constaret de sua reprobatione,

Dico Secundò, quod poterit talis licitè desperare negatiuè, siue non sperare salutem, quia non tenetur habere spem consequendi, quod ex diuina assertione nouit se non adepturum: non poterit autem idcirco nolle & repudiare beatitudinem, siue summi boni ac Dei possessionem, quia hoc esset Deum, vt summum bonum creaturæ rationalis, contemnere aut vili facere, imo tenebitur etiam amore concupiscentiæ amare, & sibi velle seu desiderare, 5

potest enim hic affectus esse & haberi, quãtumuis assecutio finis vltimi de facto putetur impossibilis, aut saltem infallibiliter non obtinendus. Quare obligatio amandi ac desiderandi sibi finem illum non cessabit, & eatenus desperatio est intrinsecè mala, quatenus procedit ex animi auersione, qua quis nolit, aut repudiat beatitudinem in diuina visione consistentem; non autem vt est tantùm negatio actus spei, aut voluntas, quâ quis non velit sperare, quando obiectum est illi impossibile vt aliquando illud assequatur.

6 Dico Tertiò: non poterit quoque talis omittere ea, que sunt præcepta, vel facere quæ sunt prohibita; quia non licet propterea peccatũ aliquod committere: imò tenebitur omnia alia facere (præterquam actum spei modo dicto habere) sicuti alij homines; quia tametsi nouerit quod finem non assequetur, tamen debet simul agnoscere illud futurum culpâ ipsius, quam tenetur nihilominus vitare, quia nisi dicatur obligatus vitare, culpa non esset.

ARTICVLVS II.

Vtrùm desperatio sine infidelitate esse possit?

7 CONCLVSIO est affirmatiua. Probatur, quia cum iudicio generali quo quis iudicet in Ecclesia esse remissionem peccatorum, iuxta symbolum, potest admittere actum desperationis, quod sibi in tali statu existenti non sit sperandum de salute, aut de peccatorum venia obtinenda, idque propter vitiatum iudicium circa particularia, vt v. g. inprimis, quia ex coniecturis aliquibus apprehendit firmiter se esse reprobum, aut sibi propter multiplicata vel reiterata peccata & ingratitudinem suam, non offerendum amplius auxilium diuinum, quo ad veram pœnitentiam, & iustitiam queat peruenire; vel denique quod animo despondeat propter inueteratam & vehementem peccandi cõsuetudinem, ita vt tœdium concipiat repugnandi contra suas malas passiones ac tentationes; vnde contingat quod de salute desperet.

ARTICVLVS III.

Vtrùm desperatio sit maximum peccatum?

8 CONCLVSIO Prima: Desperatio est peccatum maius quã vllum quod opponatur virtutibus moralibus, vt Temperantiæ, Fortitudini, & similibus. Ratio est, quia directiùs desperatio auertit à Deo; sicuti enim spes immediatè tendit in Deum tanquam summum bonum nostrum, ita desperatio directè ab eo recedit, nolens ad tantum bonum contendere & conari. Itaque in desperatione auersio à Deo est directè volita: in peccatis autem, quæ sunt contra virtutes morales, quasi indirectè & secundariò tantùm est volita: consecutiuè enim per ista auertimur à Deo, quando volumus inhærere bonis creatis, quæ nobis interdixit, atque ea præferimus ita eius voluntati & amori. Quod discrimen D. Tho. art. præc. ad primũ, statuit generaliter inter peccata contra virtutes Theologicas, vtpote quæ omnes versantur proximè circa Deum, & inter peccata contra virtutes morales, quę proximè circa aliam materiam versantur.

CONCLVSIO Secunda: Desperatio 9
secundum se, est minus peccatum, quam odium Dei aut infidelitas, siue hæresis; est tamẽ desperatio homini periculosior. Loquimur autem de desperatione per se sumptâ, quæ non oritur scilicet ex odio Dei, aut ex infidelitate, sed ex tœdio aut difficultate assequendi finem, aut ex simili occasione.

Probatur prior pars: & de odio quidem Dei satis constat, quia directissimè repugnat diuino Esse, & omnibus eius bonis, quia sicut charitas congaudet Deo de Esse ipsius, & de omnibus eius bonis & perfectionibus, eaq; quam maximè illi tanquam dilecto suo vult & optat, ita è contra odiũ tristatur de bonis & virtutibus Dei, vt ipsius sunt, & vellet ea in nihilum concidere: vnde patet grauissimum esse peccatum.

De infidelitate probari potest: quia per hanc infertur Deo iniuria, dum quis se à veritate illius auertit, nolens admittere testimoniũ eius, & ea quæ de Deo per ipsum reuelata sunt. Per desperationem autem, saltem illam quæ ex quadam acedia vel animi abiectione nascitur, non ita directè & expressè auertit quis se à Deo, quia hæc neque expressè & formaliter reijcit Deũ, vt summum bonum nostrum, neque negat diuinam potentiam & misericordiam: sed tantùm negat aut diffidit se finaliter ipsius fore consortem, aut participem, prout in Corp. hîc docet D. Tho. & de hac sola videtur ille resoluere suum articulum. 10

Vnde adhuc quæri potest: Quid dicendum foret: de Desperatione, quæ nascetur ex contemptu expresso beatitudinis cœlestis, quæ in Dei contemplatione ac possessione quâdam consistit? 11

11 Ad quod breuiter respondendum videtur, eiusmodi desperationē esse peccatum grauius, nō quidem odio de quo diximus, sed tamen infidelitate: tum quia eiusmodi desperatio videtur semper infidelitatem habere coniunctam: tum etiam, quia actus infidelitatis est culpabilis ratione voluntatis, quâ quis non vult credere: quæ voluntas non tam proximè Deū respicit, quàm voluntas desperationis, quâ quis auersatur summum & increatum bonum, pro nihilo illud ducens.

Probatur altera pars conclusionis, scilicet quod desperatio, etiam prioris generis periculosior sit homini, quia qui desperant, solent laxare fræna omnibus vitijs: nihil enim est quod ipsos auertat à
12 malo & conuertat ad bonum, non timor, non amor, non præmium, non supplicium, iuxta illud Ieremiæ 18. *Desperauimus, post cogitationes enim nostras ibimus, & vnusquisque prauitatem cordis sui mali faciemus.* Vnde & Apostolus ad Eph. 4. sic scribit: *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ*, &c. vel certè si etiam in vitijs incipiant pati tœdium aut molestiam, tunc sesei psos facilè internecioni tradunt, & in mortem præcipitant.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm desperatio ex acedia oriatur?

Respondetur nasci interdum ex luxuria & voluptatibus carnis, quibus fit, vt animus planè carnalis effectus non æstimet bona cœlestia, tanquam ardua & digna ad quæ contendatur per dura & difficilia, & sic nolit pro illis laborare, nec ad ea intendere: Aliàs verò propriè nasci ex acedia & torpore animi refugientis labores bonorum operum, tanquam nimis graues & difficiles. Vult itaque S. Tho. desperationem potius, & magis propriè dici oriri ex acedia, quam ex luxuria, eo quod etiam aliæ affectiones versentur circa bonum vt arduum, & proinde defectus circa illud, non ita præcisè spei per se opponatur: sed spes peculiariter respiciat bonum, præterea vt possibile. Vnde ex eo magis propriè debet dici desparatio nasci, quod causat vt obiectum reputetur quasi impossibile, quod acedia efficere solet: quàm ex illo quod causat, vt obiectum non æstimetur pro sua dignitate, & tanti prout æstimari debet, quod facit aliquando luxuria. 13

QVÆSTIO XXI.

De Præsumptione.

In quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm præsumptio innitatur Deo, an propriæ virtuti?

1 Observandum est, nomen præsumptionis multis modis accipi; ac interdum quidem pro actu intellectus, scilicet pro iudicio aut coniectura de intentione, aut voluntate alterius circa aliquod eius dictum aut factū: quæ acceptio frequens est apud Iurisperitos, qui distinguere solent triplicem eiusmodi præsumptionem, scilicet violentam, probabilem, & leuem.

Secundò sumitur pro actu voluntatis in bonam partem aliquando, scilicet pro spe validâ: Sic Iudith 6. dicitur: *Ostende quoniam non derelinquis præsumentes de te*: & cap. 9. *Exaudi me miseram deprecantem, & de tua misericordia præsumentem.*

Tertiò sumitur pro actu voluntatis in malam partē; & generaliter non est aliud, quàm motus voluntatis quo quis se extendit ad id, quod est supra eius potestatem: quod dupliciter contingit: scilicet vel extendendo se supra potestatem iuris & debiti: vel extendendo se supra vires præstandi, vel exequendi. Si priori modo fiat, tunc præsumptio talis consistit in hoc, quod cognitâ lege, aut voluntate Superioris velit quis nihilominus contrarium facere: iuxta quam acceptionem in Iure & Canonibus sæpius dicitur: si quis contra facere præsumpserit. Et huiusmodi non videtur speciale peccatū, sed circūstantia quæ potest generaliter omni peccato obuenire, & illud aggrauare. Si posteriori modo fiat, tunc consistet in eo, quòd quis vult facere, 2

cere, ea virtutis opera siue intellectus, siue appetitus, aut etiam roboris naturalis, ad quę exequenda non sufficienter est instructus, neque vires habet sufficientes: & huiusmodi præsumptio vagari potest per omnes materias virtutum moralium, in quibus quis potest excedere, & velle ea quæ potestatem eius excedunt: de qua potest intelligi, quando ipsa in operibus magnificis versatur, id quod habet D. Tho. in Corp. præsumptionem scilicet quandã opponi magnanimitati.

3 Quartò sumitur magis specialiter pro vitio opposito spei Theologicæ: vt scilicet dicit quandam immoderantiã huiusmodi spei: & de hâc proponitur articulus. Respondet D. Tho. quod circa spẽ, quâ aliquis inhæret diuinæ potentiæ, potest per immoderantiam esse præsumptio in eo, quòd tendat in bonum aliquod, vt possibile per virtutem Dei & eius misericordiam, quod possibile non est: sicuti dum aliquis sperat veniam obtinere absque pœnitentiâ, aut gloriam cœlestem sine bonis operibus consequi.

4 Ex quibus potest colligi præsumptionẽ spei oppositam inniti Deo: sed modo indebito, quatenus de Dei potentiâ & misericordiâ inordinatè quis exspectat diuina bona: quę quidem Deus potest & vult homini conferre, sed non taliter, neque eo modo, sicuti temerè expectantur. Huiusmodi itaque præsumptione laborare constat sectatores Lutheri & Caluini, qui pœnitentiam & merita, tanquam inutilia & minimè necessaria ad peccatorum remissionem, & salutẽ consequendam, reijciunt.

5 His addo, quod præsumptio spei opposita possit etiam inniti propriæ virtuti, vt quando quis existimat se posse, & contendit assequi peccatorum veniam, & æternam beatitudinem solis humanis viribus: quia non minus contra debitam formam & modum sperandi est, quod quis sine auxilijs & misericordia Dei prætẽdat viribus suis peruenire, & apprehendere brauium illud cœleste, quàm quod speret per Dei misericordiã ad illud pertingere sine pœnitentiâ & bonis operibus: quia vtrobique intenditur beatitudo ijs modis & medijs, quibus ea nobis possibilis non est. Hâc autem posteriori præsumptione laborarunt Pelagiani, qui negabant gratiam Christi ad salutem esse necessariam.

6 Sed hic quæritur, an vtraque hæc præsumptionis species semper habitum spei expellat?

Respondetur, quando quis præsumit consequi veniam, & salutem vel solis naturæ viribus, vel solâ Dei misericordiâ absque pœnitentiâ & bonis operibus, semper amittit habitum spei. Idque duplici de causa, Primò, quia talis persuasio aduersatur fidei, & eam excludit sine qua non potest consistere habitus spei. Secundò, quia modus tendendi illius præsumptionis in obiectum est contrarius modo qui debetur spei: sicuti velle immoderatius, & sine mensurâ commedere est contrarium temperãtiæ, quæ inclinat ad velle cõmedere secundum debitam mensuram. Quare per formalem & expressam istiusmodi præsumptionem redditur homo indispositus, & quodammodo incapax ad sperandum: & sic per modum contrariæ dispositionis euertit habitum spei, si non physice, saltem moraliter, quatenus ille actus peculiariter meretur amissionem illius habitus: quia directè aduersatur modo & medio quibus spes debet inniti, vt obiectum in quod tendit, assequatur.

Quando verò præsumptio talis est, vt non ita contrarietur viæ & rationi assequendi bonum speratum: sed excedit in modo, qualis interdum in peccatoribus plurimùm addictis ad vitia sua, solet existere, qui nolentes adhuc mutare malam vitam, nihilominus securè sperant salutem, persuadentes sibi quòd in fine vitę dabitur eis vera pœnitentia, & peccatorum remissio, tunc non necessariò excluditur virtus spei: quia peccatum est in ordine suo aliquatenus imperfectũ: neq; enim hi intendunt nec sperant salutem consequi sine pœnitentia absolutè: sed cum serâ pœnitentiâ, quam ad extremum diem vitæ, prętendũt saltem agere, & sic per eam saluari. Quod licet fieri possit, & interdum fiat, tamen rarò accidit: estque temerarium & præsumptuosum firmiter sibi eiusmodi pœnitentiam polliceri, & sic securè salutem sperare. 7

ARTICVLVS II.

Vtrùm præsumptio sit peccatum?

CONCLVSIO est: Præsumptio est peccatum, minus tamen quàm desperatio. Probatur prior pars: quia vt supra dictum est, omnis motus voluntatis conformiter se habens intellectui falso, est secundum se malus & peccatum: atqui præsumptio, de quâ agimus est talis. Confirmatur, quia conformiter se habet ad huiusmodi intellectum, quòd in peccato perseuerantibus Deus det veniam, & à bono opere cessantibus largiatur suam gloriam, vel quod naturę viribus beatitudo acquiri possit: ergò &c. 8

Probatur altera pars: quia Deo magis proprium eſt miſereri & parcere, ac homini benefacere propter ipſius infinitam bonitatem, quàm caſtigare & punire: Iſtud enim Deo ſecundum ſe, & ex ſe conuenit: hoc autem ſolùm ſecundum peccata noſtra, quibus ad id prouocatur: ergo grauiùs delinquit qui contra prius peccat, vti facit deſperans, quàm qui contra poſterius, vti facit præſumptuoſus.

9 Sed hîc quæri poteſt: Vtra præſumptio ſit grauior: An ea quâ quis nititur proprijs viribus ſine gratiâ Dei, eiuſque auxilijs: An ea quâ quis ſolâ gratiâ & miſericordiâ ſine pœnitentia, & bonis operibus ſperat ſalutem?

Diuus Thomas hîc ad Secundum, indicat poſteriorem eſſe grauiorem: Quia, inquit, virtutem diuinam diminuit ſperando, vt Deus faciat id quod ei nõ conuenit facere: peius autem eſt virtutem diuinam imminuere, quam ſuam extollere.

10 Alij tamen aliter ſentiunt: Idque inprimis quia qui proprijs viribus contendit cœleſtem beatitudinem aſſequi, contemnit aut negligit Chriſti redemptoris gratiam, & Dei auxilia nobis indebita & ſupernaturalia. Deinde non minor apparet blaſphemia, ſi quis dicat: non indigeo Chriſti redemptione, & ſupernaturalibus auxilijs, vt ſaluus fiam: quàm ſi dicat, nõ egeo bonis operibus & pœnitẽtiâ: ſed mihi ſufficit Chriſti meritum. Deniq; iſta præſumptio de viribus proprijs, diminuit æſtimationem ſummi boni increati, quod ſperamus: quia multum de eius æſtimatione diſcedet, ſi tale ſit, vt vires noſtras naturales non ſuperet: Vnde inferri poſſet & naturaliter nos ad illud habere proportionem, & naturaliter nobis deberi: quæ omnia excellentiam tanti boni multùm imminuunt.

ARTICVLVS III.

Vtrùm præſumptio magis opponatur timori quam ſpei?

CONCLVSIO D. Thomæ eſt. Præſumptio directiùs opponitur ſpei, quã timori: quia præſumptio & ſpes conueniunt propinquiùs ſub eodem genere. Vtrumque enim reſpicit idem obiectum (inquit D. Tho.) cui innititur ſcilicet diuinã bonitatem & virtutem: ſed ſpes ordinatè: præſumptio autem inordinatè. 11

ARTICVLVS VI.

Vtrùm præſumptio cauſetur ex inani gloria?

CONCLVSIO D. Thomæ eſt: præſũptio quæ propriæ innititur virtuti, naſcitur ex inani gloriâ: quia attentare noua ſupra vires ſuas ponitur à D. Gregorio lib. 31. moral. cap. 31. inter filias inanis gloriæ: præſumptio verò quæ inordinatè innititur diuinæ miſericordiæ vel potentiæ, videtur directè naſci ex ſuperbiâ quâ tanti ſe æſtimet, quod etiam eum peccantem Deus non puniet, vel à gloria excludet. Vide vtrumque articulum apud D. Thomam latiùs explicatum. 12

QVÆSTIO XXII.

De Præceptis pertinentibus ad ſpem & timorem.

In duos Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm de Spe debeat dari aliquod præceptum?

1 DISTINGVIT D. Tho. præcepta, in ea quæ ſunt de ſubſtantia legis, videlicet poſitiuè à Deo latæ, & in ea, quæ ſunt præambula ad legem.

Prioris generis ea ſunt, quæ ordinantur ad hominem iam capacẽ & diſpoſitum ad ſuſcipiendum præceptum: ſicuti ſunt præcepta in Decalogo expreſſa.

Poſterioris autem ſunt, quæ verſantur circa talem materiã, vt prius debeant homines illam admiſiſſe & acceptaſſe, quàm ſint diſpoſiti ad præcepta capienda: quæ idcirco dicuntur præambula ad legem. Et huiuſmodi dicit D. Thomas eſſe præceptum fidei, & præceptum ſpei, quia non exiſtentibus fide & ſpe non poterunt alia

præcepta locũ habere; debent enim prius homines per actum fidei recognoscere Legislatorem Deum, & credere eum talem, cui in omnibus se debeant subdere, antequam induci possint ad suscipiendum mãdatum, & illud exequendum: Ad quod acceptandum similiter per spẽ pręmiorum ab initio induci debent.

2 Responsio itaque Diui Thomæ habet: quòd pręceptum exstet de spe Christianâ: quod tamen ab initio non fuit proponendum in lege per modum præcepti: sed quemadmodum pręceptum fidei fuit proponendum per modum annuntiationis & instructionis, vt supra quęst. 16. artic. 1. docuit. Ita etiam pręceptum Spei in prima Legislatione proponendum fuit per modum promissionis: Et hinc multæ reperiuntur in lege promissiones, quę spem generant: quando enim obtemperantibus legi præmia promittuntur, spes in animis audientium excitatur, & hoc modo ab initio homines ad spem inducendi fuerunt: sed lege iam impositâ & receptâ conueniens fuit, vt quæ per denuntiationem, & per adiunctas promissiones sunt credita & sperata; tunc proponantur etiam ex mandato credenda & speranda; atq; ideo in Scripturis post primam Legislationem inducuntur homines multipliciter ad sperandum, etiam per modum admonitionis vel pręcepti, inquit D. Thomas, & non tantùm per modum promissionis, vt Psal. 4. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.* Psalm. 61. *Sperate in eo omnis congregatio populi.* ad Hebr. 10. *Teneamus spei nostræ confessionem.* Item: *Nolite amittere confidentiam vestram*, & similia passim in Scripturis occurrunt.

3 Sed petet aliquis: Pro quo tempore pręceptum Spei obliget?

Respondetur dupliciter posse contingere, vt teneamus ad actum spei exercendum: Primò ratione alterius virtutis, cuius pręceptum pro tunc obliget, quam tamen absque spe exercere non valemus; vel ratione periculi peccandi, quod etiam subterfugere absque exercitio spei naturæ diffidimus: & tunc obligatio spei concurret quoties pręceptum talis virtutis, aut occasio periculi sic vitandi sese offeret. Secundò possumus ad spem teneri ex proprio eius præcepto, vt videlicet obligemur per se; & ratione propriæ virtutis, quod licet nonnulli existiment nunquam contingere, contrarium tamen est longè verius:

4 Probatur, quia summum & diuinum illud bonum, quod Deus est, requirit vt illud nobis desideremus & affectu amoris in illud tendamus, & vt accedentibus diuinis promissis & auxilijs idem speremus, & efficaciter consequi contendamus; hoc enim ad quandam æstimationem summo bono & diuinæ benignitati nobis opitulari, ac illud elargiri præparatæ debitâ pertinet, & illud nunquam facere, censetur quidam contemptus ac neglectus culpabilis tanti boni nobis oblati ac promissi, tantæque benignitatis diuinæ erga hominem; ergò &c.

Confirmatur primò, quia alioqui obligatio sperandi non nasceretur propriè ex aliquo pręcepto spei, sed tantùm ex præceptis aliarum virtutum, ob quarum exercitium fit actus spei necessarius; ac proinde omissio huius actus non esset tam speciale peccatum contra spem, quàm contra pręceptum illius virtutis, propter quam oportebat elicere actum spei, v. g. propter pænitentiam, vbi debet concurrere spes veniæ. Quando enim obligatio faciendi opus vnius virtutis solùm oritur ex necessitate alterius, tunc malitia, quæ est in omissione operis illius prioris, magis est cõtra pręceptum virtutis alterius, quam vt dici debeat nasci ex pręcepto aliquo huius operis: vt quando quis tenetur confugere ad orationem, vt superet tentationem, v. g. carnis, vel odij proximi, omissio orationis erit contra pręceptum, Non fornicaberis, aut diliges proximum sicut te ipsum; non contra pręceptum Orationis propriè loquendo. 5

Confirmatur secundò, quia fides, quæ maximè videtur esse propter alias virtutes, vtpote earum fundamentum, aliquando obligat ratione sui, vt supra docuit Diuus Thomas; ergò etiam spes.

6 Quòd itaque ad tempus attinet pro quo obliget præceptum spei secundum se, videtur rectè dixisse Bannesius illud obligare, quando quisque in proprio vsus rationis fuerit Dei gratia illuminatus, circa supernaturalem beatitudinem, ita vt debeat tunc elicere actum spei circa eandem. Deinde addo, adhuc sæpius obligari ad idem pręstandum, & quidem toties, vt moraliter æstimando non possit quis censeri pro nihilo ducere, aut paruipendere tantum diuinum bonum, tam liberaliter à Deo nobis promissum & paratum: vnde expedit sæpius cum Psalmista ad illud suspirare & dicere: *Quando veniam & apparebo ante faciem Domini*, &c. *Fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte*, &c. & rursum: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm de timore fuerit dandum aliquod præceptum?

7 RESpondet DiuusThomas cum distinctione timoris: & quidem de timore seruili dicit idem quod de spe, sicuti in prima Legislatione scil. fuit dandum præceptum Spei per modum promissionis ad hominem inducendum, vt Legem susciperet: Ita de timore seruili fuisse proponendum præceptum, per modum comminationis: sed sicut postea ad stabiliendos homines in obseruantia legis, Sapientes & Prophetæ documenta tradiderunt de spe per modum admonitionis & præcepti: Ita etiam de timore ad eundem finem, fuisse factum.

Vbi tamen hoc notandum est; Præceptum huius timoris non videri vnquam obligare purè & merè per se, sed tantùm quatenus timor iste necessarius est ad obseruandã alia mandata, vel vt quis ad viam iustitiæ reuertatur: nõ enim sicuti dignitas sũmi boni nobis promissi & liberalitas Dei illud offerẽtis postulãt, vt ad id aspiremus, ita seueritas eius exigit, vt timeamus, nisi quatenus id necessarium est ad firmam adhæsionem & coniunctionem cum illo: vnde timor iste in patria cessabit, vt suprà diximus. Quod autem ad timorem filialem attinet, quia ad Dei dilectionem & reuerentiam pertinet, hinc sicuti in Lege datum est præceptum de dilectione, ita etiam de timore illo datum ibidem esse intelligitur. 8

QVÆSTIO XXIII.

De Charitate.

In octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Charitas sit amicitia?

1 OBSERVANDVM Primò: Nomen Charitatis perpetuò penè in Sripturis sanctis, & apud Ecclesiasticos scriptores capi in bonam partem, & significare amorem honestum, & supernatulem, eiusue principium, quod est habitus quidam animæ: ac peculiariter illum amorem, quo Deũ super omnia diligimus. Hoc etiã satis commune est nomini dilectionis, vt in meliorem partẽ ordinariè capiatur: Non ita nomini Amoris, quod indifferenter in vtramque, aut fortè sæpius in malam partem accipitur. Vnde Origenes in Prologo ad Cantica Cantic. annotat Scripturam libentiùs nominibus Charitatis & dilectionis, quàm amoris vti.

2 Obseruandum Secundò: Quanquam multùm sit affinitatis in significatione nominis charitatis, & nominis dilectionis, vt etiam ex prima Epistola Diui Ioannis apparet, tamen adhuc aliquid esse differentiæ, quod scilicet charitas frequentiùs vsurpetur pro virtute, seu habitu: non ita dilectionis nomen: quod sæpius pro actu illius virtutis sumitur. Deinde nomen dilectionis non videtur quoque sic importare rationem amicitiæ: quemadmodum de Charitate docet D. Thomas hoc artic. Vnde & amori adhuc imperfectiori, quo primùm incipimus erga Deum, aut res diuinas affici, potest nomen dilectionis attribui, quanquam nondũ excreuerit ad eam perfectionem & fortitudinem, vt sæculi cupiditatem euincat. Et ideo D. Bernard. lib. De natura & dignitate diuini amoris, dicit quod Charitas sit quidam amor perfectus, & illuminatus; Iam, inquit, amor incipit confortari & illuminari, & transire in affectum, & nomen maioris virtutis & amplioris dignitatis: amor quippe illuminatus charitas est. His positis sit

CONCLVSIO Vnica: Charitas est amicitia hominis cum Deo. Ita D. Thomas & communiter alij. Et quidem ex Scripturis manifestè cõstat inter homines & Deum, quandam intercedere amicitiã: De Abraham enim dicitur Iudith 8. quod *per multas tribulationes probatus Dei amicus effectus est*: & Ps. 138. *Mihi autẽ nimis honorificati sunt amici tui Deus*: & Ioan. 15. dicit Christus ad Apostolos: *Vos autem dixi amicos*. Quod autem hæc amicitia ex parte hominis fundetur in charitate, siue sit ipsa charitas, Probatur primò ex illis Christi verbis: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*. Ioannis 15. Charitas enim est, quæ facit nos 3

nos facere, quæ Deus præcipit, & facit nos eius legem adimplere. Vnde ad Rom. 13. dicitur, plenitudo Legis esse dilectio: ergo hęc etiam fundamentum erit amicitiæ hominis cum Deo.

4 Probatur Secundò, ex diuersis amicitię proprietatibus, quæ charitati conueniunt, quarum tres recenset hic D. Thomas: & plures alias D. Ambr. lib. 3. De Officijs, cap. vltimo: sicut & Philosophus lib. 8. Ethycorum.

5 Primo autem loco requirit D. Thomas hîc ad amicitiam, quod debeat esse amor beneuolentiæ: est namque amor ad alterum suppositum non quodcumque: sed suppositum rationale siue intellectuale, quod aptum sit beneuolētiâ quâdam amari, & ipsum amorē percipere ac intelligere. Vnde licet, contingat amari res inanimes, vt cibum, potum, aurum; vel etiam res animatas irrationales, vt equos, canes, nemo tamen amorem illum dixerit esse amicitiam: quia non est amor ille beneuolentię: nō enim istiusmodi in ipsorū bonū, sed in nostrum commodum, aut voluptatem duntaxat amamus.

6 Secunda conditio est: quod amicitia requirat mutuum amorem beneuolentiæ: hoc enim ipsum nomē importat: nam amicus ad amicum essentialiter dicit ordinē.

7 Tertia conditio requirit: vt sit quædam communicatio inter amicos, super qua nimirum fundetur ista beneuolentia mutua: & quidem ad veram amicitiam homine dignam, necesse est, vt hæc communicatio sit in bono honesto: v. g. in doctrinâ, in virtutibus, aut similibus honestis studijs: Inclinatiores enim affectus in se inuicem fundati solùm in communicatione boni vtilis, aut iucundi, nomen amicitiæ non merentur: vti etiam antiqui Philosophi censuerunt: In istis enim vix reperitur purus amor beneuolentiæ: neq; enim tam amicus diligitur, quam propria vtilitas, aut voluptas.

8 Quarta est: vt alter alterius voluntati facile obsequatur, & satisfacere studeat, atq; adeo vt inter ipsos sit animorum vnitas. Vnde de amico dici solet, quod sit Alter ego: aut Dimidium animæ amici.

Quinta: quod amicitia faciat amicos sibi mutuo communicare sua secreta, quod consequitur ad animorum vnitatem.

Sexta est: quod non patiatur diuturnam amicorum à se inuicem absentiam.

9 Quod verò hæ proprietates in charitatē quadrent, declaratur: ac de prima quidem, quia charitati proprium est, quod non quærat quæ sua sunt, vt dicitur 1. ad Corinth. c. 13. sed quæ sunt Dei, & proximi. Hinc ad Rom. 14. dicitur: *Si enim propter cibum frater tuus contristatur: iam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Vnde patet, quod charitas sit sollicita de ijs, quę sunt Christi, & fratrum suorum plus quàm de suis commodis. Et Apostolus ad Ephes. cap. 1. Charitate flagrans gaudet; quod Christus annuntietur, eiusq; fides crescat, ac dilatetur; quantumuis id fieret ab illis, qui ex inuidia intendebant Apostolo iam vincto in carcere maiores pressuras, & difficultates suscitare: Constat igitur charitatem esse beneuolentiæ amorem hominis erga Deum.

De Secundâ ostenditur similiter, quia viciſsim Deus amore beneuolentiæ diligit diligentes se: Ioannis c. 14. *Qui diligit me* (inquit Christus) *diligetur à patre meo: & ego diligam eum:* est ergo mutuus beneuolentiæ amor, vbi charitas Dei in homine reperitur. 10

Dicet aliquis: Amat nos Deus in ordine ad se: *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus:* vt dicitur Prouerb. 16. Non videtur ergo Deus nos amare amore beneuolentiæ, sed magis concupiscentiæ. 11

Resp. Neg. Conseq. Quia amare nos Deus dicitur in ordine ad seipsum, non quasi in suum commodum, vtpote qui neque nostri, neque bonorum nostrorum indigus est: sed in ordine ad se, tanquam ad finem nostrum ad quem ordinati sumus, vt in eo nobis bene sit, & in quo solo possumus esse beati: iste amor autem ex parte Dei erga nos est summæ beneuolentiæ: neque enim amor beneuolentiæ excludit, quo minùs bonum amici & ipsa amicitia referatur ab amante in suum debitum finem: imò vt ordinatus sit, omninò hoc includit.

Declaratur quod etiam tertia proprietas charitati conueniat: qui enim charitatem habet, communicat cum Deo, inprimis in quâdam participatâ diuinitate, ita vt dicamur diuinæ consortes naturæ. Deinde in virtutibus & affectibus bonarum & spiritualium actionum: Deus enim suas virtutes elargitur homini in iustificatione iuxta eius capacitatem; & inclinat ad sancta studia, quæ Deus amat, vt quæcumq; sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumquæ bonæ famæ, si qua laus disciplinæ, hæc cogitet, hæc meditetur, & his mente & affectu inhæreat, iuxta monitionem Apostoli ad Philip. c. 4. atq; ita maxima quædam ac perfecta est communicatio inter Deum & hominem charitate præditum: quandoquidem ista communicatio versetur in bonis altioris ordinis, scilicet supernaturalibus 12

& diuinis: Ita vt Ioan. 1. epistolæ cap. 3. scribat: *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus.* Hinc etiam amicitia in ea fundata est superioris & altioris ordinis, quam amicitia omnis humana, licet etiam fundata in studijs secundum rectam rationem naturalem honestis.

13 De Quarta conditione probatur: quia charitas semper ad Deum orat: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra:* ac libenter Dei sermonem & voluntatē explet, iuxta illud Christi Ioannis 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Imò hoc tanquam certissima nota ponitur à Diuo Ioanne 1. epistolę cap. 2. ita scribens: *Qui autem seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* Et è contra quoque facit Deus voluntatem timentium se: vt habetur Psalm. 144. atque adeo facit charitas ex duobus quodammodo vnum. Vnde Apostolus ad Gal. 2. sic loquitur: *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus:* & 1. ad Corinth. c. 6. *Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est:* & D. Ioan. 1. epistolæ cap 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

14 De Quinta ostenditur: quia viri iusti & sancti omnes infirmitates, necessitates, & secreta cordis sui apud Deum expromunt, iuxta illud Dauidis Psalm. 141. *Effundo in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* Similiter Anna 1. Reg. cap. 1. respondet sacerdoti Heli qui eam ebrietatis arguebat: *Non bibi* (inquit) *sed effudi animam meam in conspectu Domini.* Vicissim quoque sua communicat Deus Sanctis suis: iuxta illud Christi Ioan. 15. *Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit quid faciat Dominus eius: vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audiui à patre meo, nota feci vobis:* & Ioan. c. 14. *Et ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum:* & Genes. 18. dicit Dominus: *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?*

15 Sexta denique conditio conuenit quoque charitati: quia per hanc conuersatio nostra est in cœlis, vt habet Apostolus ad Philip. cap. 3. Qui autem eam ignorarunt, dixerūt sicuti Chaldæi Danielis capite 2. Deorum conuersationem nō esse cum hominibus: aliter autem loquitur Christus Ioannis cap. 14. *Et pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

16 Sed contra Conclusionem obijcitur primò: Præter conditiones amicitiæ recensitas requiritur etiam quædam æqualitas inter quos amicitia coalescere debet, adeo vt inter admodum inæquales non videatur posse consistere. Hinc quidam Philosophi, amicitiam dixerunt esse æqualitatē: & solent Reges eleuare & nobilitare eos, si quos inferioris alioquin conditionis velint ad suam amicitiam recipere: atqui est extrema inæqualitas inter Deum & homines: vnde etiam Philosophus expressè negauit hominis ad Deum posse esse amicitiam: ergò &c.

Respondetur duplex distingui amicitię genus, vt habet Philosophus li. 8. Eth. c. 7. vnū æqualitatis; & alterū supereminentię. Prioris generis est illa, qualis v. g. inter conciues aliquot reperitur, quorum nullus alteri aliquid debet, nec vnus ab altero est dependens. Posterioris autē generis est illa, qualis intercedit inter dominū & vasallum; inter patrem & filium. Quãuis autem ad neutrum amicitię genus fundandum inueniatur sufficiens proportio inter hominem secundum sua pura naturalia, & Deum, tamen inter illum, vt diuinis virtutibus & donis spiritualibus eleuatum, atque adeo diuinæ naturæ consortem participatione quadam effectum omnino reperitur sufficiens proportio ad fundandam amicitiam posterioris generis, quæ admittit alteram partem simpliciter esse maiorem: sed requirit tantùm aliquã æqualitatis proportionem: quæ hic sufficienter adest per diuina munera, quibus homo sublimatur. Vnde Christus suos Apostolos & amicos, & fratres dignatus est vocare: quæ quia Philosophi ignorarunt sicut & illud quod ad seipsum Deus hominem ordinasset tanquam ad finem cuius visione & fruitione esset beatificandus, mirum non est, eos quoque amicitiã hominis cum Deo negasse. 17

Obijcitur Secundò: Amicitia est mutua beneuolentia non latens, vt docet Philosophus lib. 8. Ethic. cap. 2. Si namque duo sese diligant, & alter alterius amorem nesciat, neque diligendo intendat vices reddere alterius amori, non erit propriè amicitia: sed fortuita amoris reciprocatio: atqui nos nescimus, an Deus nos diligat, & vtrum nos illum diligamus prout oportet ad amicitiam: ergò non potest esse ibi amicitia. 18

Respondetur Neg. Subsumptū: quamuis enim nemo absolutissimâ certitudine sciat, vtrum amore an odio dignus sit, tamen id probabiliter satis ex multis signis & coniecturis cognoscere licet, quantum sufficit ad amicitiæ rationem: nam etiam inter homines videmus alterum non posse esse omnino certissimum de alterius mutuo beneuolentiæ affectu; sed id quoque ex signis & coniecturis tantùm cognosci. Quomodo autem cognitionem habeamus & qualem de dilectione Dei erga nos, & vicissim de nostra erga Deum, latius explicuimus 1. 2. quæst. 112. art. 5. 19

Obijcitur

20 Obijcitur Tertiò: Charitas etiam se extendit ad peccatores, & inimicos, hi autem non redamant amore beneuolentiæ; ergò charitas non est amicitia.

Respondetur Neg. Conseq. quia dicimus eam esse amicitiam hominis cum Deo: & quãuis eatenus nos moueat ad amanda omnia, quæ à nobis amari Deus vult, & acceptum & gratum habet, non tamen dicimus amorem hunc, prout ad quælibet ista se extendit, obtinere rationem amicitiæ in ordine ad ista, sed tantùm in ordine ad Deum, ex cuius respectu illa diligimus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm charitas sit aliquid creatum in anima?

21 CONCLVSIO D. Thomę est: maximè necesse est, quod in nobis ad charitatis actum existat aliqua habitualis forma superaddita potentiæ naturali: & proinde charitas est aliquid creatum in anima. Est contra Magistrum lib. 1. Sent. dist. 17. qui existimauit actum charitatis quo Deum diligimus, non mediante aliquo habitu supernaturali, quemadmodum alij actus virtuosi, vt fidei, spei: sed proximè à Spiritu Sancto produci, ipso agente & supplente partes omnis principij supernaturalis: idque propter excellentiam tanti actûs.

22 Sed probari potest Cõclusio primò per omnes illas authoritates, tum Scripturæ, tum Conciliorum, & Patrum, quibus 1. 2. quæst. 110. art. 1. & 2. ostendimus gratiam sanctificantem esse quid creatum: atque adeo qualitatem inhærentem animæ: expressius enim sub nomine charitatis plures loquuntur, quàm sub nomine gratiæ: vide Apostolum ad Rom. cap. 5. 2. ad Corinth: cap. 1. & D. Ioannem c. 3. ep. 1. & Concil. Trid Sess. 6. Can. 11.

23 Probatur Secundò ratione D. Thomæ: quia negare habitum creatum charitatis in anima, non solùm non facit pro excellentiâ actus, sed potius est contra eius perfectionem: ergo oportet illum admittere. Antecedens probatur, quia ad perfectionem actus pertinet, vt procedat à potentia intrinsecùs, & permanenter proportionatâ per formam aliquam, quæ sit principiũ talis actus. Vnde Deus qui omnia mouet ad debitos fines, singulis rebus indidit formas per quas inclinantur ad fines sibi præstitutos, & ita disponit omnia suauiter: vt dicitur Sap. 8. atqui voluntas sine habitu charitatis sibi superaddito, non est proportionata actui dilectionis Dei super omnia eliciendo: quia hic actus superat naturalem virtutem, & operationem voluntatis: quare nisi ponatur ei superaddi & infundi forma supernaturalis, quæ sit principium proportionatum, consequens erit, quòd actus iste quantum est ex modo productionis suæ, futurus sit imperfectior alijs actibus, non tantùm supernaturalibus; sed etiam naturalibus; vt hic subindicat D. Thomas: oportet ergo admittere, charitatem esse quandam formam creatam inexistentem animæ, seu voluntati.

Hoc interim negandum non est, quin Deus absq; creato habitu cooperante, possit voluntatem siue per actuale auxilium gratię, siue per cõcursum quendam supernaturalem eleuare ad eliciendum actum amoris diuini super omnia. Imò dum quis iustificatur per cõtritionẽ ante realẽ susceptionem Sacramenti, id de facto accedit in actu dilectionis Dei super omnia; qui ab habitu charitatis non efficitur, cum sit ad illum dispositio, & proinde ordine naturæ intelligatur prior existere, quàm habitus. Non autem perinde potest nos Deus constituere sui amantes absque influxu vitali animæ nostræ & voluntatis: neque enim potest causare actus vitales per se solum, quorum intrinseca ratio postulat, vt proficiscantur à vitâ substantiali, & principio interno, cuiusmodi sunt actus amoris diuini. Vide dicta 1. 2. quæst. 3. art. 1. & 2. 24

Sed contra conclusionem obijcitur: 1. Ioannis cap. 4. dicitur: *Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* In quibus verbis significari videtur, non solum quod Deus secundum se sit essentialiter charitas, sed etiam quod sit charitas, quâ nos illum diligimus: quia hæc est in qua oportet nos manere, & quæ in nobis manet: ergò &c. 25

Respondetur D. Ioannem verbis illis non aliud docere, quàm Deum esse charitatem per essentiam, & ab eo omnem charitatem participatam, quâ ipsum diligimus, diffundi, & cum illo habere necessariam connexionem, quamdiu extiterit: & ideo dicit: *Qui manet in charitate,* scilicet participatâ & nobis proportionatâ, *in Deo manet:* quia cum illo habet necessarium vinculum, sicut lumen solis cum sole Manet itaque in Deo, sicut dilectus in diligente; *Et Deus in eo*, quia vicissim hâc charitate Deum diligit, & in suis habet cogitationibus & affectibus. Contra hæc verò opponi possent quædam ex D. August. lib. 8. de Trinitate cap. 8. vbi planè videtur indicare, imò supponere charitatem quâ nos Deum diligimus, esse ipsum Deũ: ex quibus fortassis Magister inductus fuit in eam

in eam opinionem. Sed ista hîc prætermittimus, quia latè explicata sunt 1. 2. quæst. 112. art. 5. nu. 59. & seqq. vbi disputatur, an possimus esse certi de nostra iustitia.

ARTICVLVS III.

Vtrùm charitas sit virtus?

26 CONCLVSIO est affirmatiua: & patet, quia charitas est maximè conformis supremæ regulæ nostrarum actionum, qui est Deus, quem proximè & præstantissimo modo attingit: per illam enim diligitur Deus, prout eius bonitas & excellentia postulant. Idem constat ex Apostolo 1. ad Corinth. 13. & ex alijs Scripturis infrà art. 6. nu. 31. allegandis.

ARTICVLVS IV. & V.

Vtrùm charitas sit virtus specialis? & , Vtrùm sit vna?

27 CONCLVSIO vtriusq; articuli est affirmatiua: & probari potest primò ex Apostolo 1. ad Corinth. 13. vbi charitatem connumerat & distinguit contra fidē & spem: quarum quælibet est virtus specialis, & vna.

Probatur Secundò ratione: quia obiectum formale charitatis est ratio specialis, & vna: scilicet diuina bonitas, ob quam diligimus Deum & proximum: ergo charitas est virtus quoque specialis, & vna.

28 Obseruandum tamen est, charitatem interdum vocari virtutem generalem, non quod sit genus aliarum virtutum, seu tantummodò aggregatum ex omnibus virtutibus: sed quia obiectum eius est finis omnium virtutum, quo fit, vt etiā per se actus aliarum virtutū imperare, & ad finē suum conuertere possit. Itaque est generalis & vniuersalis imperio & causalitate, quatenus omnes aliæ sunt illi quodammodo subordinatæ: & vltimatè ad eius finem diriguntur.

29 Sed dicet aliquis: D. Thomas hic dicit bonum diuinum, vt obiectum beatitudinis, esse obiectum charitatis; atqui bonum diuinum, vt obiectum beatitudinis est obiectum spei; ergò spes & charitas habebunt idem obiectum, & consequenter non erunt virtutes distinctæ.

30 Omissis varijs expositionibus & commentarijs circa illa D. Tho. verba. Respondetur breuiter eum per bonum diuinum, vt obiectum beatitudinis, intelligere bonum diuinum secundum eam rationem, quâ excedit omnem proportionem & capacitatem naturalem creaturæ cuiuscūq; & vt sic idoneum est omnē naturam intellectualem plenè beare. Hoc autē quatenus sideratur, vt est in seipso bonum & perfectum, atque adeo suum bonum, est obiectum charitatis; non spei: charitas enim illud diligit, vultq; illud esse, & conseruari, quia bonū est ipsius Dei, nullo habito respectu ad commodum ipsius hominis: at obiectum est spei, quatenus est bonum nostrum: atque ita distinctæ sunt rationes obiecti charitatis, quę bonum illud diligit, vt obiectum beatitudinis diuinæ, & spei quæ illud amat vt bonum nostrum, quo nos sumus beandi.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm charitas sit excellentissima omnium virtutum?

CONCLVSIO est affirmatiua: & probatur primò ex Scripturis: vt ad 1. Corinth. 12. cum Apostolus de varijs egisset virtutibus & donis Spiritus Sancti, tandem in fine subiungit: *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro:* scilicet charitatem, de quâ mox sermonem subiungit, quamque toto cap. sequenti mirificè cum suis fructibus, extollit: ac comparando eam cum fide & spe concludit in hæc verba: *Maior autem horum est charitas:* ad Colos. 3. *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis:* ad Rom. 13. dicitur. quod legis plenitudo sit dilectio: & 1. ad Timoth. 1. quod finis præcepti sit charitas. Vnde Matth. 22. præceptum charitatis dicitur primum & maximum, ex quo vniuersa lex pendeat, & Prophetæ: quia scilicet vniuersa eo tendunt, vt ad charitatem nos adducant vtpote sine quâ omnia nihil prosint: vt docet Apost. 1. ad Corinth. cap. 13. Idem patet ex multis quæ scribit D. Ioannes in 1. sua epistola. 31

Probatur Secundò ex Encomijs, quibus Sancti PP. charitatem celebrant. D. Irenęus lib. 4. cap. 63. Præcipuum dilectionis munus, inquit, quod est pretiosius, quàm agnitio, gloriosius autem quàm prophetia: omnibus autem reliquis charismatibus supereminentius. D. Aug. in Ps. 103. Conc. 1. multa edisserit de excellētia charitatis: & tandē cōcludit: In omnibus Scripturis supereminentissimā viā, inquit, supereminentissimū locum charitas obtinet. D. Hier. in cap. 5. ad Galat. quæ alia inter fructus spiritus debuit tenere primatum, nisi charitas? si quidem & in lege, & in euangelio ipsa obtinet primatum: vbi consequenter pro huius rei ratione vrget, quod reliquæ virtutes sine charitate non reperian- 32

reperiantur esse virtutes, & quod ex charitate nascantur vniuersa quæ bona sunt. Cui conforme est, quod habet D. Prosper in sententijs numero 32. Quanta est charitas, quæ si desit frustra habentur cætera, si adsit habentur omnia? ergò &c.

33 Probatur tandem ratione: quia excedit inprimis virtutes omnes morales, eo quod proxime versetur circa Deum, vt formale obiectum & etiã vt materiale principale; sicuti suprà demonstratum est, eã de causâ fidem & spem superare prestantiã virtutes illas. Deinde etiam charitas excellit supra fidem & spem: quæ licet attingant proximè Deum, tamen attingunt duntaxat, vt ab eo nobis prouenit aliquid, vt dicit hic D. Thomas, videlicet cognitio veri, & quidem ea obscura & adhuc imperfecta: & adeptio nostræ fœlicitatis, quæ etiam in re non habetur quamdiu sub spe militamus: charitas verò attingit Deum vt ipse est summum in se & sibi bonum: sic enim illum amat, & ex se egrediendo quodammodo in illum transfertur, & vnum cum illo efficitur: quod diximus supra ad amicitiam pertinere. Quod quàm verum sit de amicitia, licet videre apud D. August. lib. 4. Confess. cap. 6. vbi agit de dolore quo afficiebatur ex amissione amici. Et inter alia ita scribit: Mirabar enim cæteros mortales viuere, quia ille quem quasi non moriturum dilexeram, mortuus erat: & me magis, quia ille alter eram, viuere illo mortuo mirabar. Bene quidam dixit de amico suo, Dimidium animæ meæ: nam ego sensi animam meam & animam illius vnam fuisse animã in duobus corporibus: & ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius viuere: & ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaueram.

ARTICVLVS VII.

Utrùm sine charitate possit esse aliqua vera virtus?

Respondet Diuus Thomas: quod simpliciter vera virtus (quæ scilicet perfectè ordinat habentem ad finem suum vltimum) sine charitate esse non possit: 34
posse tamen esse aliquam veram virtutem imperfectam sine charitate: quâ videlicet ordinetur homo ad aliquod particulare bonum honestum, sed non perfectè ad bonum summum & vltimum, ad quod sola charitas ducere potest. Vide hac de re plura supra quæst. 4. art. 5. vbi explicatur, an & quomodo fides sit virtus.

ARTICVLVS VIII.

Utrùm charitas sit forma virtutum?

Conclvsio est affirmatiua desumpta ex D. Ambr. lib. 2. in Lucam. 35
Explicat autem D. Thomas quomodo charitas sit forma, quia scilicet à charitate virtutes omnes accipiunt quendam ordinem ad finem vltimum, quatenus eius imperio, actus omnium virtutum ordinantur ad finem illum, qui est proprium charitatis obiectum: secundùm hoc enim ipsa dat formam actibus omnium aliarum virtutum. Vnde vt habet hic ad primum, charitas est forma, non exemplariter aut essentialiter, sed magis effectiuè in quantum omnibus formam imponit modo iam dicto. Plures autem alios modos quibus possit charitas dici forma virtutum, vide explicatos suprà quæst. 4. art. 3. vbi quæritur an charitas sit forma fidei?

QVÆSTIO XXIV.

De Subiecto Charitatis.

In duodecim Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Utrùm voluntas sit subiectum charitatis?

1 Responsio D. Thomæ habet: Subiectum charitatis est appetitus non sensitiuus; sed intellectiuus seu rationalis, siue voluntas.

Probatur, quia obiectum per se charitatis est bonum: debet igitur esse in illâ potentiâ quæ per se circa bonum versatur: atqui illa est appetitus; non potest autem esse appetitus sensitiuus, quia obiectum charitatis est bonum non sensibile, sed intelligibile & spirituale: ergo debet esse appetitus intellectiuus seu voluntas rationalis, quæ versatur circa bonum intelligibile & spirituale, quatenus ab intellectu dirigitur.

ARTIC.

ARTICVLVS II. & III.

Vtrùm charitas causetur in nobis ex infusione? &, Vtrùm infundatur secundum capacitatem naturalium?

37 Responsio ad priorem articulum est affirmatiua: ad posteriorem verò, est negatiua. Quę ad hanc materiã pertinent, vide latiùs explicata 1. 2. quæst. 112. art. 1. & 4.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm charitas augeri possit?

38 Conclvsio D. Thomæ est: Charitas viæ potest augeri. Probatur breuiter ratione D. Thomæ: Quia inde, inquit, dicimur esse viatores, quòd in Deum in hâc vita tendimus, qui est vltimus finis nostræ beatitudinis: tanto autem magis procedimus ac tendimus, quanto magis Deo appropinquamus: appropinquatio autem non fit gressibus corporis, sed affectibus mentis: ergo necesse est, quod in via charitas possit augeri: alioquin enim non possemus in Deum tendere, magisque illi appropinquare. Hinc D. August. cap. penult. Ench. Minuetur cupiditas, inquit, charitate crescente, donec veniat ad tantam magnitudinem, quâ maior esse non possit. Vide eandem conclusionem latiùs ex Scripturis & Patribus deductam 1. 2. quæst. 112. art. 4. & 114. art. 8.

ARTICVLVS V.

Vtrùm charitas augeatur per additionem?

39 Quæstio hæc generaliter disputari solet à Philosophis de qualitatibus omnibus quę intensionem & remissionem recipiunt, quomodo ista intensio fiat?

40 Multi negant fieri alicuius nouæ entitatis accessu, sed volunt eam fieri tantùm, aut meliori interueniente subiecti dispositione, sicuti enim eâdẽ efficiente causâ manente contingit maiorem produci effectũ ob materię aptiorem dispositionem ad recipiendũ causæ influxum, ita volunt etiam qualitatem eandem omnino manentẽ tribuere magis suum esse subiecto propter meliorem eius dispositionem: aut per firmiorem radicationem seu inhæsionem in subiecto.

Alij verò magis communiter docent, intensionẽ fieri accessu alicuius noui gradus, qui sit eiusdem naturæ cum qualitate præexistente. Quæ sententia apparet verior, sicuti est communior & receptior. Et probatur breuiter reijciendo alios modos: quod enim inprimis dicitur de meliori dispositione subiecti, ex quâ fiat quod eadẽ qualitatis entitas magis suum esse tribuat subiecto, facilè refutatur: quia melior dispositio vel debebit dici prouenire inde, quod subiectum habeat minus de forma contrariâ, vel quod habeat aliquam aliam formam aut dispositionem positiuam intensiorem: atqui neutrum dici potest. Non prius, quia etiam qualitates intenduntur quæ non habent formam contrariam: & ab ijs dicuntur subiecta magis aut minus talia: vt à lumine dicuntur magis aut minus illumnata: quarè non potest ista intensio dici fieri duntaxat per remotionem contrarij, vnde oriatur melior subiecti dispositio. Et declaratur, quia aër eodem modo dispositus illuminatur magis à lumine solis, quã à lumine lunæ; ergò &c. Non etiã posterius, quia recurret eadem difficultas. Quæri enim poterit, quomodo illa dispositio seu forma positiua melius disponens sit intensior in vno subiecto, quàm in alio? si dicatur per aliam formam positiuam, idem de hâc petetur, & sic abibit quæstio in infinitum. 41

Similiter reprobari potest, quod dicitur de firmiori duntaxat qualitatis radicatione, & inhæsione in subiecto: quia tunc sequeretur, si Deus duas qualitates maximè inæquales secundum intensionẽ & remissionem poneret extra subiectum, quod hoc ipso qualitates illæ essent æquales: quod ab omni apprehensione videtur alienum. Deinde contingit qualitates remissiores tenacius inhærere quibusdam suis subiectis, quam intensiores suis: ergò dicendum est intensionem fieri per additionem siue accessum noui gradus: qui quidem non necessariò est maior priori ad quem accedit: satis enim est ad incrementum quod qualitas ex vtroque resultans, sit maior eâ parte quæ prius existebat. Vide plura apud Durandum in 1. dist. 17. qu. 5. 6. & 7. vbi prolixè & satis accuratè de hâc materiâ philosophicè disputat. 42

Dicet aliquis: Inter id ad quod fit accessio, & inter illud quod accedit debet esse distinctio aliqua specifica vel numerica: atqui non potest hic esse aliqua talis distinctio, ergò non potest intensio dici fieri per accessum alicuius entitatis. Maior 43

patet:

patet: quia alioquin nō potest intelligi accessus alicuius entitatis ad alterā. Probatur minor; non enim inprimis potest allegari distinctio specifica: quia charitas præexistens & gradus qui poneretur accedere, versarentur haud dubie circa idem obiectū sub eâdem ratione formali: ergo specie non different. Non etiam numerica, quia cum charitas sit accidens, & quidem spirituale, debet omnis distinctio numerica, quę inter charitatem & charitatem esse potest, desumi à subiectis: atqui dum intensio fit, est idem numero subiectū: quod remissiori & intensiori charitate informatur. Neque enim potest gradus accedens poni in alio subiecto, vel aliâ subiecti parte, quā in quo sit præexistens, scilicet in voluntate rationali, quę partes nō habet: ergò &c. Ita fere ratiocinatur D. Tho. hic: vnde ipse concludit, charitatem nō augeri per additionem.

44 Responderi potest inprimis iuxta communiorem Philosophorum sententiam, negando omnem numericam distinctionem essentialiter nasci, aut dependere ex materiâ, vel ordine ad materiam: prout à Scholasticis tradi solet in 1. p. in tract. de Angelis: & à Philosophis in Metaph. Deinde, esto quod distinctio numerica depēdeat à subiecto, non tamen aliud inde confici videbitur, quàm quod gradus accedens non possit habere actuale esse numero distinctum à charitate prius existente: non autē quod non possit in eodē subiecto produci, sic vt in eandē numero qualitatē coalescat, sicuti hic ponimus fieri. Vt autem dicatur aliquid accedere ad alterū, non est necesse vtrūq; à se mutuo prius separatim existere; sed ad intelligendū hoc fieri, satis est quod vnum existat, & non alterum illud quod in sui productione fit cum priori vnum.

45 Quæri autem hic potest. Vtrùm habitus charitatis non tantùm intensiuè, sed etiam extensiuè augeatur? Respondetur cum D. Tho. negatiuè: Quia, inquit, etiam minima charitas extendit se ad omnia, quæ sunt ex charitate diligenda. Fundamentum huius esse potest, quod sit vna simplex & indiuisibilis diligendi ratio, ob quam omnia diliguntur ad quęcumque charitas sese extendit, aut extendere potest. Vnde habitus infusus mox constituit hominem proportionatum toti latitudini obiecti sui: neq; extenditur substantia eius propterea, quod plures diliguntur, sicuti non augetur extēsiuè ipsa potentia videndi, quando plura obiecta videntur. Secus potest esse in habitibus acquisitis, præsertim scientiarum, prout notat hic D. Tho. quia scilicet sub diuersis particularibus rationibus versatur eadē scientia circa diuersas conclusiones.

46 Hoc interim certū est, actualem charitatem siue dilectionis actum augeri posse extensiuè secundū plura obiecta, circa quę vno tempore exercetur, & non alio. Item fieri etiā posse, quod faciliùs & promptiùs charitas exeat in actum circa quędā, quàm circa alia, etsi propter eandem rationē sint diligenda: idque idcirco quod forsitan in vno obiecto reperiat aliquid quod hominis voluntatem retardet, aut difficiliorem reddat ad charitatis inclinationem sequēdam, quod in alio locum non habet.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm quolibet actu charitatis, charitas augeatur?

CONCLVSIO Prima: Quilibet actus charitatis etiam remissior habitu meretur augmentū charitatis. Est D. Tho. hic ad primū, & communis pœnè DD. contra Dur. in 1. dist. 17. qu. 8. Probatur primò: quia quilibet charitatis actus etiā remissior meretur augmentum præmij essentialis, vt etiā Dur. admittit. Et constat ex Scripturis, quæ significant nullum esse tam exiguum charitatis opus, cui non correspondeat suū præmiū. Matt. 10. *Et quicumque potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* 1. ad Cor. 15. *Itaq; fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester nō est inanis in Domino.* 2. ad Cor. 4. *Id quod in præsenti est momentaneū & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ergo oportet quod mereatur etiam augmentum charitatis, quia præmium essentiale secundū proportionē correspondet charitati vniuscuiusque: qui enim plus diligit, plus etiā à Deo diligitur, & qui minus diligit, minus diligitur: secūdū proportionē autē quā Deus nos diligit, etiam quantitatē præmij essentialis in patria distribuit. Vnde à posteriori sequitur, quod si quilibet charitatis actus mereatur augmentum præmij essentialis in patria, quod etiā mereatur augmentum charitatis. 47

Probatur Secundò ex Trid. ss. 6. Can. 32. vbi simpliciter definit hominē iustificatum bonis operibus, quę ab illo per Dei gratiā & Christi meritum fiunt, mereri augmentum gratiæ, & vitā æternam. Similia habentur eadem Sess. c. 16. quæ sic generatim dicta sine fundamento restringuntur ad solos actus intensiores habitu charitatis, quasi his solis homo iustus mereatur augmentum gratiæ & charitatis: ergò &c. 48

Probatur Tertiò, quia alioquin auctior charitas habitualis esset causa minoris & parcioris retributionis, atque adeo maior

hominis cum Deo coniunctio & amicitia præiudicarent amplitudini præmij ipsius in pari actione. Quod omnino est inconueniens. Declaratur: quia si quis habens charitatem tantùm vt quatuor, eliceret actum vt quinque, mereretur is augmentum charitatis, vbi si quis habens charitatem vt octo, eliceret actum vt quinque vel vt sex, non mereretur; ergò &c.

49 CONCLVSIO Secunda: Quemadmodum quilibet charitatis actus, quamuis habitu remissior, meretur augmentũ charitatis, vt iam dictũ est, sic verisimilius est, etiam statim ad quemlibet actũ dari istud augmentum absque dilatione, donec actus aliquis intensior eliciatur. Est cōmunior D. Gabr. in 1. dist. 17. q. 4. & in 2. dist. 27. Maioris in 1. dist. 22. Andr. Vega lib. 15. in Trid. c. 19. Arrag. hic. Zumel 1. 2. q. 114. a. 8. disp. 3. licet in 1. p. aliter senserit. Henriquez de pœnit. l. 1. c. 33. Mald. hic: & Suarez in Opusc. Relect. de Reuiuiscentia meritorum: disp. 2. sect. 3. num. 34.

Probatur Primò, quia augmentum charitatis est quoddam præmium boni operis pertinens ad hanc vitam: quandoquidem ergo actus etiã remissior illud supponatur mereri, & operans sit nunc illius præmij capax, cum iam etiam charitatem habeat, absq; iusta omninò ratione, negari videtur pro hoc tempore dari, sed differri, siue vsque ad ingressum ad patriã, vt vult Scotus, siue vsque dum eliciatur actus feruentior, vt vult hîc D. Thomas.

50 Probatur Secundò, quia per meritum gloriæ mox acquiritur ius & proportio ad illam, non tantùm secundum extrinsecam imputationem, aut fauorem, sed etiam secundũ intrinsecam dispositionem & inhærentes qualitates: quæ autem est ratio primi iuris ad illam gloriam, eadẽ est quoque augmenti istius iuris ad augmentum gloriæ: cum ergo primum ius secundũ omnes fundetur in qualitatibus verè & realiter infusis, & inexistentibus in homine, cōsequens est, etiam incrementum illius iuris ad augmentũ scilicet gloriæ, requirere & adferre secum augmentum istarũ qualitatum, in quo pariter fundetur; ergò &c.

Sed contra obijcitur: si ad quemlibet actum charitatis etiam remissiorẽ mox detur augmentũ charitatis, debebit dici istud dari secundum totam latitudinem actus. Confirmatur, quia alioquin poterit dari actus charitatis tam exilis, aut remissus cui nihil augmenti daretur, quod est contra conclusionem positam: atqui si augmentũ dicatur sic dari secundum totam latitudinem actus, videtur id adducere magnum inconueniens: quia ita fieri posset quod charitas breuissimo tẽpore cresceret quasi in infinitum: si quis enim, v.g. habens charitatẽ vt quatuor, eliceret vno die duodecies actum charitatis semper æqualem habitui, prout per priorem actum creuit, fieret vt qui mane habuisset charitatem tantum vt quatuor, sit habiturus in actu duodecimo charitatem plusquam ad viginti quatuor millia. Rursum si actus meritorius durans vnico momẽto habeat sibi respondens augmentum quod statim additur, actus similis durans aliquo tempore, mox augebit charitatem in infinitum: quia sunt in quolibet tempore infinita momenta.

Pro responsione notandum est, sermonẽ illum quo dicitur augmentum dari secundum totam latitudinem actus, admittere duplicẽ sensum: scilicet vnum hunc, quod singuli gradus & partes graduales quæ sunt in actu, concurrant & conferant ad augmentum quod datur, & in eo habeant sibi aliquid correspondens, ita vt si aliqua pars actus abesset, foret minus augmentũ: Alterum verò istum, quod actus operetur augmentum secundum totam suam latitudinem, ad sui videlicet æqualitatem, ita vt dentur tot semper gradus augmenti ipsius habitus, quot habeat intẽsionis ipse actus. 51

Respondetur itaq; ex eo quod per actũ etiam remissiorem acquiratur augmentum habitus, nō aliud posse inferri, quàm quod dici debeat, augmentũ dari secundum totam latitudinẽ actus meritorij iuxta priorem sensum: nam ex eo quod quælibet intensionis pars conferat ad augmentum, & habeat in eo aliquid sibi correspondens, saltem secundum certam proportionem geometricam, quamuis non ad sui æqualitatẽ, satis intelligi & ostendi potest, quomodo non poterit dari actus aliquis tam exiguus, qui non augeat etiam charitatem, cũ magnitudo seu quantitas secundũ intẽsionem sit in infinitum diuisibilis, vt aiunt Philosophi. Ac iterũ, quia non ad æqualitatem actus datur, intelligi potest, quomodo nō sit consequens, quod subitò habitus crescat quasi in immensum; vt argumentum infert tanquam inconueniens: nam poni potest, quod actus v.g. vt decem non habeat fortassis præmij loco sibi correspondens augmentum habitus vt vnũ: quo casu actus, qui fuerit tantùm vt vnum, habebit sibi secundum talem proportionem correspondens augmentum decimæ partis vnius gradus. 53

Sed hâc occasione quæritur. An reuera actus meritorius putandus sit non habere correspondens augmentum secundum totam suam latitudinem ad æqualitatem? 54

Respondeo & dico Primò: certum videtur esse, quod actus meritorij, aliarum saltem virtutum quàm charitatis, non habeant

beant augmentum habitus sibi correspondens, secundum totam latitudinem suæ intensionis ad æqualitatem. Probatur, quia actus diuersarum virtutum pari feruore & intensione facti, ac cæteris etiam circumstantijs paribus, non sunt æquè meritorij, siue inter se comparentur, siue cum actu elicito charitatis. Confirmatur, quia substantialis bonitas actus multùm confert ad meritum; sed actus diuersarum virtutum non sunt æquales in substantiali bonitate: maior enim est substátialis bonitas in actu charitatis vt quatuor, quã in actu fidei aut spei vt quatuor, & in his vt quatuor, est maior quam in aliquo actu temperantiæ vt quatuor; ergò licet sint æquales secundum intensionis gradus & alias circũstantias, nõ tamen erunt æqualis meriti: & proinde nõ potest de singulis dici, quod addát augmẽtum habitus ad æqualitatẽ secundũ latitudinẽ suæ intẽsionis: si hoc enim dicatur de ijs qui minimi sunt, aut saltẽ minores alijs in bonitate substantiali, consequens erit, quod præstántiores in substantiâ debebunt addere augmentum suprà totàm latitudinem suę intensionis: quia hæc non ponitur maior in his, quam in istis: & tamen his debetur maius præmium & augmentum propter maiorem bonitatem in substantiâ quam istis; ergò &c.

55 Dico Secundò, longè probabilissimum quoque est, nequidem per actus charitatis concedi augmentum habitus ad æqualitalitatem secundũ totam latitudinem actus in sensu illo posteriori.

Probatur, quia ingens illud charitatis incrementum, quod inde videretur sequi, apparet incredibile; estque parum conforme Scripturis Sanctis: nam Matth. 25. post longi temporis negotiationem reportatum est lucrum duplicati talenti, & tanquam bonus negotiator ille commendatur. Luc. 8. semen cadens in terram bonam fert quidem fructum centuplum, sed in patientia: & D. Iacob. cap. 1. epistolæ suæ dicit, patientiam habere opus perfectum. Quibus indicatur non facilè nec subitò perueniri ad tantam perfectionẽ charitatis; sed opus esse ad hoc magnâ tolerantiâ, & multis charitatis officijs, & exercitijs.

56 Hoc tamen aduertendum, etsi istud cõcederetur perfectissimis actibus charitatis, qui in ipsum Deum secundum se tendant (neque enim imperfectioribus propter argumentum adductum ad primam propositionem concedi potest) non tamẽ sequuturum tam immensum augmentũ, vt quidam exaggerant: tum quia rarius exercentur perfectissimi eiusmodi actus cum omni puritate, & ab omni passione omnino liberi: tum etiã, quia rariùs homines operantur secundum totam latitudinem habitualis charitatis, quã antecedenter habent.

Quantum verò augmentum charitatis siue gratiæ correspondeat cuilibet gradui cuiuscumque virtutis actus, quod cæteris paribus diximus esse diuersum pro diuersâ bonitate substantiali singularum virtutum, Deus solus pondere supremi Sanctuarij æstimare potest. Hoc tamen dicere possumus, quod illa sit proportio in tota serie & cumulo bonorum operũ augmenti ad augmentum, quæ est actionis ad actionem, quoad intensionem, dummodo alioquin sint actiones eiusdẽ virtutis & pares quoad reliqua, quæ ad meriti augmentum facere possunt.

Nunc quod ad secundam difficultatem motam attinet, scilicet quod si actus charitatis, qui vnico momento durat, habeat incrementum habitus, sequuturum, si duraret aliquo tempore, quod faceret incrementum infinitum propter infinita momenta quæ in tempore illo sunt. Respondetur Neg. Conseq. Vt autem ratio negatę consequentiæ explicetur & intelligatur, hic supponendũ ex philosophia est, quod actio eiusmodi voluntatis habeat totum suum esse simul vno momento: vnde per hoc quod coëxistat tempori, non accipit aliquod aliud nouum esse, & proinde non est eadem ratio continuationis, siue perseuerantiæ istius actionis, quoad vim merendi, quæ est ipsius actus primitus eliciti: quia per continuationem non ponitur aliqua noua operatio, neque noua pars operationis, neque vincitur noua difficultas, quæ solet esse in applicatione potentiæ ad opus, neque exercetur noua libertas; quæ omnia fiunt per operationem, quæ vnico duntaxat momento existit; sed in eo, quod factũ est tantùm perseueratur. Vnde propter has rationes nonnulli negant, quod actus continuatus plus mereatur. Quod quidem certis considerationibus dici posset, vt inprimis si contingeret voluntatem in actu liberè inchoato perseuerare naturali quasi modo, sine omni exercitio libertatis. Deinde, si in illo actu consideretur duntaxat substantia actus, poterit de illâ dici, quod sicuti illa toto tempore & omnibus instantibus continuationis sine incremento, eadem est; quòd ita quoque actus ex eo capite præcisè consideratus habeat sibi idem correspondens sine incremento præmium. 57

Nihilominus tamen absolutè dicendum est, vt cõmuniter DD. tenent, quod actus continuatus plus mereatur, quatenus scilicet in eodem actu consideratur continuatio siue perseuerãtia eiusdem actus coëxistens tempori maiori, per modum circum- 58

ſtantiæ cuiuſdam; atque ita adhuc difficultas obiectionis recurrit: quare admiſſa accretione habitus propter continuationem actus modo iam dicto, negatur inde ſequi, quod actus durans aliquo tempore addat augmentum infinitum? cuius hæc inprimis reddi poſſet ratio, quod actus ille, vt meritorius, moraliter tantùm operetur augmentum, & proinde de modo & forma aduenientis augmenti ſit moraliter loquendum. Quare cum minima aliqua differentia in duratione poſſit moraliter reputari pro nulla, hinc non quamlibet quantumcũq; minimã continuationẽ actus augere præmium: ſed quæ morali iudicio æſtimetur tanquã quid amplius duratione vnius momenti in ratione actus & meriti: eiuſmodi autem durationes non eſſe infinitas in tempore, cui forſitan actus charitatis cum morâ aliquâ perſeuerans coëxiſtit: quanta autem duratio ſatis ſit vt opus in ratione meriti cenſeatur maius, nouit Deus, qui præmia meritis reddit.

59 Deinde eſto, quod valor meriti continuò augeatur prout actus magis ac magis durat, & proinde additione quâdam augeatur habitus, nec inde dicimus ſequi infinitum augmentum tempore finito, non magis, quam ſi vno aliquo inſtante ponatur lumen in ſubiecto vt quatuor, quod fieri poteſt, & poſtmodũ continuâ actione ad vnam horam intẽdatur; neque enim neceſſe eſt ſingulis momentis aut partibus temporis addi tantum luminis, quantum primo inſtante poſitum eſt, ſiue propter diuerſitatem cauſæ, ſiue propter diuerſam approximationem, aut approximandi modum: ſed creſcit ſucceſſione quâdã continuâ, quæ licet ſit diuiſibilis, ſicuti ipſum tempus in partes infinitas inæquales ſiue proportionales, non tamen habet determinatas & æquales infinitas, & ſic terminus non eſt infinitus actus: Quemadmodum itaque non ſequitur ibi lumen infinitum propter accretionem luminis continuam per aliquod tempus: ita neque hic infinitum augmentum charitatis: quia etiam diuerſa ratio eſt meriti & cauſæ in actu, qui vno vel primo inſtanti ſit, & diuerſa ratio meriti & cauſæ in circumſtantia cõtinuationis eiuſdem actus, vt explicatum eſt: & alia quoque ratio productionis illius primi augmenti, quæ eſt inſtantanea, habens determinatum terminum totum ſimul, & alia ratio productionis reliqui augmenti, quæ eſt ſucceſſiua, in qua non eſt aſſignare determinatum terminum, aut determinatam partem certæ quantitatis termini quæ ſit tota ſimul: ſicuti nec in tempore, quo menſuratur ex partibus proportionabilibus, etiam infinitis, exſurgit aliquod infinitum actu, vt in phyſica tradi ſolet.

ARTICVLVS VII.
Vtrùm charitas augeatur in infinitum?

Conclvsio D. Thomæ eſt: Charitatis augmẽto nullus terminus præfigitur in hâc vitâ. Probari poteſt ex Scripturis, Apocal. 22. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc:* & Eccleſiaſtici cap. 18. *Non impediaris orare ſemper, & ne verearis vſque ad mortem iuſtificari*, id eſt, in iuſtitia creſcere: ſupponit itaque Scriptura ſancta, nunquam in hac vita perueniri ad eum terminum iuſtitiæ aut charitatis, vltra quem non poſſit fieri incrementum. 60

Probatur Secundò ratione D. Thomæ: quia terminus præfigitur formæ, quando certum terminũ habet, vel ex parte ipſius formæ, quia ſcilicet habet determinatam menſuram, ita vt ſi vltra eam fuerit proceſſum, perueniatur ad aliam formã, ſicuti hoc explicat D. Thomas in pallore, cuius terminos tranſcundo peruenitur ad albedinem, aut nigredinem; vel ex parte cauſę efficientis, cuius virtus non ſe extendat ad augmentum vlterius; vel ex parte ſubiecti, quod non ſit capax maioris perfectionis: nullo autẽ iſtorum modorũ imponitur terminus augmento charitatis in ſtatu vię: ergò &c. Non primo modo, quia ipſa ſecũdum rationem propriæ ſpeciei non habet certam menſurã: eſt enim quædam participatio infinitæ charitatis, quæ eſt Spiritus Sanctus, inquit D. Tho. nunquam autẽ tam perfectè iſta poteſt participari, quin propter eius infinitudinem adhuc poſſit perfectiùs participari: quia charitas creata, quantumcumque perfecta, nunquam adæquabit charitatem increatam. Non etiam ſecundo modo, quia cauſa efficiens eius eſt ſimpliciter infinitæ virtutis, nimirũ Deus ipſe. Nec denique tertio modo, quia ſemper charitate creſcente ſuperexcreſcit habilitas ad vlterius augmentum: quod videtur indicare Apoſtolus 2. ad Cor. 6. dicens, *Cor noſtrum dilatatum eſt*, &c. & paulò poſt: *Eandem autem habentes remunerationem (tanquam filijs dico) dilatamini & vos.*

Obijcitur D. Aug. Enchr. cap. penult. dicit, charitatem hic creſcere donec perueniat ad tantam magnitudinẽ, qua maior eſſe non poſſit; ergo habet hic certum terminũ, nec poteſt quaſi in infinitũ creſcere. 61

Reſpondetur Neg. Conſeq. Quia non loquitur D. Auguſtinus de magnitudine intenſionis, de quâ nos loquimur: ſed videtur agere de magnitudine in exhibitione operis

ne operis ac æstimationis: sicuti Christus Ioannis 15. (cuius verba ipse ibidem allegat) dixit *Maiorem hác dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis:* quia scilicet summum est officium & exhibitio charitatis, & maximæ æstimationis; quando quis maximum bonum, quod possidet, exponit pro proximo, ita vt non sit præstare exhibitionem aut ostensionem maiorem.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm charitas in hac vita possit esse perfecta?

62 RESpondet D. Thomas: ex duplici capite posse intelligi aut capi charitatis perfectionem: Primò ex parte obiecti diligibilis: Secundò ex parte diligentis. Ex parte rei diligibilis perfecta erit charitas, quando hæc diligitur in tantum, quantùm est diligibilis, seu digna diligi: & sic quidem nulla charitas creata potest esse perfecta, quia non possumus Deum diligere, quantùm est dignus diligi; sed sola increata eam habet perfectionem, qua scil. Deus diligit se & suam bonitatē, qui sicuti solus suam perfectionem comprehendit eam intelligendo quantùm est intelligibilis, ita quoque solus eam amat, quantùm amabilis est. Ex parte diligentis autem est perfecta, quando diligens amat quantū potest. Hoc autem posse est in triplici differentia: Vno modo enim dicitur amare quantum potest, qui toto affectu semper actualiter in Deum fertur, quomodo Sancti in patriâ Deum amant quantum possunt: Secundò, dum quis non quidem semper in actu dilectionis est, sed tamen sepositis & reiectis impedimentis & curis sæcularibus, vacat Deo, quantum per huius vitæ infirmitates & necessitates licet: Tertiò, dum quis appretiatiuè Deū omnibus anteponit, neq; quidquā admittit diuinæ amicitiæ contrarium. Ad primum modum ex tribus istis non peruenitur in hâc vitâ, sed ad secundum perueniri potest, & ad tertium. Ad secundum quidem, qui in religione, rebus sæcularibus abiectis, soli Deo vacare student. Tertius autem modus communis est omnibus iustis quamdiu in iustitia perseuerant.

63 Sed dubium moueri potest, Vtrùm charitas viæ quocumque modo peruenire possit, ad perfectionem quam habet in patriâ?

Obseruandum hic est, aliud esse loqui de habitu, aliud loqui de actu: Item aliud loqui de perfectione essentiali, aliud loqui de perfectionibus accidentarijs aut extrinsecis.

Respondetur itaque, & Dico primò: Habitus charitatis potest essentialiter esse tam perfectus in viâ, ac in patriâ. 64

Probatur ex illo ad Corinth. 1. epist. cap. 13. *Charitas nunquam excidit:* ergò debet secundum essentiam, siue essentialem perfectionem manere in patriâ, quæ erat in viâ.

Dico Secundò: Charitas potest quoq; in via esse tam perfecta intensiuè, quàm in patria. Declaratur hoc inprimis fieri posse in diuersis hominibus: quia dubitari non potest, quin habitus charitatis in Diuâ Virgine, cum adhuc esset in viâ, fuerit tam perfectus intensiuè, quàm habitus alicuius paruuli post baptismum statim mortui, sit in patria: Deinde etiam in eodem homine idem locum habere ostenditur, nam habitus paruuli in patria & in via est æquè perfectus, quia nullum meruit augmentum quod dici possit ei superaddi in patria: omnis autem gratia quam sacramenta conferunt, statim datur quando non inuenitur obex. Idem dici potest de adultis, iuxta eorum opinionem qui tenent augmentum charitatis semper statim conferri ad ipsum actū meritoriū. 45

Dico Tertiò: Secundum tamen conditiones aliquas, quasi extrinsecas habitus charitatis in patria, semper perfectior est quam in via. 66

Probatur, quia charitas viæ nondum habet statum suum naturalem, sed est quasi in statu alieno: naturalis enim status eius est vt sit coniuncta claræ visioni obiecti sui, & habere illud sibi perfectè applicatū & præsens, quod obtinet demum in patria, vbi videtur increata Dei bonitas per lumen gloriæ sicuti est: nam charitas est suprema participatio diuini amoris quo Deus seipsum diligit sicuti est: vnde naturalis eius conditio quoque postulat, vt habeat Deum præsentem sicuti est: in hac vita autē coniungitur fidei, quę prębet obscuriorē duntaxat obiecti illius cognitionem. Ex coniunctione autem istâ cum obiecto suo clarè viso sequuntur & aliæ quædam perfectiones, quæ in hac vita etiam haberi non possunt.

Prima ex istis est, quod semper actu, & quantum potest secundum totam suam latitudinem tendat in Deum, & ab eo actu impediri non possit per quamcumq; creaturam. Secunda, quod omnia actu referat in Deum. Tertia, quod sit inamissibilis, non tantùm propter externam Dei custodiam, quæ etiam in hac vita adhiberi nobis posset, sed ob intrinsecam perfectionem quam sortitur ex clara visione sui obiecti.

Occasione autem harum conditionum, etiam minima charitas patriæ, maior potest dici, quàm maxima charitas viæ, quæ nunquam, etiam in hac vita, ad illas perfectiones peruenire potest. Vnde eo sensu rectè intelligi potest quod dicit Christus Matth. 11. scilicet minimum in regno cœlorum esse maiorem Ioanne Baptista, quia scilicet habet charitatem, quam deperdere non potest; quæque omni conatu semper in Deum referatur, & omnia in eius honorem & laudes referat.

67 Dico Quartò, actus charitatis ordinariè non potest esse tam perfectus intensiuè in vno eodemque homine in viâ, quàm in patria; in diuersis tamen fieri potest.

Probatur prior pars, quia actus charitatis in patria erit semper æqualis habitui, tantùm enim amabimus Deum quantum poterimus; in hac vita autem inprimis rarò actus est æqualis totis viribus, rarò enim tam ardenter Deum diligimus quantum possumus. Deinde, quando hic Deum diligimus meremur amplius augmentũ habitus, quod saltem in patria dabitur; atque ita fit, quod habitus in patria sit futurus maior quàm hic habeamus dum hic actum amoris elicimus; Dixi tamen ordinariè, quia videtur dari casus quo habeat quis actum dilectionis in via, quo non sit intensior in patria: v. g. si quis iustificetur per actum contritionis & dilectionis Dei super omnia cũ voto Sacramenti Baptismi, hic enim non accipiet maiorem habitum secundum intensionem quam sit eius actus dilectionis: ponatur itaque quod statim ille moriatur, fiet quod etiam in patria non habeat habitum intensiorem, & proinde quod neque intensiorem actum quam habuerit in via, non enim actus secũdum intensionem superabit ipsum habitum, sicut visio beatifica non superabit lumen gloriæ.

Probatur altera pars, quia actus charitatis B. Virginis, vel Apostolorum haud dubiè in hac vita etiam intensiores fuerunt, quam dilectio alicuius paruuli in patria, quæ nõ superat habitum, vt diximus, qui in paruulis proportione erit minimus.

68 Dico Quintò, actus dilectionis beatificæ probabiliter existimatur intrinsecè & essentialiter perfectior esse omni dilectione, quæ habetur in via: vnde actus charitatis viæ, quantumcumque crescat, nunquam poterit esse tam perfectus, quam actus amoris beatifici in patria.

Colligitur ex D. Tho. sup. art. 7. ad 3. vbi dicit, quod non sit eadem ratio quantitatis charitatis viæ, quæ sequitur cognitionem fidei, & charitatis patriæ, quæ sequitur cognitionem apertam, sicuti non est eadem ratio quantitatis lineæ, & quantitatis superficiei: vnde ostendit, quod sicuti quantumcumque crescat quantitas lineæ, non tamen perueniat ad perfectionem quantitatis superficiei, sic etiam licet charitas in infinitum hîc augeri possit, non tamen illam peruenire ad perfectionem amoris in patria. Ex qua comparatione satis intelligitur, quod velit esse diuersam rationem essentialem in dilectione charitatis in via, & in dilectione in patria. Idem docet Caiet. 1. parte quæst. 82. art. 2. & Ferrarien. lib. 3. contra Gentes cap. 62. & plures alij.

Probatur, quia actus charitatis in patria tendit in obiectum manifestè præsens, & clarè cognitum prout est; actus autem charitatis in via, tendit in obiectum suum obscurâ & confusâ quadam notitiâ apprehensum per fidẽ: quæ diuersitas propositionis obiecti ac modi tendendi in illud quamuis non constituat aut postulet habitus essentialiter diuersos, præsertim quando de supernaturalibus & infusis agitur, à quibus exeant actus, quibus vno vel altero modo voluntas in obiectum moueatur, tamen omnino videtur sufficiens, vt inducat diuersitatem quandam specificam in ipsis actibus, quod clarè D. Tho. loco iam citato significat: & declaratur, quia licet sit idem bonum, & eadem ratio boni, quæ vtrobique amatur, tamen ista, vt obscurè & confusè tantùm apprehensa, non eodem modo afficiunt & mouent voluntatem, sicuti afficiunt & trahunt quando clarè & distinctè ante oculos posita sunt, & cognoscuntur manifestè, prout in se sunt, quando enim non videntur neque apprehenduntur distinctè & clarè, vt in se sunt; non possunt tunc quoque omnino, prout in se sunt, afficere & determinare potentiam, esseque causa amandi, sed tantùm confuso & generali modo sub alienis quodammodo conceptibus, prout confusè intelliguntur: & quãuis apprehensio non sit ipsa ratio diligendi, est tamen applicatio rei amandæ, quæ videtur modificare rationem amandi, ita quod tanta eius diuersitas possit etiam generare essentialem diuersitatem actuum. 69

Probatur Secundò, quia æstimatio summa diuini boni, quam de Deo habebimus in patria, videtur futura longè perfectioris rationis & naturæ, quam sit illa, quæ de eo habetur in via; ergo etiam actus dilectionis qui istam sequetur, erit alterius rationis, quàm qui sequetur hanc; secundũ diuersam enim appretiationis, & æstimationis rationem de bono aliquo, sequitur etiam diuersa ratio motus, quo in illud ferimur. Antecedens probatur, quia bonũ 70

illud

illud increatum clarè visum, & vt in se est cognitum, rapit totum in se affectum, facitque se amari necessariò, vt impossibile sit, non totis animi viribus ei inhærere, ipsumque etiam amore beneuolentiæ diligere; cognitum autem & apprehensum per fidem, amatur omnino liberè, & facilè voluntas ab eo auocatur: quod euidens signum apparet, longè aliam futuram æstimationem tanti boni in patria, quàm sit ea, quam modo habemus in via. Huc denique accedit, non satis credibile esse, beatos non amare amore perfectiori, quàm viatorem, cum amor iste ad eorum pertineat beatitudinem, neque minima eius pars suo modo sit. Quare debet esse etiam commensuratus statui illi, & beatificæ visioni, ac in ordine suo secundum sublimitatem illi adæquari.

71 Ex dictis facilè ostenditur, alterũ quod in conclusione subinferebatur; scilicet quantumcumque crescat dilectio Dei in hac vita, nunquam tamẽ in quantitate perfectionis adæquare amorem beatificum, quia semper dirigitur solum per fidem, aut aliam cognitionem; quæ diuinam essentiam clarè & distinctè non exhibeat, & proinde ad perfectionẽ illius amoris peruenire non potest, qui sequitur claram & distinctam visionem immensę illius ac infinitæ bonitatis.

72 Sed contra obijcitur primò, visio facit obiectum præsens; atqui præsentia non videtur causare alium amorem, sed gaudium & quietem; ergo clara & distincta cognitio summi boni, vt in se est, non efficit perfectiorem amoris speciem.

Respondetur Neg. Conseq. quamuis enim visio præcisè quatenus facit obiectũ præsens apprehendendo illud, & suo modo tenendo, non constituat aliam speciem amoris, tamen quatenus diuersimodè obiectũ proponit & exhibet voluntati, ostendendo clarè & distinctè excellentiam & perfectiones eius, quæ hîc ignorantur, aut admodum confusè & obscurè apprehenduntur, eatenus rectè dici potest causare diuersam amoris speciem, maioris perfectionis & sublimitatis: sicuti enim tunc intellectus eleuatur in æstimatione illius boni, ita etiam voluntas in eius amore.

73 Obijcitur Secundò, in hac vita diligitur Deus apprætiatiuè, summè, & super omnia, quando ex charitate diligitur; ergo non potest dilectio patriæ dici maioris perfectionis quam viæ, propter maiorem appretiationẽ, siue æstimationem obiecti.

Respondetur Neg. Conseq. Quia inter amores, qui sunt super omnia, potest alius alio appretiatiuè esse maior siue sublimior. Nam etiam naturalis amor, quo Deus super omnia diligitur, est in suo genere appretiatiuè summus, & tamen maior ac sublimior est amor supernaturalis, qui sequitur & dirigitur cognitione supernaturali fidei; estque etiam appretiatio siue æstimatio boni increati, quam ex fide de illo habemus, longè maior & sublimior, quàm sit æstimatio, quæ fit secundum naturalẽ rationem & cognitionem: sic igitur mirum non est, quod appretiatio illa increati boni, dicatur maior & sublimior, quæ habebitur, quando clarè & distinctè, prout in se est, videbitur, præ illa, quam hîc formamus & habemus de illo, prout fide duntaxat nobis cognitum est.

ARTICVLVS IX.

Vtrũ conuenienter distinguantur tres gradus Charitatis Incipiens, Proficiens, & Perfecta?

CONCLVSIO Diui Thomę est affirmatiua: & sumitur hæc doctrina ex D. Augustino. Potest autem illa distinctio dupliciter explicari: Primò, vt charitas dicatur Incipiens, quamdiu præcipuum hominis studium est repugnare vitijs & malis cupiditatibus, quibus adhuc infestatur. Proficiens autem, quando iam principaliter incumbit in studiũ virtutis, vt faciat progressum: Perfecta denique, quãdo homo iam quietem à tentationibus & prauis cupiditatibus vtcumque consecutus, ac etiam facilitatem quandam in operibus virtutum, intendit totus contemplationi & diuino amori. Sic explicat Diuus August. tract. 5. in Ioannis Epist. 1. quam expositionem hîc sequitur D. Thomas, & DD. in 3. dist. 39. 74

Altero modo sic potest explicari, vt Incipiens dicatur, Charitas quæ infunditur in iustificatione, antequam operari iam incipiat: Proficiẽs vero, dicatur ab illo tempore, quo operari incipit vsque ad finem vitæ: Perfecta autem, post hanc vitam in patria: & ita quoque intelligit D. August. lib. de Spiritu & Litt. cap. 33. applicans aliquot versiculos, Psal. 102. quibus docet, hos gradus insinuari, primum quidẽ in eo, *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis:* secundum in isto, *Qui sanat omnes infirmitates tuas:* & tertium quando dicitur, *Qui coronat te in misericordia & miserationibus:* & lib. 6. in Iulianum cap. 8. eidem distinctioni applicat illud Christi Lucæ 12. *Ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consummor.* 75

ARTICVLVS X.

Vtrùm charitas poßit minui?

76 CONCLVSIO Prima: Non potest charitatis habitus minui in ordine ad subiectum, vt loquitur D. Tho. siue secundum gradus intensionis. Est communis DD. in 3. dist. 17.

Probatur: qui si ita minui aut remissior fieri posset, id maximè videretur fieri debere per peccata venialia: nō enim per mortalia, quia horū quodlibet charitatem extinguit & tollit; atqui dici nō potest, quod habitus minuatur per venialia. Confirmatur, quia si vnum peccatum veniale diminuat, v. g. ad vnum gradum, aut medium gradum, fieri poterit quod pauca venialia tollant totam charitatem, quod est erroneum: certum enim est, non amitti charitatem siue iustitiam, nisi peccato mortali: vt dictum est 1. 2. quæst. 88.

77 Sed dicet aliquis, id non sequuturum, si ponatur secundum veniale diminuere minùs quam primum; atque adeo detractionem partium, siue diminutionem fieri secundum partes inæquales, siue proportionales, nam cum latitudo intensiua charitatis sit diuisibilis in infinitum, nunquā poterit sic procedendo tota absumi per peccata venialia quantumcumque multiplicentur, & quidem hoc modo voluit Altiosiodorensis 3. parte summæ tract. 6. cap. 5. quæst. 1. charitatem per venialia minui.

Sed id nullo modo dici potest: quia sæpius cōtingit, quod secundū sit longè grauius quam primum, & tertiū, quam primū & secundum: tunc autem nulla subest ratio cur secundum minus diminueret, quàm primum, & cur tertium minus quam secundum: solet enim Deus punire peccata iuxta certam proportionem grauitatis.

78 Dicet aliquis secundò: vltimum peccatum veniale, quo tolletur vltima pars charitatis, futurum mortale eo quod per illum homo se cōstituat extra statum gratiæ, vt vult Almainus lib. 2. Mor. cap. 13.

Respōdetur nec id dici posse: Inprimis est contra communem D D. sensum: deinde neq; cum ratione cōuenit, quia nō ideo peccatū est mortaliter offensiuū, quia ad illud charitas desinit aut extinguitur; sed è contra ideo charitas per illud extinguitur, quia est mortale: subtractio enim charitatis est pœna mortalis peccati, cui ratio mortalis culpæ debet præsupponi, sicuti causa suo effectui. Deinde quando peccatum ex se veniale redditur mortale propter damnum consequens, quod aliquando fit, tunc illud semper est mortale, quotiescumque exponit se quispiam periculo illius damni; atqui si peccatum aliquod veniale tandem exstinguat charitatem, & occasione illius damni, forsitan quis dicat fieri mortale, tunc semper vbi parua erit charitas, periculum erit illius amittendæ, ac proinde ibi omne peccatum veniale erit mortale propter periculum illius damni. Imo cum homo non possit scire, quando charitas sit in ea mensura, vt per vnū peccatum veniale sit extinguenda, neque etiam scire possit, quantū charitatis quodq; veniale corrumpat, consequens erit, quod tenebitur sub mortali vitare omnia & singula venialia propter periculum ne charitatem totam extinguat, & extra statum gratiæ se constituat, quæ à ratione & veritate sunt aliena.

CONCLVSIO Secunda: Non minuitur etiam habitus charitatis in seipso secundum extensionem. Patet quia suprà cum D. Tho. diximus, charitatem non esse extensiuè diuisibilem, sed quamlibet, quæ poni potest, se extendere ad omnia ipsius obiecta: quare sicuti extensiuè non augetur habitus charitatis, ita neque secundum eam rationem minui siue contrahi potest. 79

CONCLVSIO Tertia: Potest charitas minui secundum exercitium actuum, tam secundū rationem extensionis, quàm intensionis. 80

Declaratur prior pars: quia sit aliquis qui habeat voluntatē exercitatam & promptam ad multa & diuersa charitatis officia, quæ non sunt in præcepto, si negligentior fiat, & alijs operibus, præsertim quæ culpam venialem habent adiunctam, dedere se incipiat, paulatim ægriùs sese ad plura ista & diuersa charitatis opera componet & accinget, neque tam multis operam dabit: nā sicuti exercitio charitatis minuuntur vires cupiditatis, non tantùm meritoriè, sed etiam quasi efficiēter physicè, dum ex eo nascitur habitualis quædam inclinatio ad similes actus tum in voluntate superiori, tum etiam in appetitu inferiori, ita per negligentiam, & peccata venialia quodammodo vires resumit cupiditas, & nascitur maior difficultas ad ea quæ sunt charitatis.

81 Declaratur pars posterior: inprimis quia venialia peccata ordinàriè impediunt auxilia diuina & illustrationes diuinas, quibus solet Deus hominem præuenire: reddunt enim illum minus dispositum ad diuinos influxus recipiendos, quia deprimunt animum ad quendam affectū minus

ordinatum

ordinatum ad creaturas: Delicata enim res est diuina consolatio, inquit D. Bern. non datur admittentibus alienam; Vnde fit quod charitas non prorumpat in actus tam intensos & feruentes, quàm forsitan prius proruperit, dum homo ab istis terrenis animum magis abstraheret.

Accedit quod venialia peccata, quamuis amicitiæ fundamentum non subuertant, tamen suo modo Deum offendunt, eique displicent: vnde fit quod minus familiariter Deus hominem visitet, nec tam suauiter intus cum eo agat: ex quo contingit sæpius hominem in officijs charitatis flaccescere, & aliquando deficere: sicuti è contra diuina visitatio erigit hominem, & ad bonum accendit iuxta illud Psalmi: *Viàm mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.*

82 Altera ratio etiam reddi potest: quia peccata venialia generant quoque prauam quandam inclinationem ad res inferiores, quæ causat in homine difficultatem quandam in actibus charitatis exercendis: vnde fit quod minus vehementer in eos exire soleat, iuxta illud D. Augustini: ad Deum sic loquentis: Minus te amat, qui aliquid amat, quod non propter te amat.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm charitas semel habita amitti possit?

83 PLures hæretici circa hanc quęstionem errarunt, tum antiquiores, tum recentiores: inprimis Iouinianus, vt lib. 1. cap. 2. & lib. 2. cap. 1. contra eundem tradit D. Hier. docebat enim ille eos qui plenâ fide in baptismo renati sunt, à diabolo non posse tentari, ac minus subuerti: imo quicumque tentati fuerint, hoc ipso constare eos aquâ, & non Spiritu fuisse baptizatos. Beguardi & Beguinę damnati Clementinâ Ad nostrum: de Hæreticis, dicebant in hâc vitâ posse hominem ad tantum & talem perfectionis gradum peruenire, quod reddatur pœnitus impeccabilis. Calu. lib. 3. Inst. cap. 2. §. 11. & 40. docet hæc duo: scilicet solos electos iustificari, & semen vitæ per regenerationem cordibus eorum insitum, nunquam disperire: vnde ille vult eos qui à iustitia videntur excidere, nunquam verè iustitiam aut charitatem habuisse: ac proinde charitatem nunquam verè amitti. Sed Petrus Martyr ad cap. 8. epistolæ ad Rom. videtur admittere, posse quidem charitatem semel habitam amitti: veruntamen ante finem vitæ semper recuperari. Quod correspondet cum illo principio Caluini, quod soli electi iustificentur: de his enim constat, nunquam contingere quod aliquis ex eorum numero decedat extra statum charitatis. Sed contra errores illos sit

CONCLVSIO Prima: Charitas verè & realiter habita potest amitti, & qui labitur in quodcumq; peccatum, potuit prius verè, & non apparenter tantùm fuisse iustus. Est de fide definita in Concil. Trid. Can. 23. de iustificatione, fuit etiam Iouiniani error, Romæ & in quodam Concil. Africano damnatus, teste D. Hier. 84

Probatur autē primò ex Scripturis 1. ad Cor. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat,* inquit, Apost. quæ monitio euidenter præsupponit, eum qui iustus est, posse à iustitia excidere: ad Hebr. c. 6. aperte docet Apost. eos qui semel illuminati sunt interdū prolabi: & c. 10. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatu hostia:* & Matth. 24. manifeste significat Christus, non omnes perseuerare qui charitatem acceperunt, *Refrigescet charitas*, inquit, *multorum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit,* vbi per illud, refrigescere, non significari tantum aliquem teporem in operando, sed amissionem charitatis satis colligitur ex illa aduersatiua adiuncta: *Qui autem perseuerauerit,* &c. Ezech. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua,* &c. Luc. 8. *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt:* ad Gal. cap. 5. *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini: à gratia excidistis.*

Secundò probari potest exemplis SS. qui etiam in Scripturis narrantur in peccatum prolapsi: Dauid vir erat secundum cor Dei, & tamen adulterio adiecit homicidium. Vnde haud dubiè tunc à iustitia excidit: Petrus Apostolus quoque negando Christum, amisit charitatem.

Sed contra opponet aliquis ex D. Leone, qui serm. 9. de Passione Domini ita scribit Petrum compellans: Vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem auersam, siue vt alij legunt, euersam, sed constantiam fuisse turbatam; ergo secundum Leonem videtur Petrus non amisisse charitatem. 85

Respondetur Neg. Conseq. solum enim vult D. Leo, quod Petrus non odio Dei aut Christi, neque ex incredulitate peccarit, sed quadam animi inconstantiâ, quæ tamen peccatū fuit mortale, in eaq; lapsum D. Leo agnoscit quamuis deiectionē omnimodam non admittat, non quod habitū charitatis & iustitiæ non amiserit, sed quia adhuc supererant in Petro quidam veluti igniculi, & motus alicuius dilectionis, siue naturalis, siue etiam supernaturalis, sed

quæ

quæ ad perfectam rationem charitatis nō pertingeret, superessent. Cæterum bene monet August. serm. 66. in Ioannem illos accusare Christum dicentem Petro, ter me negaturus es, qui peccatum excusant Petri, quod ipse quàm graue fuerit, lachrymarum vbertate declarauit.

86 Probari Tertiò potest ex antiquis PP. Cypr. lib. de vnitate Eccl. Ideo scriptum est, inquit, tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam, quod vtique Dominus non minaretur auferri posse coronam iustitiæ, nisi quia recedente iustitia, recedat necesse est & corona. Vide Tertull. De præscript. cap. 3. & Iustinum quæst. à gentibus positâ 79 Prosperum ad Capitula Gallorum cap. 2. & 7. & idem alij Patres passim tradunt.

87 Quartò probatur: quia nullam habet verisimilitudinem, omnes qui baptizantur infantes, & per baptismum in Christo regenerantur, totâ vitâ retinere, quam accipiunt, iustitiam, etiamsi aliàs conspiciantur in plurima flagitia prolabi, aut etiam à fide & Christo ad hæresim vel paganismū deficere.

88 Sed contra obijcitur primò illud Ioannis 1. Epist. cap. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare quoniam ex Deo natus est*; ergò qui semel charitatem Dei habet, non potest illam amittere.

Respondetur Neg. Conseq. quia scopus doctrinæ Diui Ioannis est, vt distinguat inter filios Dei, & filios diaboli, ac ponat quasi symbolum aliquod siue notam, quâ internosci & discerni illi possunt à se inuicem: dicit itaque, quod omnis ille, qui est filius Dei, siue ex Deo natus, non peccet nimirum grauiter & mortaliter, quia semen Dei, quod est iustitia siue charitas, in eo manet, quod non compatitur peccatum: ideoque manens scilicet filius Dei, siue ex Deo natus, peccare non possit; quia repugnantia est inter semen illud, seu formam quâ quis renatus est in Dei filiū, & inter peccatum: ac proinde quos videmus peccare & Dei mandata non custodire, cognoscimus eos non esse filios Dei, neque ex Deo natos, sed esse filios diaboli. Vnde statim subiungit & planius quasi per exempla doctrinam suam explicat, *In hoc manifesti sunt*, inquit, *filij Dei, & filij diaboli. Omnis qui non est iustus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum*, scilicet nec iustus, neque ex Deo est, *quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, vt diligatis alterutrum: non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem*, &c. Docet itaque tantum formam filij non consistere cum peccato, & proinde per hoc quod aliqui peccent, posse cognosci quod non sint filij Dei, sed diaboli: quod autem non velit docere, eum qui semel ex Deo natus est non posse desinere esse filium, & charitatē amittere, constat ex sequentibus, vbi sic scribit, *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo*, vbi manifestè significat charitatem semel habitam, per peccatum, & per neglecta opera misericordiæ in necessitate proximi deperdi: & tunc addit: *Filioli mei non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate*: Vnde id quod diximus quasi cōcludit, *In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus, & in conspectu eius suadebimus corda nostra.*

Obijcitur Secundò ex Apostolo ad Roman. cap. 8. *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita*, &c. *neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo* IESV *Domino nostro*; ergò &c. 89

Respondetur ex antecedentibus, manifestum esse Apostolum ibi agere de electis siue prædestinatis. Dicendum itaque est, eum sub nomine, seu in persona illorum hîc loqui, & sensum esse, quod nihil poterit electos diuidere seu separare ab illa Dei dilectione, siue bona voluntate, quâ gratis Deus eos elegit, vt faciat illos suæ gloriæ participes, quodque creatura nulla poterit effectum illius bonæ voluntatis impedire: sicut Christus de ouibus, sibi à patre datis, dicit, quod nemo rapiet eas de manu illius. Aut si quis putet accipiendum esse de charitate Dei, quâ ipsi diligunt Deum, dicendum tunc erit, sensum esse, quod nihil possit eos finaliter & in perpetuum diuidere & separare ab illa charitate, quia scilicet tametsi contingat eos ab illa cadere, tamen Dominus supponit manum ne irreparabiliter collidantur, sed erigit elisos, & si dereliquerint legem eius, visitabit in virga iniquitates eorum, vt est apud Psalmistā, Misericordiam autem suam non disperget ab illis.

Obijcitur Tertiò illud 1. ad Cor. 13. *Charitas nunquam excidit*, ergò &c. Respondetur, charitatem dici nunquam excidere, non quod particulares aliqui nunquam perdant eam in hac vita, sed quia non tantùm in vita hac, siue tempore viæ, sed etiam in patria manet & habetur: non enim dixit Apostolus, charitas à nullo, sed nunquam, scilicet in totum & omnibus euacuatur: prout fides & spes, de quibus dicit, quod nunc manent, non autem quod nunquam excidant, quia in patria sunt euacuandæ, non sic charitas. 90

Obijcitur Quartò: Ex cap. 8. Cant. *Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem*, er- 91

tem; ergò &c. Respondetur ibi commendari robur charitatis quorundam, non autem iustorum omnium, quod scilicet illa sit tam fortis & constans, vt fuit in martyribus, quod valeat omnes impetus tribulationum & persecutionum superare: iuxta illud Euangelij quod sit, qui domum suam fundat supra Petram, & quamuis flumina veniant ac in eam ruant, non tamen subuertant.

92 Obijcitur Quintò, Prouerb. 17. *Omni tempore diligit qui amicus est;* ergò vera charitas nunquam amittitur.

Respondetur Neg. Conseq. Dicitur enim amicus omni tempore diligere, quia sicut in prosperis, ita & in aduersis amicum non deserit: non enim sunt veri amici, qui amicum in aduersis constitutum derelinquunt; declarant namque facto suo, se non fuisse amicos hominis, sed opum eius & fœlicitatis, cum quo consistit quod amicus possit desinere, etiam in prosperis esse amicus, & fieri inimicus, ac tum non diligere, sed odisse.

93 CONCLVSIO Secunda: Non omnis qui aliquando charitatem habuit, & ab ea excidit, resurgit finaliter. Patet ex Conc. Trid. Sess. 6. Can. 17. vbi Anathema dicit eis, qui solis prædestinatis ad vitam, volunt contingere iustificationis gratiam: quod tamen necessariò dicendum erit, si verum sit, quod omnis, qui aliquando gratiam iustificationis obtinuit, resurgat ad eam finaliter: quia soli prædestinati ad vitam finaliter in charitate discedunt.

94 Et probatur ex Scripturis, quæ manifestè conclusionem nostram supponunt diuersis locis: vt Ezech. 18. *Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, &c. nunquid viuet? omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: in præuaricatione qua præuaricatus est, & in peccato, quod peccauit, in ipsis morietur.* Ioan. cap. 15. *Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Quibus manifestè indicatur, & iustos qui se à iustitia auerterint, & eos qui in Christo fuerunt, sed non manserint, aliquando finaliter in peccato mori, & in ignem mitti. Item commemorāt Scripturæ Luciferi lapsum, Saülis, Salomonis, Iudæ proditoris, quos non referunt, nec subindicant ad iustitiā redijsse, de Saule scribit Tertull. lib. De præscript. Saul bonus præ cæteris liuore postea euertitur. Iudam autem proditorem aliquando iustum fuisse, de quo dubitari posset, sentit D. Hieron. lib. 3. contra Pelagianos; ergò &c.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm charitas amittatur per vnum actum peccati mortalis?

CONCLVSIO Diui Thomæ est: Statim per vnum actum peccati mortalis perditur charitas. Est communis & certa contra diuersos errores & hæreses. 95

Probatur Primò, ex Scripturis ad Roman. cap. 6. *Stipendia peccati, mors:* non dicit, multorum peccatorum, sed simpliciter peccati; ergò etiam vnum mortale adducit mortem: & consequēter patet quod destruat charitatem, Iacob. 1. *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem;* ergò vnus actus peccati mortalis pleno voluntatis consensu consummatus, perdit vitam iustitiæ & charitatis. Item c. 2. *Quicumque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus;* ergò per vnum actum peccati destruitur amicitia cum Deo, & charitas tollitur. Confirmatur, quia qui illud committit simpliciter legis præuaricator existit, & Dei legislatoris contemptor: *Qui enim dixit, Non mæchaberis; dixit &, Non occides. Quod si non mæchaberis, occides autem,* addit Iacob. *Factus es transgressor legis;* atqui præuaricatio quæ adfert contemptum Legislatoris, non potest consistere cum eius amicitia, neque cum debita erga eum subiectione; ergò &c. Confirmatur Secundò, quia charitas importat legis plenitudinem, vt patet ex Apostolo ad Rom. 12. ergò qui legem violat, siue eius plenitudinem, etiam vno actu, tollit, necessum est, vt charitatem destruat, 1. ad Corinth. 6. *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebūt? nolite errare: neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, &c. Neque fures, neque auari, &c. regnum Dei possidebunt.* Vnde inprimis patet, quod non per solum peccatum infidelitatis, vt nostri temporis hæretici volunt, perdatur charitas, sed neque etiam ad eius amissionem requiratur aggregatum omnium peccatorum, quandoquidē Apostolus, etiam eos qui vnam speciem peccati committunt, à regno cœlorum excludat. Sed neque requirat magnū numerum peccatorum, eiusdem speciei: Imò quandoquidem ea, quæ eiusdem speciei sunt, sint quoque eiusdem rationis, nō erit fundamentū, cur magis secūdū vel tertium dicatur exstinguere charitatem, quā primum, quando plenè est consummatum; ergò &c.

Probatur

96 Probatur Secundò, ex Conc. Florent. quod definit, eorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel in solo originali discedunt, mox in infernum descendere. Vbi non requirit plura mortalia, aut sæpius frequentata, sed simpliciter determinat eos, qui in actuali peccato mortali moriuntur, damnari. Item Conc. Trid. Sess. 6. cap. 15. expressè dicit, asserendum esse non modò infidelitate: sed etiam quocumq; alio mortali peccato acceptam iustificationis gratiam amitti.

97 Probatur Tertiò ex Patribus: D. Basil. lib. 1. de Baptismo cap. 2. Obseruandum necessariò, inquit, quod non in multa peccata, sed in vnum est adeo horrendum & ineuitabile iudicium, &c. D. Hieron. in cap. 5. ad Gal. Neque refert, inquit, vno quis peccato à beatitudine excludatur, an pluribus, cum omnia similiter excludant.

98 Probat denique D. Thomas huiusmodi ratione: Quilibet actus peccati mortalis contrariatur charitati secundum propriam rationem eius, quæ consistit in hoc, quod Deus diligatur super omnia, & homo totaliter illi se subijciat: vnde ad eius rationem pertinet, quod homo ita se habeat, quod velit in omnibus ei esse subiectus, & præceptorum regulam in omnibus sequi. Quidquid enim contrariatur præceptis Dei, manifestè contrariatur charitati; ergò actus peccati mortalis, qui est absoluta præuaricatio diuinæ legis, & quo se erigit homo contra Deum, excludit charitatem.

99 Sed hic disputatur: Quomodo charitas excludatur quolibet actu peccati mortalis? An meritoriè tantum? An etiam efficienter physicè?

Variant hîc Scholastici in opinionibus, & modis explicandi opiniones suas, etiam illi, qui alioqui in opinione videntur conuenire. Pro resolutione & explicatione difficultatis

Respondeo & Dico Primò: Non rectè dicitur, quod charitas ita meritoriè tantum excludatur per peccatum mortale, quasi nulla esset disconuenientia, aut ratio ex natura rei, id saltem requirens aut postulans.

Declaratur: quia nemo potest negare, quin maior intercedat disconuenientia aut oppositio inter actum peccati mortalis, & charitatem Dei, quàm fuerit inter peccatum Adami, & inter immortalitatem corporis eius, quam demeritoriè exclusit peccatum illud: vel etiam, quàm sit inter peccatum, v. g. adulterij, & inter habitum fidei, si Deus ita statuisset, vt propter demeritum illius peccati, habitum illum auferret. Vnde videmus quoque peccatum mortale cum immortalitate naturæ in Angelo consistere, & habitum fidei per culpam adulterij non amitti, quamuis rectè dici possit, etiam mereri illius priuationē.

Rursus, si tantum attenderetur demeritum, tum dicendum videretur, habitum fidei aut spei magis deperdi per actum odij Dei, qui est maximi demeriti, quàm per actum infidelitatis, aut desperationis.

Dico Secundò: Peccatum mortale habituale excludit formaliter charitatem, 100
sub ea saltem ratione, qua charitas est amicitia cum Deo, & debita conuersio hominis ad illum, vt finem vltimum supernaturalem, idque non minus, quam nigredo excludat formaliter albedinem ab eodem subiecto.

Probatur: Quia habituale peccatum est essentialiter inordinata habitudo hominis ad Deum vt finem vltimum, atque adeo auersio ab illo includens inimicitiam quandam contra illum; ergò formaliter excludit charitatem, & nullatenus potest simul consistere cum illa, sub hac saltem ratione, quâ est debita hominis conuersio ad Deum, & quædam cum illo amicitia. Et iuxta hanc considerationem rectè dixit Vasquez in 1. 2. disp. 91. cap. 2. inter gratiam seu charitatem, & peccatum mortale, esse oppositionem seu repugnantiam naturalem, plusquam inter album & nigrum: quod ita declarat: Opponuntur enim, inquit, non contrariè, sed quasi relatiuè, sicut æquale & inæquale, quæ respectu eiusdem, nec per Dei potentiam eidem conuenire possunt.

Dico itaq; tertiò, quamuis rectè & verè quis dicatur, quolibet actu peccati mortalis charitatem excludere demeritoriè, nō tamen dici debet tantummodò excludere demeritoriè, sed absoluto sermone, & simpliciter potest dici expellere etiam physicè.

Desumitur vtraque pars ex D. Tho. 101
sup. art. 10. vbi sic scribit: Neutro modo (scilicet neque effectiuè, neque meritoriè) peccatum mortale diminuit charitatem, sed formaliter corrumpit ipsam, & effectiuè, quia omne peccatum mortale contrariatur charitati; & etiā meritoriè, quia qui peccando mortaliter, inquit, aliquid contra charitatem agit, dignus est, vt Deus illi subtrahat charitatem: vbi cum apertè distinguat, inter corrumpere effectiuè, & corrumpere meritoriè charitatem, & dicat peccatum mortale vtroq; modo corrumpere, nō relinquitur locus aliter D. Thomā interpretandi, quam quod senserit peccatum mortale efficienter physicè, etiā charitatem corrumpere. Pro pleniori autem responsionis nostræ intelligentia,

Notan-

102 Notandum est, quod vt quis dicatur suo actu efficienter physicè expellere formam aliquam, non sit necesse quod terminus aut effectus illius actionis sit forma physicè actiua quæ in alteram formā quā physicè agat expellitur, quod patet in qualitatibus secundis contrarijs, quæ in se inuicem non sunt actiuæ, & tamen agens, quod v.g. producit albedinem in subiecto, dicitur physicè expellere nigredinē: quare suffecerit, quod sit forma aut quasi forma quæ non compatiatur secum alteram in eodem subiecto, sed formaliter illam excludat, siue id fiat propter immediatam repugnantiam quam cum tali forma habet: vt in exemplo adducto de albedine & nigredine, siue propter mediatam, quia scilicet tollit aut destruit subiecti dispositionem, quæ est necessaria ad conseruationē formæ præexistentis in subiecto, siue in materia: sicuti agens quod inducit frigus & humiditatem, dicitur expellere formam ignis. Neque hic rursum requiritur, quod tanta sit repugnantia, vt nequidem per absolutam Dei potentiam possit cum forma quæ introducitur, conseruari in eodē subiecto forma anterior, sed satis est, vt physicè dicatur expellere, quod secundū connaturalem rerum existendi modum non possint esse simul, vt declarari satis potest per exempla adducta.

103 His positis declaratur Concl. Primò, quia actus peccati mortalis est causa physica peccati habitualis eo modo quo physicam causam habere potest: nam huius, vt culpa est, non potest alia causa assignari; atqui peccatum habituale mortale est ita repugnans charitati quâ parte saltem amicitia est, & conuersio ad Deum tanquam finē vltimum, vt ex natura sua nullo modo admittat sub tali ratione charitatem, sed formaliter expellat; ergò &c. Imò vlterius inde inferri rectè potest, quod simpliciter excludat charitatem: quia secundum connaturalē modum suum non potest charitas esse in homine absque eo, quod conuertat hominem ad Deum tanquam ad amicum & finem vltimum: quidquid interim de eo sit, an charitas secundum entitatem suam, per absolutam Dei potentiam, conseruari possit cum peccato mortali.

104 Secundò, quia sicuti peccatum habituale mortale est habitualis auersio, & inimicitia ad Deum, ita peccatū mortale actuale, est actualis auersio siue actus auersiuus hominis à Deo, vt ab amico & fine vltimo, cum quo non magis potest stare charitas, quæ est opposita conuersio ad Deū, quam cum ipso peccato habituali; atqui homo est causa physica, & physicè operans actū illum auersiuum; ergò etiam exclusionis formæ, quæ connaturali modo ad naturas rerum non potest simul cum eo permanere, siue id fiat, quia est contraria dispositio subiecti, quam non admittit charitas; siue quia sit quasi forma habens immediatam repugnantiam cum ipsa charitate.

Sed contra obijcitur primò: Non potest causa creata efficienter physicè charitatem in subiecto producere; ergo neque expellere. 105

Respondetur Neg. Conseq. Quia manifestum est, non eam semper virtutem requiri ad res destruendas, quæ ad componendas, quod facilè in multis ostenditur: non enim potest homo efficienter in materiā animam rationalem, quæ à Deo infunditur, producere, & tamen potest efficienter expellere, quando alterum hominem occidit: sic etiam, quamuis non possit homo producere lumen solis in cubiculo, potest tamen efficienter excludere, quando fenestram claudit, per quam intrabat: sic ergò etiam efficienter peccator suo actu expellit charitatem, quia actio illa, vt explicuimus, non compatitur secum charitatem, iuxta connaturalem modum existendi. Vnde natura rei postulat, vt Deus desinat illam conseruare in subiecto accedente tali actu, quemadmodum vt desinat conseruare animam rationalem in corpore, quando dispositiones necessariæ iuxta exigentiam naturæ, sunt sublatæ.

Obijcitur Secundò: Habitus vitiosus acquisitus ex actibus peccati frequentatis remanens, non destruit formaliter charitatem, quod patet, quia contingit hominem iustificari & recuperare charitatem pro tempore, quo vitiosis adhuc inclinationibus est subiectus, quibus tamen non assentiatur; ergò neque actus peccati videtur formaliter illam destruere tanquam forma, cum qua ex natura rei non possit charitas consistere. 106

Respondetur Neg. Conseq. Quia eiusmodi habitus vitiosus nō includit nec importat auersionem, quâ actualiter homo sese à Deo retrahat, & conuertat ad creaturam, neque etiam quâ habitualiter maneat auersus, quemadmodum diximus dò actu peccati mortalis, ratione cuius fit, quod formaliter excludat charitatem, & is qui illum committit, dicatur physicè efficienter charitatem expellere.

QVÆSTIO XXV.

De Obiecto Charitatis.

In duodecim Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm dilectio charitatis sistat in Deo: An se extendat etiam ad proximos?

1 CONCLVSIO Diui Thomæ est, quod dilectio charitatis etiam ad proximum sese extendat.

Probatur Primò ex Scripturis: 1. Ioannis 4. *Et hoc mandatum habemus à Deo: vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum:* & ibidem paulò suprà: *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est*; ergo dilectio charitatis ad proximum quoque, siue fratrem se extendit.

Probatur Secundò ratione, quia charitas est amicitia quædam cum Deo; ad perfectam autem amicitiam pertinet, non solum illum diligere cum quo amicitia primariò habetur, sed etiam ratione illius, omnes eius filios, domesticos, amicos diligere, & omnia quæ ipse diligit, aut vult ab amico diligi. Vnde D. Th. quæst. disputata de charitate art. 4. id sic explicat, Qui Petrum diligit, omnes qui Petro coniuncti sunt, diligit: itaque qui Deum diligit, oportet omnes illos diligat, qui ad Deum ordinantur, in illis enim Deum diligit.

Pro pleniori autem intelligentiâ eorum, quæ hoc articulo & in alijs sequentibus D. Tho. pertractat, operæ pretium fuerit aliquantulum distinctius & latius explicare ea, quæ ad obiectum charitatis in communi pertinent. Quæritur itaque Primò,

Quodnam sit propriè obiectũ formale charitatis, vt virtus est Theologica?

2 RESpondetur: obiectum formale, siue formalis ratio obiectiua charitatis, est bonitas increata, & infinita excedens omnem creaturæ naturalem proportionem & capacitatem, tam secundùm intellectum, quàm affectum, quæ reddit Deum super omnia amore proportionato amabilẽ propter se, & alia propter ipsum, id est, amabilem amore beneuolentiæ, quo scilicet præ omnibus etiã præ nobis ipsis, illi bene volumus, & omne bonũ exoptamus idque propter illum, siue vt hoc eius bonum est, & alijs similiter bene volumus eosque amamus similiter propter ipsum, quia hoc illi gratum & beneplacitum est. Indicat hæc D. Tho. suprà quæst. 23. art. 5. ad 2. & artic. 6. in Corp.

Declaratur autem per singula: nam inprimis quod debeat esse quædam ratio boni siue bonitas quædam, patet, quia charitas ad vires appetitiuas pertinet: estque amor quidam, qui non potest in aliquid tendere, nisi sub ratione boni: quod autem sit increata & infinita bonitas superexcedens naturalem creaturæ proportionem & capacitatem ostenditur, quia in hoc distinguitur charitas tum ab amore erga creaturã, quamcumq;, vt hæc propter suam bonitatem diligitur, tum etiam ab amore naturali, quo Deus sub hâc formâ vt author naturæ, diligitur super omnia: sic enim amatur etiam vt habet summam quandam bonitatem, sed quæ potest naturaliter à creatura intellectuali apprehendi & teneri, quatenus cum ea habet quandã cõmunicationem sub ratione proportionati principij & finis: ista autem, quã charitas respicit, non nisi supernaturali lumine cognosci, & non nisi viribus supernaturalibus amplecti & teneri potest, quia vt sic nõ est principium eius aut finis secundum rationem naturæ. Quemadmodum enim Deus habet duplicẽ rationẽ finis vltimi in ordine ad creaturã intellectualẽ, scilicet finis naturalis & supernaturalis, ita quoque oportet admittere duplicẽ eius amorem, quia secundum diuersam illam rationẽ finis, oportet in eo cõsiderare diuersi ordinis respectu nostri bonitatẽ, & secundum vtramq; existit haud dubiè amabilis & diligendus. Cæterum quod amor ille distinctus ac duplex sit necessariò admittẽdus, quamuis aliqui distinctionẽ illam non 3

videantur

videantur voluisse, cõstat ex propositionibus cõdemnatis aut reiectis per Pium V. & Greg. XIII. Pontifices maximos, & agnoscitur & docetur à D. Thomâ diuersis locis: vt 1.2. quæst. 109. art. 3. Quodlibeto 1. art. 3. & alibi: vnde etiam, vt nobis insinuaret hanc bonitatis rationem altioris ordinis supra omnem creatam naturam, dixit D. Tho. suprà, formale obiectum charitatis esse bonum diuinum; vt est obiectum beatitudinis, quia secundum hanc rationem, naturæ creatæ ordinem excedit.

4 Additur autem, Quæ reddit Deum amabilem; quia charitas includit ordinem ad personam quam facit bonitas amabilem: est enim amor quidam beneuolentiæ, qui necessariò debet terminari ad suppositum intellectuale. Additur, Propter se, id est, amore quo illi bene volumus, & de eius bono, quatenus ipsius est, gaudemus: vt distinguatur à formali obiecto supernaturalis amoris concupiscentiæ, qui spem generat: nam etiam huius amoris obiectum formale est increata bonitas, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, sed quatenus Deum amabilem nobis facit propter nos, vt scilicet nos ex illo bene habeamus, & in illo beati simus.

5 Sed contra obijcitur primò: Deus est amabilis & diligendus ex charitate, non tantùm quia bonus est, sed etiam quia sapiens, quia iustus, quia misericors, & propter alia attributa; ergo non rectè fuit explicata, aut saltem non sufficienter, formalis obiectiua ratio charitatis.

Respondetur Negando Consequentiã: dupliciter enim potest intelligi aut capi summa & increata Dei bonitas: vno modo, vt est attributum distinctum ab alijs dicens quandam summam, sed quasi particularẽ Dei perfectionẽ, scilicet in operando, & sese cõmunicando; & iuxta hanc considerationem, non est adæquata, & tota ratio dilectionis ex charitate: quemadmodum neque est ratio totalis adæquatè beatificans hominem: Alio modo, vt dicit absolutam perfectionem in omni genere excellentiæ, siue absolutissimam excellentiam in omni genere perfectionis. Et hoc modo oportet accipere quãdo dicitur formalis obiectiua ratio specialis & propria charitatis, quia licet hęc bonitas sit vniuersalis in continendo perfectionem omnem, propter quod sufficiens est ad explendum omnem appetitum, tamen in se est simplicissima ratio, quæ specialem quoque amorem & dilectionem exinde requirit.

6 Obijcitur Secundò, diligimus Deum ex charitate propter beneficia nobis collata; atqui ibi ratio amandi non est increata Dei bonitas, sed magis bonitas creata, scilicet beneficium nobis præstitum; ergò &c.

Respondetur Primò, quando simul ex charitate Deũ verè diligimus cum ordine ad beneficia nobis præstita, tunc actum illum amoris procedere à duplici virtute tanquam principijs, scilicet à virtute gratitudinis, quæ sicuti docet Diuus Thomas infrà quæst. 106. art. 10. prout est ad Deum, est pars religionis, siue ipsa religio; & à virtute charitatis, quæ à gratitudine imperatur: hæc enim mouet, vt tale obsequium amoris pro beneficio rependamus Deo, & eatenus potest dici actus ille esse propter beneficium; à charitate autem elicitur, sed proximè propter ipsam Dei bonitatem increatam modo explicato, quæ digna est, vt taliter ametur.

Respondetur Secundò, præter primariam rationem formalem obiectiuam, quæ terminat actum amoris, non incõgruè à Scoto in 3. dist. 17. constitui quandã secũdariam rationem allicientem ad amandum, quã dicit esse rationem aliquam relatiuam in diligibili ad amantem, in quantum est conueniens bonum, & sui cõmunicatiuum suis amatoribus: v. g. inter homines amatur aliquis primò & principaliter propter bonum honestum, quo pollet tanquam propter primariam rationem terminantem actum amoris, vt propter virtutes & doctrinam illius: præterea autem, si cognoscatur redamare & beneuolus esse in eos qui illum diligunt; tunc affectus eius beneuolentiæ circa suos amatores est quædam specialis ratio amabilitatis alliciens ad amandum, & suo modo diuersa à priori: sic igitur quoque dici potest, quod infinita Dei bonitas est prima & principalis obiectiua ratio amandi illum ex charitate, sed quod ipse quoque nos amet, & se nobis communicet, sit quædam secundaria ratio prouocans & exstimulans ad amandum ipsum, principaliter tamen semper propter ipsammet bonitatem, quæ digna est affectu omni beneuolentiæ, & amore; & in hoc gradu secundò amabilitatis, dicit ille, possunt collocari omnia illa quæ Dei erga nos dilectionem demonstrant, siue in creando, siue in redimendo, siue in disponendo nos ad beatitudinem & salutem: ita tamen, quòd vt amor iste sit perfectus, non tam debeat esse propter beneficia quę in nobis recipimus, quàm propter diuinum amorem erga nos, ex quo nobis talia cõmunicantur. Vnde quando etiam tali respectu & motiuo Deus amatur, haud dubiè magis amatur ipse, quia tam bonus est vt nos amet, quàm ametur propter beneficium propriè 7

loquendo. Quare nec actus istius ratio obiectiua, quam dicimus veluti secundariã, est extra diuinam bonitatem: nam amor, vnde Deus se nobis communicat, est ipse Deus, & ad diuinas perfectiones, & infinitam eius bonitatem, quam diximus formale obiectum, pertinet: quamuis interim sub ista particulari ratione bonitatis conuenienter dici possit, secundaria quædam ratio alliciens & prouocans singulariter amorem & affectum nostrum.

8 Virũ verò quædam talis communicatio diuinæ bonitatis sit absolutè necessaria ad eius in nobis amorẽ ex beneuolentia, dubitari potest. Quidã enim videntur id requirere. Scotus tamẽ loco citato magis negat, & vt apparet, rectiùs, si saltem separetur ratio amicitiæ, & tantummodo ponatur amor beneuolentiæ ex altera parte: nihil enim videtur absolutè repugnare, quo minus possim virtutes & perfectiones amare etiam in illo, cum quo nihil mihi communicationis aut dependentiæ intercedit.

9 Quæritur Secundò: An propter formalem rationem obiectiuam nunc explicatam, diligatur, non tantùm Deus, sed etiam proximus, ad quem dictum est dilectionem charitatis se extendere?

Et quidem quod Deus propter infinitam illam eius bonitatem, & superexcedentem vires nostras, sit amore beneuolẽtiæ amabilis & diligendus, facilè intelligitur, cum sit illi intrinseca & essentialis. Sed non ita facilè apprehenditur, quomodo possit esse ratio diligendi ex charitate proximum, cui est omnino extrinseca: imò qui sæpius opposità quasi malitiâ laborat.

Respondetur nihilominus, proximum etiam propter illam infinitam Dei bonitatem tanquam rationem motiuam, ex charitate esse diligibilem ac diligendum: neque enim refert quod sit ei extrinseca, vel quod ipse ab ea sit alienus, quia non semper necesse est inesse bonitatem ei quod amatur propter talem bonitatem, vt facilè in alia materia potest exemplis declarari: nam v. g. medecina amatur (quamuis per se ingrata) propter bonitatẽ sanitatis, quæ tamen medicinæ est extrinseca: quare licet increata Dei bonitas proximo non insit, potest tamen esse causa illum diligendi.

10 Dicet aliquis medicina amatur propter bonum sanitatis, quia est conueniens medium ad bonum illud comparandum; atqui non ita se habet proximus ad Deum, vt illum amemus propter Deum, quasi medium ad Deum nobis comparandum; ergo non videtur exemplum ad rem facere.

Respondetur, exemplum hactenus esse ad rem, & ad id solum adduci, vt declaretur quomodo res aliqua possit esse amabilis & amari propter bonitatem sibi extraneam, ad quam obtinet certum ordinem & respectum. Quãuis itaq; non idem sit ordo proximi ad Deum aut eius bonitatem, qui est medicinæ ad bonum sanitatis, tamen est ordo alius proximi nostri ad Deum, qui similiter sufficiens est, vt faciat proximum diligibilem propter Deũ, eiusque bonitatem: qui ordo in pluribus potest fundari, ac inprimis in mandato quod Deus infinitè bonus dedit de proximo diligendo: inde enim nascitur quædam necessitas diligendi proximum ad hoc, vt Deo amico nostro cõplaceamus, & quod illi gratum est, præstemus: ea autem de causa diligere proximum, non est aliud quàm ipsum diligere propter Deum & diuinam bonitatẽ, cui per omnia placere, & quod illi gratum est: præstare volumus; quod fundamẽtum significat D. Aug. lib. 8. de Trinitate c. 7. dum sic scribit, Qui diligit Deum, consequens est, vt faciat quod præcepit Deus: & in tantũ diligit, quantũ facit; Consequens est ergo, vt proximum diligat, scilicet propter Deum, siue ex Dei amore, quia hoc præcepit Deus. Idem statui potest ex illis verbis Christi apud S. Ioannem, *Qui diligit me, sermonem meum seruabit.*

Secundò potest ordo iste fundari in eo, quod infinita Dei bonitas sit quoddam bonum commune dignum diligi, atque adeo cui dilectio debetur ab omnibus, qui illius diligendi ac fruendi aliquando adhuc sunt capaces. Inde enim fit quod non ego non tantũ debeam per me illud amare, & per me illi benè velle, sed quod debeã velle & amare, quod ab omnibus pro sua dignitate, & secundum quod illi debetur, diligatur, & quod omnes affectu beneuolentiæ illi inhæreant: hoc autẽ est maximè diligere proximos, quia nõ possumus magis amare, nec quidquam ipsis melius desiderare, quàm eis velle vt Deum ex charitate, prout dignissimus est, diligant: id autẽ illis volumus propter Deũ, quia sicut dicimus, ideo volumus quod infinita Dei bonitas id mereatur, & digna sit ita diligi ab omnibus. Hoc fundamentum indicat Scotus in 3. dist. 28. vnde etiam patet quomodo & nos ipsos ex charitate diligimus propter Deum. Cæterùm, quia formalis obiectiua ratio charitatis, infinita scilicet Dei bonitas vt superexcedit vires nostras, modo suprà explicato, non inest proximo: sed ille charitate diligitur tantùm propter certas habitudines ad illam, ideo non diligẽdus est ipse super omnia, quãuis 11

propter

propter summā bonitatem diligatur, quia debere diligi super omnia proprium est illi, cui summa & infinita bonitas intrinsecè & essentialiter competit; non autem commune omnibus, qui diligendi sunt propter qualemcumque respectum ad supremam illam bonitatem.

12 Sed quæri tertiò potest: Vtrum homo iustus non sit diligibilis ex charitate ratione suæ bonitatis supernaturalis creatæ, & sibi inhærentis, v. g. propter gratiam sanctificantem, fidem, spem, charitatem, & alias virtutes, & sanctas operationes.

Respondetur, per se inprimis satis constare ratione eiusmodi bonitatis proximū esse diligibilem, & quidem dilectione supernaturali: quia tam gratiosæ & sublimes virtutes non possunt non esse amabiles, & subiectum suum reddere dignum amore & beneuolentiâ. Addo autem, & quidem dilectione supernaturali, quod etiam facilè declaratur, quia proxima ratio motiua huius dilectionis est supernaturalis, cui proinde debet dilectio esse proportionata, atque adeo supernaturalis, vt talis sit qualem conditio obiecti requirit.

13 Sed difficultas est, Vtrum hic amor sit propriè amor charitatis ab habitu charitatis elicitus? Apparet enim quod non, quia charitatis ratio formalis obiectiua adęquata esse videtur bonitas increata; motiuum autem huius dilectionis, est aliqua bonitas creata.

Respondetur propter istam & alias plures rationes, quæ adduci possent, non improbabiliter posse dici, quod actus ille amoris sit alterius virtutis, scilicet amicitię moralis: quæ tamen sit infusa & supernaturalis, & respondeat amicitiæ humanæ morali, quâ se diligunt homines amore beneuolentiæ propter dotes aut virtutes naturæ. Neq; aliquid videtur hic multum obstare, quo minus id dici possit, vt scilicet illius amicitię supernaturalis statuatur obiectum bonum honestum supernaturale, sicuti obiectum huius est bonum honestū morale secundum rectam rationem naturalem, nisi quòd antiquiores Scriptores non videantur agnoscere duplicem amorem proximi supernaturalem, sed omnem illum amorem videantur reducere ad charitatem. Ad hoc tamen responderi posset, Scriptores illos loquutos esse, de dilectione, quam debemus omni proximo, quæ est sine dubio semper charitatis, & propter Deum: non autem respexisse ad dilectionem, quæ ex particulari ratione & particulari motiuo potest aliquibus impendi: quod colligi potest ex D. Tho. dum hic ad 2. ita scribit: vnde eodem amore charitatis diligimus omnes proximos, in quantum referuntur ad vnum bonum cōmune, quod est Deus: & clarius ex eodem infrà quęst. 103. art. 3. ad 2. vbi sic habet, Ad secundum dicendum; quod ratio diligendi proximum, Deus est; non enim per charitatē diligimus in proximo, nisi Deū: & ideo eadem charitas est, qua diligitur Deus & proximus. Sunt tamen, inquit, aliæ amicitiæ differentes à charitate secundum alias rationes quibus homines amantur.

Si quis tamen putauerit non esse admittendum habitum supernaturalem amicitię moralis, sed tantùm habitum charitatis Theologicæ, poterit is dicere, quod amor, de quo quæritur, etiam sit à charitate; Verùm in quem charitas inclinat non primò, sed quasi secundariò: dum enim habitus charitatis per se primò tendit in bonitatem illam infinitam, & omnem naturalem proportionem creaturæ superexcedentem, consequutiuè natum esse fieri vt etiam tendat & moueat in istam bonitatem, quæ huius est fructus & radius quidam, eiusdē quodammodo ordinis ab illa promanans & dependens, vt sunt gratia sanctificans, & virtutes infusæ. 14

Ad illud itaque quod in oppositū allegatur, poterit responderi, quod quidem primaria ratio obiectiua adæquata sit bonitas Dei increata, sed secundaria etiam sit bonitas illa supernaturalis, de qua dictum est: à primaria autē ratione obiectiuâ sumi virtutis speciem & substantiam, ac proinde, eo etiam non obstante, charitatem posse dici habitum simplicem, neque ex diuersis partibus compositum. 15

Alij autem dicunt, formalem obiectiuā rationem adæquatam esse bonitatem Dei infinitam, vel per se, vel per participationem, neque referre quod istæ bonitates nō sint numero aut specie vnū quid in esse reali, hoc enim nō requiri ad constituendā vnā rationem habitus: sed sufficere quod sint vnum secundum quandam analogam conuenientiam in eodem gradu & ordine rerum. 16

ARTICVLVS II.

Vtrùm charitas sit ex charitate diligenda?

NOtandum cum D. Tho. per amicitiam aliquid dupliciter amari: Vno enim modo amatur aliquid, tanquam persona ipsa ad quam habemus amicitiam; cui scilicet bona volumus: Alio autem modo amatur aliquid per amicitiam, tanquam bonum quod amico volumus. 17

CONCLVSIO itaque est, quod charitas diligatur per charitatem, non quidem priori modo, sed posteriori, tanquam scilicet bonum quod amico volumus, siue nobis, siue proximis propter Deum. Desumpta autem videtur hęc doctrina ex D. August. lib. 8. de Trinit. cap. 7. vbi sic scribit: Qui diligit proximum, consequens est, vt etiam dilectionem diligat, qui ergo ex charitate diligit proximum, etiam ex charitate diligit charitatis dilectionem, & ipsam charitatem. Id vero dupliciter fieri posse, in hunc ferè modum explicat D. Tho. Primò, quia amor ex sua propria ratione habet, quod sit spontaneus motus amantis in amatum; vnde fit quod supra se implicitè semper reflectatur, & seipso sit volitus, & quodammodo amatus, nisi enim quis vellet amorem, & amaret amare, non amaret. Secundò, quia obiectum appetitus & amoris est bonum vniuersale: quandoquidem ergo charitas etiam contineatur sub ratione boni in vniuersali, potest etiam voluntas actu directo & expresso velle & diligere ipsam charitatem: & hoc modo, non tantùm per charitatem diligimus charitatem, sed etiam alia bona spiritualia, vt cæteras virtutes, & ipsam æternam beatitudinem, quæ nobis & proximis optamus propter Deum, cui tanquam amico & dilecto nostro, cupimus per eiusmodi bona complacere, & perpetuo beneuolentiæ affectu inhærere.

ARTICVLVS III.

Vtrùm etiam creaturæ irrationales sint ex charitate diligendæ?

18 CONCLVSIO D. Tho. est: Creaturę irrationales non diliguntur ex charitate, tanquam suppofita ad quæ habeamus amicitiam; possunt tamen ex charitate diligi, tanquam res aut bona quæ volumus amico, quem charitate diligimus.

Prior pars patet, quia amicitia non potest esse nisi ad eum, qui amorem nostrum possit intelligere, & vicissim amorem rependere, quod locum non potest habere in creaturis irrationalibus. Deinde, charitas est amicitia fundata super quadam communicatione in bonis diuinis & cœlestibus siue spiritualibus, in quibus nobiscum non possunt communicare creaturæ irrationales: vnde nec illis eiusmodi bona possumus velle, immo ex quo carent ratione, ac proinde non habeant propriè vsum aut fruitionem boni, dicit generaliter D. Tho. nos affectu beneuolentiæ non posse propriè bonum aliquod velle irrationali creaturæ. Vnde etiam Philosophus 2. phys. docet quod eiusmodi rebus non dicamus aliquid bene vel malè contingere, nisi secundum similitudinem.

Posterior pars declaratur, quia possumus velle earum esse, & cõseruari ad laudem & gloriam Dei, tanquam amici nostri, & ad salutem proximorum, quia diuinam potentiam, sapientiam, & bonitatẽ in illis discimus & consideramus, & ex eis in diuinas laudes assurgimus: vnde Psal. 135, & 148. item in hymno trium puerorum, omnes creaturæ prouocantur ad laudandum & benedicendum Dominum: ex Dei quoque ordinatione & directione sunt quædam nobis adminicula ad æternã beatitudinem consequendam; ergò &c. 19

ARTICVLVS IV.

Vtrùm homo debeat seipsum ex charitate diligere?

CONCLVSIO Prima: In genere loquendo non diligit homo seipsum propriè amore amicitiæ. Ita D. Tho. nemo enim habet propriè amicitiam ad seipsum: vnde sic charitatem, sub propria ratione amicitiæ considerando, dixit D. Greg. hom. 17. in Euangelia, quod charitas minus quam inter duos haberi non possit. Ratio est, quia amicitia per se tendit in alterum, qui amantem redamet: vt patet ex Philosopho lib. 8. Ethic. cap. 3. & 8, 20

CONCLVSIO Secunda: In genere tamen est amor bene ad seipsum, qui etiam maior dicitur, quam amor amicitiæ quem habemus erga alios homines. Declaratur, quia amicitia vnionem quandam importat, amor enim est virtus vnitiua, vt docet Dionys. de diuinis nominibus cap. 4. parte 2. vnicuique autem ad seipsum est vnitas, quæ potior est vnione ad alterum. Vnde sicut vnitas est principium & quasi exemplar vnionis; ita amor, quo quis diligit seipsum, est radix & forma amicitiæ, quã diligit alios homines; quia in hoc dicimur habere amorem ad alios, quod ad eos nos habeamus, sicut ad nos ipsos. Dico autem, qua quis diligit alios homines, quia dilectio sui ipsius non potest nec debet dici principium & forma dilectionis Dei, nam hæc debet esse maior, neque ad amorem sui ipsius potest mensurari, sed eum debet excedere: oportet enim patrem, & matrẽ, imo & animam odisse, & omnia postponere dilectioni Dei: vt docet Christus apud Lucam cap. 14. Neque ad alium amorem 21

amorem amicitiæ, quam qui est inter homines, respexit Philosophus quãdo voluit amorem proprium, esse formam & mensurã amicitiæ ad alium, quem D. Thomas hîc citat in suæ doctrinæ confirmationem.

22 Conclvsio Tertia: Debet itaque quilibet homo seipsum diligere ex charitate. Probari potest ex illo Matth. cap. 22. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, vbi implicitè mandatur vnicuique dilectio sui, tanquam necessaria mensura & forma dilectionis proximi. Confirmatur ex D. August. lib. 1. De doctr. Christiana cap. 26. vbi tametsi doceat opus non fuisse præcepto, scilicet particulari & expresso, vt se quisque & corpus suum diligat, tamen in fine capitis sic concludit, Sed dictum est, Diliges proximum tanquam te ipsum, simul & tui abs te dilectio non est prætermissa.

23 Probatur Secundò ratione, quia Deus, vt finis noster supernaturalis & infinitè bonus, dignus est, vt ab omnibus diligatur amore amicitiæ; ergò debemus, etiam propter Deũ, nobis velle illum amorem amicitæ ad Deum; atqui hoc est amare nos ipsos ex charitate, & propter Deum, sicut ex antedictis de dilectione proximi ex charitate satis patet; ergò &c. & quidem hoc modo diligimus nos ipsos, etiam tanquam personam cui beneuolo affectu bonum volumus, sed propter Deum, estque amor beneuolentiæ etiam, vt ad nos terminatur, quamuis non amicitiæ propriè loquendo, vt constat ex dictis. Deinde etiam alio modo possumus ex charitate diligere nos ipsos, nimirum sicuti creaturas irrationales diximus ex charitate diligi, videlicet tanquam bonum aliquod ipsius Dei, quod laudi & gloriæ eius tanquam dilecti nostri, cui omne bonum volumus, deuouemus.

24 Dicet aliquis, solent vituperari homines amantes sui ipsorum; ergò &c. Respondetur, solet quidem vituperari amor sui, sed non qui est secundum charitatem, de quo hîc loquimur, sed qui est secundum cupiditatem malam, qua homines se amant secundum sensibilem & corruptam naturam, cui indulgent & obtemperant.

ARTICVLVS V.

Vtrùm debeat corpus suum homo ex charitate diligere?

25 Conclvsio est affirmatiua: Potest probari ex D. Augustino lib. 1. De doct. Christiana, cap. 23. vbi dicit, quatuor à nobis esse diligenda; vnum quod supra nos est, scilicet Deum; alterum quod nos sumus; tertium quod iuxta nos est, scilicet proximũ; & quartum quod infra nos est, scilicet corpus nostrũ. Deinde probatur ratione, & simul explicatur, quia corpus nostrũ est à principio bono, scilicet à Deo nobis datũ, vt sit instrumentum bonorum operum, quibus Deus honoretur, & ei grata obsequia præstentur. Vnde Apostolus ad Roman. 6. *Exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes: & membra vestra arma iustitiæ Deo*: & infrà; *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem*: oportet ergò, etiam corpus nostrũ propter Deum diligere quatenus eius voluntati & obsequijs deseruit.

Sed Quæres: Vtrùm corpus nostrum tantummodo ex charitate diligatur, tanquam res, quam volumus esse ad bonum amici, siue ad eius obsequium. Respondetur, sic quidem præcipuè ex charitate diligi, sed tamen etiam posse suo modo diligi tanquam id cui bonum volumus, quatenus suo modo ad laudem & gloriam Dei quoq; capax est participatæ beatitudinis, quæ ex anima gloriosa in ipsum redundabit, iuxta Apostolum 1. ad Corinth. 15. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*: vnde 2. ad Corinth. 5. sic scribit, *Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati: eo quod nolumus exspoliari* (id est, nolumus planè quidem corpore carere) *sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est, à vita.* Hinc rectè etiam docet D. Thomas, quod licet corpus sit diligendũ, non tamen debeamus diligere infectionem culpæ & corruptionem, sed magis ad eorum euacuationem anhelare. Sed neque contra corporis debitam dilectionem agunt, qui cõtinentiâ quadam, & laboribus quasi persequi corpora sua videntur, quando illud prudenter agunt, vt docet Diuus August. lib. cit. cap. 24. quia non id agunt odio corporis, sed odio rebellionis carnis & indomitæ concupiscentiæ, vt habeant ipsum corpus spiritui subiugatum, & ad opera bona & necessaria paratum, vtque inferior pars sit superiori subiecta, prout rectus ordo postulat. Imò vel maximè amant tales hoc ipso vitam & corpus suum, quia qui sic oderunt in hoc mundo, in vitam æternam illa custodiunt, vt significat Christus Ioannis 12. Vnde August. tract. 5. in Ioannem scribit, Fœlices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm peccatores sint ex charitate diligendi?

Conclvsio D. Thomæ est: Peccatores ex charitate diligendi sunt secundum naturam, secundum quam capaces sunt æternæ & cœlestis beatitudinis, nõ secundum culpam, quà ipsi contrariantur Deo. 27

Probatur prior pars, inprimis exemplo Christi Domini, qui dicit, *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Vnde Apostolus ad Rom. 5. scribit, *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est*; ergò & nos peccatores diligere debemus. Secundò, quia generaliter præceptum est, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum:* quod autem nomine proximi etiam peccator veniat intelligendus, colligitur ex doctrinâ Christi Matt. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum,* &c. vbi peccator dicitur etiam frater, & proinde quoque proximus noster est. Neque agitur tantùm ibi de leui peccati, sed etiam de peccato, quo frater perdatur & moriatur spiritualiter: vt patet ex eo quod additur, *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* D. August. quoque lib. 1. De doctr. Christiana, cap. 3. sic scribit de hoc præcepto, Nam quod nullum hominem exceperit, qui præcepit vt proximum diligamus, & ipse in Euangelio Dominus ostendit: & infrà, Nullum autem exceptū esse, cui misericordiæ denegetur officium, quis non videat, quando vsque ad inimicos etiam porrectum eodem Domino dicente, Diligite inimicos, benefacite his qui oderunt vos: Imò & eâ ratione magis proximi nomine intelligendus est peccator, quod magis ope nostrâ indigeat.

28 Probatur posterior pars, quia hoc ipso quo culpa aduersatur Deo, quem supra omnia diligere debemus, implicat vt illam propter Deum diligamus: Imò hoc opus dilectionis est, quod culpam in proximo oderimus, quia & ipsi mala est, & Deo inuisa & ingrata: vnde propter Deum debemus illam odisse. Quare rectè Prosper sententia secunda: Sic diligendi sunt homines, inquit, vt eorum non diligantur errores, quia aliud est amare quod facti sunt, aliud est odisse quod faciunt: & August. lib. 14. de Ciuitat. cap. 6. Nec propter vitium oderit hominem, sed oderit vitium, & amet hominem. Estq; illud odium perfectum contra peccatores: de quo dixit Psaltes, Psal. 138. *Perfecto odio oderam illos.*

29 Dicet aliquis: Prophetæ & SS. sæpius in Scripturis videntur velle, & apprecari peccatoribus multa mala, quæ aduersantur eorum conuersioni & saluti, vt Psalm. 9. *Conuertantur peccatores in infernum.* Psalm. 103. *Deficiant peccatores à terra, & iniqui vt non sint.* Isaiæ 6. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua,* & similia repetuntur Matth. 13. & Ioannis 12. ergò apparet quod etiam Sancti oderint ipsos homines, illisque mala voluerint.

Respondetur eiusmodi Prophetarum & Sanctorum sermones & increpationes, quæ in Scripturis sæpius occurrunt, tripliciter intelligi: vno modo, per formam prænuntiationis seu prædictionis, non per modum optationis: vt quando dicitur, *Conuertantur peccatores in infernum,* sensus sit, futurum esse quod conuertentur, & cadent in infernum: similiter quando dicitur, *Excæca cor populi huius,* sensus est, futurum esse, quod Iudæi excœcandi sint. Secundo modo, inquit D. Thomas per modum optationis, sic tamen, vt desiderium optantis non referatur in malum peccatoris, sed ad iustitiam punientis, vt sit quasi iusta indignatio, non contra hominem, sed contra culpam: & quædam approbatio diuinę iustitiæ vindicantis peccatum; iuxta illud Psal. 57. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris:* lætatur autem in iustitia Dei, nō in ipso malo hominis, nec ipse Deus puniens lætatur in perditione impiorū, vt dicitur Sap. cap. 1. sed in sua iustitia, quâ iustus est Dominus, & iustitiam dilexit. Tertiò, vt desiderium referatur ad remotionem, & annullationem peccati, non ad pœnam aut malum hominis, vt scilicet Sancti intelligantur optare & rogare, quatenus peccata destruantur & homines salui fiant peccata deserendo, & iustitiā apprehendendo, quomodo rectè accipitur illud Psalm. 103. *Deficiant peccatores à terra, & iniqui vt non sint,* scilicet secundum quod peccatores & iniqui.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm peccatores diligant seipsos?

Ostendit D. Thomas triplicem in homine posse inueniri amorem sui ipsius: Vnus est naturalis, qui communis est bonis & malis, quo scilicet vnusquisque amat suum Esse, qui tamen in malis multum solet peruerti. Alter est, quo plus diligitur, quod in homine præcipuum est, scilicet homo interior, & bonum eius spirituale, quomodo soli boni diligunt seipsos. Tertius est, quo plus diligitur, quod in homine inferiùs est, scilicet exterior & animalis homo, quomodo se mali diligunt contra charitatem vsque ad contemptum Dei. 30

Absolutè itaque loquendo ad articulum Respondetur, quod peccatores non diligant seipsos. Declaratur, quia homo secundum id quod in eo principale est, venit absolutè æstimandus: peccatores autem non amant quod in ipsis principale est, scilicet animam, & eius bonum & salutem: iuxta illud Psal. 10. *Qui diligit iniquitatem* (prout peccatores) *odit animā suam:* & D. August. lib. 1. De doctr. Christiana, cap. 23. docet, quod talis dilectio sui (qua scilicet quis cupiditatibus appetitus indulget & obsequitur) melius vocetur odium, quàm dilectio. Vnde & S. Iudas in sua Canonica sic monet, *Odientes & eam, quæ carnalis est, macula-* 31

tam tunicam: Ad quæ verba scribit Beda: Carnalem tunicam dicit corpus nostrum, non autem corpus nostrum debemus odisse, sed maculatum hoc omnimodis debemus odisse, & quantum valemus, agere vt hoc immaculatũ reddamus, vt de carnali spirituale mereatur effici. Cũ ergo peccatores ament cupiditates partis inferioris, quas debent odisse, & negligãt charitatem qua secundum mentem & partem superiorem debent Deo firmiter inhærere, consequens est, quod absolutè seipsos non diligant.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm sit de necessitate charitatis, vt inimici diligantur?

32 NOtandum Primò, Inimicum dupliciter posse considerari: vno modo, secundum quod inimicus est, siue secundum prauam animi eius affectionem, quâ iniquè nobis aduersatur: Altero modo, vt homo est, & capax diuini amoris & fruitionis.

Notandum Secundò, duplicem posse considerari dilectionem inimici: Vnam, quâ diligam illum in particulari per specialem actum dilectionis circa eius personam singulatiter exercitum: Alteram, quâ diligam illum in communi, sicut omnes alios homines etiam mihi incognitos. Nunc sit

33 CONCLVSIO Prima: Non debet inimicus, secundum quod inimicus est, diligi, id est, non debet ipsa inimicitia eius diligi.

Patet, quia non possumus illam in eo optare aut velle; ergò neque eum propter illam diligere: Deo enim aduersatur, estque ipsi ingrata.

34 CONCLVSIO Secunda: De necessitate charitatis est, vt communi dilectione inimicos, quatenus homines sunt, diligamus. Ita S. Tho. & probatur primò ex Scripturis Matth. 5. *Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est*: quâ clausulâ adiectâ indicatur, istud non tantùm consilij, sed etiam præcepti esse. Ad Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes*: & infrà: *Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitis potum da illi*, Matth. 22. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*: atqui inimicus est quoque proximus, vt colligi satis potest ex dictis suprà art. 6. & significat Christus Luc. 10. per parabolam de Samaritano, vt docent Sancti PP. Hilarius, Chrysostomus, & Hieronymus ad parabolam allegatam. Amb. in cap. 6. Lucæ: & D. August. lib. 1. de Sermone Domini in monte cap. 41. & serm. 61. de Tempore, & alibi. Accedit quod Apostolus ad Gal. 5. inimicitias & æmulationes enumeret inter opera carnis, quæ excludunt à regno Dei.

Neque tantùm in noua lege; sed etiam in veteri fuit & obligauit præceptum de inimicis diligendis. Quod probatur quoque ex Script. Exod. 23. *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc eum*: Leuit. 19. *Non quæres vltionem, & non eris memor iniuriæ ciuium tuorum*: & cap. 25. Prouerb. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere*. Idem confirmari potest ex illo Iob cap. 31. *Si gauisus sui ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quod inuenisset eum malum, &c.* vbi inter alia ob quæ meremur iram, & vindictam diuinam, quæque à se Propheta remouet, ponit etiam gaudium & exultationem de ruinâ & de malo inimicorum: non licet igitur inimicis malum optare, aut reddere: sed oportet eis bonum, saltem cõmuni affectu velle. Hinc etiam Sapiens Prouerb. 24. monet: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas: & in ruinâ eius ne exultet cor tuum*. 35

36 CONCLVSIO Tertia: Non est de necessitate charitatis aut salutis, quod specialem actum dilectionis in particulares personas quæ sunt inimici, exerceamus de facto: sed sufficerit quod id habeamus in animi præparatione, siue quod habeamus animum paratum ad hoc, quod etiam particularem actum dilectionis exhibebimus illis personis in particulari quando necessitas vel ratio aliqua iusta occurreret. Est D. Thomæ: & patet, quia neque necesse est ad alios quoslibet homines singulariter moueri actu dilectionis speciali: hoc enim ad singulos est impossibile: ergo neque id facere debemus circa inimicos. Interim rectè monet D. Thomas, idipsum facere extra necessitatem, spectare ad perfectionem charitatis: & in eo monstrari maiorem Dei dilectionem, quæ operatur tantum effectum, vt ob eius amorem etiam particulariter diligamus eum, qui nos oderit.

37 Et de hâc perfectione dilectionis inimicorum, dixit Augustinus Ench. cap. 73. quod hoc tam magnũ bonum tantę multitudinis non sit, quantam credimus exaudiri, cum in Oratione Dominicâ dicitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: quibus significat eam perfectionem non esse de necessitate charitatis Christianæ: docet tamen ibidem, quod

quod debeat omnis fidelis se extendere, & humanum animum ad hunc affectum orãdo Deum, secumque agendo, luctandoque perducere. Vnde oportet in animi præparatione semper gerere dilectionem inimici, etiã in particulari pro casu necessitatis: quod manifestè significant Scripturæ suprà citatæ tum ex nouo, tum ex antiquo testamento ad secundam conclusionem.

38 Sed contra hoc quod diximus, necessitatem talis dilectionis inimicorum quoque ad tempus legis veteris extendi,

Obijcitur illud Christi Matth. 5. *Audistis quia dictum est: diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum:* Ex hoc enim apparet quod in antiqua lege potius fuerit inimicorum odium in præcepto, quàm eorum dilectio.

Respondetur, nusquam in antiquo testamento inueniri scripta verba illa: odio habebis inimicum tuum: sed reperiri multa eis contraria, vt ex Scripturis suprà allegatis patet. Ista igitur verba: *Et odio habebis inimicum tuum*, non sunt dicta à Deo per Moysen, neque sunt verba Scripturæ antiquæ: sed dicta sunt à Scribis & Pharisæis qui malè ex Scripturis hoc colligebant: cum enim Leuit. 19. dicitur, *Diliges amicum tuum sicut te ipsum*, inde concludebant illi quasi à contrario sensu, inimicum igitur esse odio habendum, idque populo obtrudebant, in quo multum errabant: quia nomen amici generatim ibi accipitur pro communi proximo. Vnde Christus quando in Euangelio quasi repetit illud præceptum, corrigens simul peruersam eorum intelligentiam & additionem, dixit simpliciter: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Non itaque dixit Christus: *Audistis, quia dictum est*, quasi significaret ita legem habere: sed quod eorum quasi traditio sic doceret: vnde neque addidit: Audistis, quia dictum est antiquis, quod posset videri indicare quasi primitus per Moysen hoc fuisset dictum Patribus ipsorum: sed simpliciter: *Audistis, quia dictum est:* Quod quidam rectè videtur obseruasse. Sunt & aliæ diuersæ expositiones istorum verborum Christi, quas videre licebit apud Maldetum ad hunc Articulum, & apud Commentatores loci.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm sit de necessitate salutis vt quis signa dilectionis inimico exhibeat?

39 CONCLVSIO D. Thomæ est: quod cõmunia signa dilectionis, quæ ob communem aliquam rationem habentem etiam in inimicis locum exhiberi solent, sint quoq; inimicis exhibenda: specialia autem non necessariò exhibenda, nisi in præparatione animi, vt quis scilicet paratus sit etiam illa exhibere, quando casus necessitatis occurrit. Ratio vtriusque est, quia non tenemur magis, aut aliter diligere inimicos, vel eis dilectionis signa exhibere, per se loquendo, quàm generatim alijs quibuslibet proximis: non tenemur autem generatim omnibus hominibus nisi communia dilectionis signa & officia exhibere, præterquam in casibus necessitatis: ergò &c. Dixi per se loquendo, quia per accidens potest contingere, quod magis teneremur inimico exhibere aliquod signũ dilectionis, quàm alteri: v. g. ad vitandum scandalum, vt si tales concurrant circumstantiæ quod alij iudicarent nos exercere & fouere inimicitias, & odia ex nostra parte contra aduersarium nostrum, nisi tali vel tali occasione signum aliquod contrarium exhiberemus: aut si existemus id necessarium ad hoc, vt animum nostrũ intus ab odio cohibeamus, vel etiam ad placandum inimicum, vt ipse iniustum odiũ deponat: nam tunc pro salute ipsius tenebimur illud ex charitate facere, vt docet rectè Caiet. in cap. 5. Matt. ad illa verba: *Esto consentiens aduersario tuo.*

Ex dictâ autem doctrinâ inferunt DD. eum qui orat pro communitate, vel qui optat omnibus iustitiam & salutem, non posse ab illâ suâ oratione, aut bonâ apprecatione excipere inimicos suos, si forsitan inter illos aliqui sunt. Item quod oporteat nos salutantem resalutare, adeò vt omissio illius (si non resalutare tunc existimaretur notabilis contemptus, attenta cõditione personarum, locorum, aut aliarum circumstantiarum) foret peccatum mortale eo casu. Similiter eũ qui cõstituit benefacere communitati, non posse à suo benefacto excludere inimicos: Ratio est, quia eiusmodi exceptiones secundum prudentem æstimationem sunt signa odij, aut maleuolentiæ adhuc in corde latentis, & alios ad maius odium excitant: & scandala, ac animorum dissensiones parere solent. 40

Quod tamen ad beneficia communitati impendenda attinet, si abesset scandalum, posset aliquando saltem pro tempore fieri exceptio ad eorũ qui iniquè aduersantur, correctionem, vel etiam ad aliorum exemplum: vt si sit superior qui communitati aliqua beneficia velit impendere, & passim omnibus constat, quod tales vel tales iniquè illum in officio diuexauerint, quẽ debuissent meritò venerari, & amare; ac si- 41

ac simul pateat & ab alijs apprehendatur, quod secludat illos nō ex rancore & odio, sed ad ipsorum emendationem & aliorum exemplum, vt hi cessent indignè agere cū Superioribus, & alij non imitentur.

42 Quæret aliquis, quando & quousque tenemur inimico iniuriam remittere?

Obseruandum est, ex iniuriâ aut damno iniquè alicui illato posse tria exoriri: Primum est rancor siue amaritudo, & maleuolentia in animo eius cui iniuria infertur. Secundum, sunt signa eiusmodi amaritudinis in opere externo. Tertium, est actio in foro externo contra iniuriantem ád iniuriæ illatæ vel damni reparationem.

43 Respondetur itaque: Primum statim esse remittendum, siue odium statim esse deponendum: seu potius ab initio nunquā esse admittendum. Hoc enim significatur in Oratione Dominica, quando oramus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Et docet Christus Matth. 6. *Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Quod attinet ad secundum, nunquam etiam oportet externa signa odij, ac maleuolentiæ alteri exhibere, sicuti nec odium concipere; sed tamen non est necesse, exhibere specialia signa beneuolentiæ, aut dilectionis, nisi certis casibus: quando scilicet omissio censeretur indicium, aut quidam effectus latentis maleuolentiæ, aut reseruati odij in animo. Hinc quando is qui offendit, rogat veniam, tenemur sufficienter foris ei declarare, nos aut odium nullum contra eum concepisse, aut certè deposuisse, ac deponere: neque maleuolum affectum contra illum velle gerere, aut fouere: quod à nobis requirit Christus Luc. 17. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit dimitte illi, & si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens pœnitet me: dimitte illi*: & prolixius adhibitâ parabolâ idem mandat Matth. 18.

44 Hoc autem aduertendum est, quamuis oporteat foris sufficienter depositi odij dare significationem, quando venia petitur, non tamen eodem modo & ijsdem signis hoc circa omnes esse faciendum: alia enim debet filius erga patrem, vel subditus erga dominū exhibere signa tali casu: quàm è contra: spectanda enim est conditio personarum & iniuriarum. Imò neque necesse est, quod offensi, præsertim qui superiores sunt, mox admittant eos ad eandem familiaritatem, quam prius, antequam offenderent, eis exhibere solent: hoc enim aliquando potest vtile esse ad ipsorum cautelam in futurum, & ad aliorum exemplum. Imò etiam ad quandam castigationem: sicuti Dauid non voluit filium suum Absolon statim admittere ad suū conspectum, quamuis ei culpam remisisset, eique animo esset recōciliatus. 2. Reg. 14. Quod ad tertiū attinet, non est absolutè necessarium remittere actionem; quam offensus potest licitè secundum iuris ordinem contra iniuriantem instituere: quia potest quilibet ius suum prosequi apud legitimam potestatem: & satisfactionem exigere. Vt patet ex Can. Illic: causa 23. quæst. 4. & Can. Officiâ ibidem quæst. 5. præsertim quando agitur de restitutione famæ; aut externorum bonorum. Non tamen oportet indiscretè premere, ne alter fortassis cum magno suo detrimento cogatur modicum forsitan quid reparare: quia hoc charitati consentaneum non est.

Quando verò agitur tantùm de vindicatione aut de inflictione pœnæ iustæ ob delictum siue iniuriam; vnde nihil vtilitatis obuenit parti læsæ; expedit plerumque quod pars læsa condonet, vt magis animum ab omni affectu inimicitiæ, & odij expurget: quamuis non idcirco Iudex debeat negligere exercere iustitiam ad comprimendos malos & ad conseruandam publicam quietem & tranquillitatem. 45

ARTICVLVS X.

Vtrùm debeamus Angelos ex charitate diligere?

CONCLVSIO est affirmatiua: quam docet August. lib. 1. de Doct. Christiana c. 23. & 30. Idque ex eo quod nomine proximi intelligantur etiam Angeli, quando nobis mandatur dilectio proximi, & hoc ex duplici capite: Inprimis, quia rectè proximus dicitur, cui vel præbendum est, vel à quo nobis præbendum est officiū misericordiæ, vt cap. 30. citato exponit Augustinus. Quod autem Angeli præstent nobis officia misericordiæ patet ex cap. 1. ad Heb. vbi dicuntur administratorij Spiritus, qui mittantur in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis: & Luc. 15. dicuntur gaudere super vno peccatore pœnitentiam agente. Deinde etiam ex alio titulo rectè intelliguntur nostri proximi, quia sunt capaces & participes eiusdem beatitudinis nobiscum, & ad eundem finem ordinati. Vnde Apoc. 19. & 22. Angelus non tantùm S. Ioannem, sed & omnes, qui seruant verba libri huius, conseruos suos vocat. 46

ARTIC.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm debeamus dæmones ex charitate diligere?

47 RESpondet D. Thomas: Primò, quod dæmones non sunt diligendi secundum vitium siue peccatum, quod dæmonis nomen ingerit. Patet id satis ex dictis suprà artic. 6. & 8. Respondet Secundò, quod etiam secundum naturam non sint ex charitate diligendi amore amicitię tanquam amici. Ratio est, quia non possumus actu absoluto eis velle salutem & beatitudinem, quam amicus amico ex propria ratione amicitiæ velle solet & debet; quia cõstat quod iusto & irreuocabili Dei decreto in perpetuum ab illis sint exclusi, & æternis cruciatibus adiudicati. Vnde non possumus illis propter Deum velle ista bona: quia iam Deus non vult illis talia bona: suntque illorum incapaces ex diuinâ sententiâ contra eos latâ. Respondet Tertiò, quod tamen tanquã res quędã Dei, sicuti illæ quæ sunt naturæ irrationalis, possint ex charitate diligi, in quantum scilicet volumus spiritus illos in suo naturali esse conseruari ad Dei gloriam, quatenus in ipsis Dei iustitia relucet, quando eorum peccata ita vindicantur.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm conuenienter enumerentur quatuor ex charitate diligenda? scilicet Deus: proximus: corpus nostrum: & nos ipsi?

CONCLVSIO est affirmatiua: & habetur ex D. August. lib. 1. de Doct. 48
Christiana cap. 23. & 26. Et constat ex dictis, quia de singulis in particulari demonstratum est, quod ex charitate diligenda sunt. Vnde de illis sic scribit D. Prosper lib. 3. de Vita Contempl. cap. 15. Deus præcipit, vt corpora nostra propter nos, proximum sicut nos, & ipsum plusquam nos dilegere debeamus.

QVÆSTIO XXVI.

De Ordine Charitatis.

In tredecim Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in charitate sit ordo?

1 CONCLVSIO D. Thomæ est affirmatiua. Et colligi potest ex Scriptura: Cantic. cap. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Ex quibus id probat D. Hieronymus in cap. 10. Matth. ad illa verba: *Qui amat patrem aut matrem, plusquam me, non est me dignus*; addens in omni affectu ordinem esse necessarium. Hinc D. August. lib. 1. de Doct. Christiana cap. 27. ita scribit: Ille autem iustè & sanctè viuit, qui rerum integer æstimator est: ipse est autem, qui ordinatam dilectionem habet: ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum: aut amplius diligat, quod est minus diligendum: aut æquè diligat quod vel minus vel amplius est diligendum, &c.

Probatur Secundò ratione: quia multa objiciuntur charitati, quæ non sunt inter se æqualia, & ad quæ non æqualiter se habet ratio formalis obiectiua charitatis: ergo necesse est, vt sit ordo aliquis quo illa ex charitate diligantur. 2

ARTICVLVS II.

Vtrùm Deus sit magis diligẽdus quam proximus?

OBseruandum est, communiter à DD. distingui tres modos quibus vnum magis, quam alterum possit diligi: obiectiuè scilicet, appretiatiuè seu æstimatiuè, & intensiuè. Illud autem dicitur obiectiuè magis diligi, cui maius bonum diligimus & volumus, quã alteri. Appretiatiuè verò magis diligitur, quod pluris quam res alia, æstimatur, ita vt si ex pluribus vnum esset deserendum, potius parati simus alia deserere, quam istud. Intensiuè verò magis diligitur 3

diligitur in quod ferimur maiori conatu voluntatis, sic vt entitas huius amoris habeat plures gradus, quàm amoris alterius ad quem comparatur. His præmissis sit

4 Conclvsio Prima: Deus obiectiuè, appretiatiuè, atq; omnino simpliciter loquēdo, est magis diligendus, quam proximus: Probatur primò ex Script. Matt. 22. *Diliges Dominū Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximū & primū mandatū.* & Matt. 10. *Qui amat patrem, aut matrē plusquam me; non est me dignus.* Act. 5. *Obedire oportet Deo magis quā hominibus:* vide Luc. 14. & 4. Act. Quibus significatur, quod debeamus omne bonū potiùs velle Deo, quā quibuscūq; alijs: & tali affectu illi adhærere, vt malimus omnes alios relinquere, quā Deū offendere, eiusq; amicitiâ priuari: hoc autem est magis obiectiuè & appretiatiuè diligere Deum, quā proximū: atq; adeò est simpliciter magis diligere: nemo enim negabit nos illū maximè diligere cui præcipua bona volumus, & tali affectu adhęremus, vt potius omniū aliorum familiaritatis dispendiū, & indignationē simus parati subire, quā aliquid cōmittere, quo ab eius amicitiâ separemur; ergò &c.

5 Probatur Secūdò, quia Deo essentialiter conuenit formalis ratio obiectiua charitatis: proximus autē tantum diligendus propter ordinē ad Deū, aut propter quandam participationem illius bonitatis: ergò Deus est magis diligendus, quàm proximus.

6 Conclvsio Secunda: Deus haud dubiè dignus est, qui etiā intensiuè magis diligatur, quā proximus. Patet, quia nō potest ab vllâ creaturâ tam perfectè diligi, quin perfectiori dilectione ipse dignus sit: nam *Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, superualebit enim adhuc*, vt habetur Eccl. 43.

7 Conclvsio Tertia: Non tamen peccat cōtra præceptū charitatis, qui diligit intēsiori aliquo actu amoris siue naturalis, siue supernaturalis proximum, quā Deū, modo obiectiuè & appretatiuè semper Deū magis amet. Est contra Pet. à Soto de Instit. sacerd. lect. 15. Vbi reijcit distinctionē dilectionis maioris in maiorē appretiatiuè, & maiorē intensiuè, quā dicit esse nouā, & quā neq; Scriptura, neq; SS. Patres vsi sunt. Accedit, quod D. Th. hac qu. distinguat tantū duos modos diligēdi, scil. obiectiuè & intensiuè: vnde vult Soto omnē maiorē dilectionē esse vel intēsiuè, vel obiectiuè maiorē. Quandoquidē igitur certū sit, nō sufficere quod Deū magis diligamus obiectiuè quā alios (peccator enim potest Deo suum Esse, & increatā beatitudinē velle, quę sunt summa bona, & interim velle inhęrere proprijs cupiditatibus magis Deo) consequitur iuxta opinionē illam, quod oporteat etiam intensiuè magis diligere Deum, quā proximū: Probatur, quia tūc appretiatiuè magis aliquid diligitur, quando volūtas ei magis adhæret, atqui non videtur magis adhærere, nisi quia magis conatur, & intensiorem actum circa illud habet; ergò &c. 8

His non obstantibus Concl. commūniter à DD. tenetur, qui similiter etiā loquuntur de cōtritione de peccatis, quod scil. debeat esse dolor summus appretiatiuè, nō intēsiuè. Probatur Primò, quia certum est (quod etiā Pet. à Soto admittit) nō teneri nos ad maximā intensionē amoris Dei nobis possibilē: neq; ad eam perfectionē quā exercēt qui relinquūt omnia, vt vni vacēt dilectioni: sic enim omnes ad consilia Euangelica obligarentur, & consilia transirent in præcepta: ponamus ergo actū diuini amoris, quo præcepto satisfiat, esse vt quatuor aut vt 5, & proximum honesto amore naturali aut supernaturali diligi actu intēso vt sex, non apparet sanè ratio, quare eo ipso quo amor honestus, aut charitas abūdat in proximū, peccaretur contra Deum, præsertim cum per dilectionē erga proximū oporteat proficere in dilectione Dei, quia vt ait S. Ioan. *Qui non diligit fratrem quem videt, quomodo diliget Deum quem non videt?*

9 Probatur Secundò, explicando quomodo dilectio maior appretiatiuè & maior intensiuè possint esse distinctæ. Ad cuius rei maiorem euidentiam obseruandum est, duo vel plura obiecta aliquando esse amabilia propter causas eiusdem naturæ, & eodem modo vtrisque applicatas, ac proinde etiam actibus amoris similibus, & eiusdē rationis: & quidē eo casu in talibus nō videntur separari maior appretiatio, & maior intēsio amoris: nō enim videtur subesse causa, quare nō dicatur etiā magis appretiare siue ęstimare quis illū, quē intēsius diligit, vbi idē per omnia in vtroq; est motiuū, & ratio boni ac amandi: Interdū verò rationes amādi plura obiecta esse diuersas, vel si sint aliquo modo eædē, tamen diuersimodè se habere ad obiecta illa, vnde fit quod actus sint quoq; vel omnino diuersi specie, aut certè aliquo gradu dignitatis distinguantur. In his autem facile potest consistere appretiatio maior in vno cum minori intensione, & è contra maior intensio cum minori appretiatione.

10 Declaratur, quia fieri potest, quod voluntas per digniorem actum, qui respiciat motiuū maioris momenti, adhæreat multò firmius obiecto, quamuis alioqui hic actus minus sit intensus, quam per actum minus dignum, qui minoris momenti motiuum habeat, alteri inhæreat, licet interim hic actus in entitate sua sit intensior: quod inprimis in simili potest ostendi in actibus intelle-

ARTICVLVS XI.

Vtrùm debeamus dæmones ex charitate diligere?

47 Respondet D. Thomas: Primò, quod dæmones non sunt diligendi secundum vitium siue peccatum, quod dæmonis nomen ingerit. Patet id satis ex dictis suprà artic. 6. & 8. Respondet Secundò, quod etiam secundum naturam non sint ex charitate diligendi amore amicitię tanquam amici. Ratio est, quia non possumus actu absoluto eis velle salutem & beatitudinem, quam amicus amico ex propria ratione amicitiæ velle solet & debet; quia cõstat quod iusto & irreuocabili Dei decreto in perpetuum ab illis sint exclusi, & æternis cruciatibus adiudicati. Vnde non possumus illis propter Deum velle ista bona: quia iam Deus non vult illis talia bona: suntque illorum incapaces ex diuinâ sententiâ contra eos latâ. Respondet Tertiò, quod tamen tanquã res quędã Dei, sicuti illæ quæ sunt naturæ irrationalis, possint ex charitate diligi, in quantum scilicet volumus spiritus illos in suo naturali esse conseruari ad Dei gloriam, quatenus in ipsis Dei iustitia relucet, quando eorum peccata ita vindicantur.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm conuenienter enumerentur quatuor ex charitate diligenda? scilicet Deus: proximus: corpus nostrum: & nos ipsi?

Conclvsio est affirmatiua: & habetur ex D. August. lib. 1. de Doct. Christiana cap. 23. & 26. Et constat ex dictis, quia de singulis in particulari demonstratum est, quod ex charitate diligenda sunt. Vnde de illis sic scribit D. Prosper lib. 3. de Vita Contempl. cap. 15. Deus præcipit, vt corpora nostra propter nos, proximum sicut nos, & ipsum plusquam nos dilegere debeamus. 48

QVÆSTIO XXVI.

De Ordine Charitatis.

In tredecim Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in charitate sit ordo?

1 Conclvsio D. Thomæ est affirmatiua. Et colligi potest ex Scriptura: Cantic. cap. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Ex quibus id probat D. Hieronymus in cap. 10. Matth. ad illa verba: *Qui amat patrem aut matrem, plusquam me, non est me dignus;* addens in omni affectu ordinem esse necessarium. Hinc D. August. lib. 1. de Doct. Christiana cap. 27. ita scribit: Ille autem iustè & sanctè viuit, qui rerum integer æstimator est: ipse est autem, qui ordinatam dilectionem habet: ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum: aut amplius diligat, quod est minus diligendum: aut æquè diligat quod vel minus vel amplius est diligendum, &c.

Probatur Secundò ratione: quia multa objiciuntur charitati, quæ non sunt inter se æqualia, & ad quæ non æqualiter se habet ratio formalis obiectiua charitatis: ergo necesse est, vt sit ordo aliquis quo illa ex charitate diligantur. 2

ARTICVLVS II.

Vtrùm Deus sit magis diligẽdus quam proximus?

Obseruandum est, communiter à DD. distingui tres modos quibus vnum magis, quam alterum possit diligi: obiectiuè scilicet, appretiatiuè seu æstimatiuè, & intensiuè. Illud autem dicitur obiectiuè magis diligi, cui maius bonum diligimus & volumus, quã alteri. Appretiatiuè verò magis diligitur, quod pluris quam res alia, æstimatur, ita vt si ex pluribus vnum esset deserendum, potius parati simus alia deserere, quam istud. Intensiuè verò magis diligitur 3

diligitur in quod ferimur maiori conatu voluntatis, sic vt entitas huius amoris habeat plures gradus, quàm amoris alterius ad quem comparatur. His præmissis sit

4 CONCLVSIO Prima: Deus obiectiuè, appretiatiuè, atq; omnino simpliciter loquēdo, est magis diligendus, quam proximus: Probatur primò ex Script. Matt. 22. *Diliges Dominū Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximū & primū mandatū.* & Matt. 10. *Qui amat patrem, aut matrē plusquam me, non est me dignus.* Act. 5. *Obedire oportet Deo magis quā hominibus:* vide Luc. 14. & 4. Act. Quibus significatur, quod debeamus omne bonū potiùs velle Deo, quā quibuscūq; alijs: & tali affectu illi adhærere, vt malimus omnes alios relinquere, quā Deū offendere, eiusq; amicitiā priuari: hoc autem est magis obiectiuè & appretiatiuè diligere Deum, quā proximū: atq; adeò est simpliciter magis diligere: nemo enim negabit nos illū maximè diligere cui præcipua bona volumus, & tali affectu adhęremus, vt potius omniū aliorum familiaritatis dispendiū, & indignationē simul parati subire, quā aliquid committere, quo ab eius amicitiā separemur; ergò &c.

5 Probatur Secūdò, quia Deo essentialiter conuenit formalis ratio obiectiua charitatis: proximus autē tantum diligendus propter ordinē ad Deū, aut propter quandam participationem illius bonitatis: ergò Deus est magis diligendus, quàm proximus.

6 CONCLVSIO Secunda: Deus haud dubiè dignus est, qui etiā intensiuè magis diligatur, quā proximus. Patet, quia nō potest ab vllā creaturā tam perfectè diligi, quin perfectiori dilectionē ipse dignus sit: nam *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, superualebit enim adhuc,* vt habetur Eccl. 43.

7 CONCLVSIO Tertia: Non tamen peccat cōtra præceptū charitatis, qui diligit intēsiori aliquo actū amoris siue naturalis, siue supernaturalis proximum, quā Deū, modo obiectiuè & appretatiuè semper Deū magis amet: Est contra Pet. à Soto de Instit. sacerd. lect. 15. Vbi reijcit distinctionē dilectionis maioris in maiorē appretiatiuè, & maiorē intensiuè, quā dicit esse nouā, & quā neq; Scriptura, neq; SS. Patres vsi sunt. Accedit, quod D. Th. hac qu. distinguat tantū duos modos diligēdi, scil. obiectiuè & intensiuè: vnde vult Soto omnē maiorē dilectionē esse vel intēsiuè, vel obiectiuè maiorē. Quandoquidē igitur certū sit, nō sufficere quod Deū magis diligamus obiectiuè quā alios (peccator enim potest Deo suum Esse, & increatā beatitudinē velle, quę sunt summa bona, & interim velle inhęrere proprijs cupiditatibus magis Deo) consequitur iuxta opinionē illam, quod oporteat etiam intensiuè magis diligere Deum, quā proximū: Probatur, quia tūc appretiatiuè magis aliquid diligitur, quando volūtas ei magis adhæret, atqui non videtur magis adhærere, nisi quia magis conatur, & intensiorem actum circa illud habet; ergò &c. 8

His non obstantibus Concl. communiter à DD. tenetur, qui similiter etiā loquuntur de cōtritione de peccatis, quod scil. debeat esse dolor summus appretiatiuè, nō intēsiuè. Probatur Primò, quia certum est (quod etiā Pet. à Soto admittit) nō teneri nos ad maximā intensionē amoris Dei nobis possibilē: neq; ad eam perfectionē quā exercēt qui relinquūt omnia, vt vni vacēt dilectioni: sic enim omnes ad consilia Euangelica obligarentur, & consilia transirent in præcepta: ponamus ergo actū diuini amoris, quo præcepto satisfiat, esse vt quatuor aut vt 5, & proximum honesto amore naturali aut supernaturali diligi actu intēso vt sex, non apparet sanè ratio, quare eo ipso quo amor honestus, aut charitas abūdat in proximū, peccetur contra Deum, præsertim cum per dilectionē erga proximū oporteat proficere in dilectione Dei, quia vt ait S. Ioan. *Qui non diligit fratrem quem videt, quomodo diliget Deum quem non videt?*

Probatur Secundò, explicando quomodo dilectio maior appretiatiuè & maior intensiuè possint esse distinctæ. Ad cuius rei maiorem euidentiam obseruandum est, duo vel plura obiecta aliquando esse amabilia propter causas eiusdem naturæ, & eodem modo vtrisque applicatas, ac proinde etiam actibus amoris similibus, & eiusdē rationis: & quidē eo casu in talibus nō videntur separari maior appretiatio, & maior intēsio amoris: nō enim videtur subesse causa, quare nō dicatur etiā magis appretiare siue ęstimare quis illū, quē intēsius diligit, vbi idē per omnia in vtroq; est motiuū, & ratio boni ac amandi: Interdū verò rationes amādi plura obiecta esse diuersas, vel si sint aliquo modo eædē, tamen diuersimodè se habere ad obiecta illa, vnde fit quod actus sint quoq; vel omnino diuersi speciē, aut certè aliquo gradu dignitatis distinguantur. In his autem facile potest consistere appretiatio maior in vno cum minori intensione, & è contra maior intensio cum minori appretiatione. 9

Declaratur, quia fieri potest, quod voluntas per digniorem actum, qui respiciat motiuū maioris momenti, adhæreat multò firmius obiecto, quamuis alioqui hic actus minus sit intensus, quam per actum minus dignum, qui minoris momenti motiuum habeat, alteri inhæreat, licet interim hic actus in entitate sua sit intensior: quod inprimis in simili potest ostendi in actibus intelle- 10

intellectus: nam per actũ scientificum, licet remissum, inhæret intellectus firmius conclusioni, quàm per actum opinatiuum valde intensum: similiter per actum fidei, quamuis remissum, firmius adhæret articulis fidei, quam per actum scientię intensiorem conclusioni demonstrationis: idq; propter diuersitatem rationum, quæ mouent ad assensum: quia ad illam firmam & constantem adhæsionem siue intellectus, siue voluntatis ad obiectũ suum, non facit tantum intensio actus, sed etiam aliæ conditiones: vt motiua perfectiora, aut perfectiori modo ipsis applicata: potest idem etiam in actibus voluntatis iuxta communem apprehensionem, & loquendi modũ, satis obseruari, quia parentes sæpius intensiori amore feruntur in paruulas proles præsentes, quam in maiores absentes quæ virtutibus & alijs dignitatibus præstant, quas tamen longè pluris ęstimant & magis inuitè perderent, quã minores. Rationẽ reddit Domin. Soto dist. 17. a. 4. quia intensio actus fit ex vehementia obiecti mouentis; obiectũ autẽ sensibile suapte natura vehementius mouet voluntatem, quã spirituale: quoniã voluntas sequitur cognitionẽ intellectus; intellectus autẽ in hac vita sumit cognitionẽ à sensibus, sensibilia autẽ sunt propinquiora obiecta, quã spiritualia, quę abstrahũt à sensu; quo autẽ obiecta sũt propinquiora, eò vehemẽtius mouẽt; ergò amor sensibiliũ potest esse intensior, quàm spiritualiũ: suppositã autẽ eiusmodi dist. nõ videtur superesse ratio dubitãdi de cõclusione, non magis quã de eo, quod non peccet cõtra pręceptũ fidei, qui actu sciẽtifico intensiori assentitur cõclusioni demõstrationis quã actu fidei adhæreat articulis fidei.

11 Ad obiecta igitur Per. à Soto respondetur, ad Primũ, quod licet distinctio illa sub terminis illis non fuerit ita antiquitus in vsu, tamẽ quoad rem satis fuisse vsitatã: nam quando Scriptura dicit, *Qui amat patrem aut matrem plusquam me*, &c. clarè eum habet sensum, quo significetur, vt D. Hieron. annotat, quod si necessitas venerit, vt amor parentũ Dei amori comparandus sit, & non possit vterq; seruari, tunc odium in suos, pietas sit in Deũ: & D. Aug. epist. 89. docet eodem sensu plus diligere Christũ, quã diuitias qui spem ab his transfert in ipsũ, paratusq; sit (inquit) quẽadmodum parentes, & filios, & fratres, & vxorẽ, hoc modo & istas relinquere, si talis conditio posita fuerit, vt nisi dimisso Christo eas habere non possit. Quibus tum Hier. tum Aug. totã vim maioris dilectionis Dei plusquã patris, matris, diuitiatum &c. ponunt, non in actu vehemẽtiori, seu intensiori, sed in actu tenacioris affectus, vt sic dicam, qui nõ ex intẽsione graduũ semper, sed aliunde prouenire potest: vt ex sublimiori æstimatione in præsenti proposito, quã habemus de illo bono, quod Deus est, supra quã de alijs quibuslibet bonis habemus, licet volũtas in hęc tãquã sẽsibus aut cognitioni humanæ magis obuia moueatur aliquãdo vehementiori actu in hęc quã in illud.

Quod verò attinet ad D. Tho. rectè obseruat Suarez illũ nomine intentionis largiùs vti, prout significat conditionem quãcumq; actus, ratione cuius voluntas magis adhæret obiecto: quę quidem conditio interdũ potest esse intensio gradualis, de qua loquimur ar. 7. 11. & 12. interdũ verò potest aliunde prouenire, prout loquitur art. 13. quod hic etiam indicat Bannes quando scribit, quod minima intensio charitatis sit excellentior & magis actuans voluntatẽ, quàm omnis alia intensio amoris alterius, quia sũt diuersę rationis amores isti. Itaq; considerãda erit materia de qua hic D. Th. & secundũ hoc explicãdus: satis autẽ apertè in suppl. q. 3. a. 1. agnoscit diuersitatem, inter actũ maiorẽ intẽsiuè, & appretiatiuè, dum ita scribit. Homo etiã bene dispositus quandoque magis in se percipit horrorem præcedentis pœnæ, quã præcedentis culpę, quamuis magis esset paratus pati eandẽ pœnam, quàm committere eandem culpam: sic tamen, quod appretiatiuè magis timeatur culpa quam pœna, vt scilicet magis sit paratus subire pœnam, quam culpam iterum committere. 12

Ad probationẽ itaq; in contrarium resp. neg. subs. scilicet quod voluntas nunquam adhæreat firmius vni quã alteri, nisi quãdo actu intensiori ei adhęret: hoc enim falsum esse ex dictis constat: nam & actu remissiori potest firmiùs adhærere vni, quia ex altiori motiuo, quam alteri actu intensiori, cui ex debiliori ratione adhæret. 13

Sed petes, an quis possit amore charitatis diligere intensiùs proximum, quam Deũ? Ratio dubitandi est, quod quando diligitur proximus ex charitate, debeat diligi propter Deum: vnde apparet quod non possit actu charitatis intensiùs diligi, quam diligatur Deus. 14

Respõdetur nihilominus affirmatiuè scil. id fieri posse. Et probatur, quia potest seorsim haberi dilectio actualis Dei, qua ille ex charitate diligatur, non autẽ actualiter proximus, & è cõtra potest haberi actualis dilectio proximi, qua hic ex charitate diligatur, non autem actualiter Deus tanquã scilicet obiectum quod, ergo sicut ista potest esse intensior quàm hæc, ita è contra fieri poterit, quod hæc intensior sit quam ista. Confirmatur, quia sicuti sunt actus à se independentes in suo esse, ita etiam in

maiori

maiori aut remissiori conatu ipsius potentiæ circa hunc vel illum.

15 Ad rationẽ ergo dubitandi respondetur; inde ad summum sequi Deum esse diligẽdum amore perfectiori, qualis est quo appretiatiuè magis amatur(quam perfectiorem rationem quidam vocant maiorem intensionem essentialem, quia ex ratione obiecti desumitur)non autẽ amore intensiori secundum gradus siue ex parte subiecti: quia intensio actus circa obiectum secundarium non semper ex maiori intensione actus circa primarium nascitur, sed potest ex alijs obuenire, vt ex pleniori cognitione eius & maiori facilitate actus, aut in præsenti proposito, ex necessitate proximi: Verùm tamen est, quod dum proximus amatur propter Deum, eodem tunc actu etiam amari quodã modo Deum, & proinde eâdem intensione: verũ non tanquam obiectum quod, sed vt motiuũ duntaxat amandi, de qua ratione diligendi Deum iam nõ loquimur: sed de illa, quã diligitur obiectũ quod actus nostri, quæ rationes amandi Deum sunt multũ diuersæ: quia longè perfectior est dilectio Dei, quã illũ diligo in se propter suam bonitatem, præ illa, quã illum diligo in proximo: sicut præstantior est honor, quo veneramur Principẽ in sua persona, quam ille quẽ defero alicui eius familiæ propter respectum ad ipsum.

16 Altera difficultas mouetur, Vtrum excessus ille intensionis in dilectione proximi, possit esse etiam ex charitate, an verò semper sit ex alio motiuo. Bannes negat esse ex charitate vel habitu supernaturali, sed prouenire tantùm ex viribus naturæ: vt ex attentione ad rem sensibilem, aut delectatione appetitus sensitiui, qui mouet voluntatẽ: sicuti si quis intensiùs assentiatur conclusioni quã principijs, quia conclusio ei per sensum sit notior, eiusmodi maior assensio non erit ex assensu principiorum.

17 Respondetur tamen verius esse, totum actum etiam secundũ gradus illos, quibus excedit actum amoris Dei secundũ intensionẽ, posse procedere à charitate & auxilijs gratiæ: sicut enim vsus charitatis est in potestate liberi arbitrij, vt cum illã possit operari aut nõ operari, ita nulla subest ratio dicendi, quod non similiter sit in potẽstate liberi arbitrij, vt eâdem remissius aut intensius vtatur vno tempore, quã alio, & circa vnũ obiectũ magis, quàm circa alterũ, intra limites tamen quantitatis charitatis & auxiliorũ, vt non possit eos excedẽre. Quare cum sæpius contingat hominem non elicere actum dilectionis Dei tam intensum quã possit ex habitu suo, si extremè cooperaretur, nihil obstare videtur quominus tamẽ ex charitatis habitu possit totum actum intensiorẽ elicere circa proximũ. Hoc nihilominus admitti poterit, quod possint concurrere quędam naturalia tanquam conditiones sine quibus non, ad intensiorem illam operationem charitatis: vt ex dictis patet: sed hoc nõn impedit, quominus charitas influat in totum actum.

Tertia difficultas mouetur, Vtrum habitus charitatis magis inclinet ad diligendũ Deum, quam proximum? Respondeo affirmatiuè: idq; tum obiectiuè, tum appretiatiuè. Patet, quia charitas ordinata est; atqui secundum rectum ordinẽ debet Deus magis appretiatiuè & obiectiuè diligi, vt constat ex dictis ad Concl. primam huius art. 18

Dico Secundò: nõ tamẽ habitus charitatis intensiùs mouet ad diligendũ Deũ, quã proximum. Declaratur, quia est simplex habitus & ęquè intensus, vt respicit Deũ, & proximum; ergo dicendum, quod æquali quasi põdere moueat potentiã ad dilectionem vtriusque, modo tamẽ vtriq; proportionato. Vnde quidã & hoc addunt habitũ charitatis nõ inclinare ad diligendũ Deum intensius, quam proximum amore proportionato, quia habitus, quantum ex se est inclinat vt potentia agat secundum totã latitudinem ipsius habitus. Quandoquidem ergo habitus sit idem & æquè intensus, quatenus Deum respicit, & quatenus proximum, consequens erit, quod inclinet ad actum amoris æquè intensum circa proximum, ac circa Deum. Confirmatur, quia beati in patria, cum ex tota virtutis perfectione operentur, æqualiter intensè diligunt & Deum & proximum, sed actibus disparibus in perfectione, scilicet Deum super omnia, & proximum, sicut seipsos. 19

ARTICVLVS III.

Vtrùm homo debeat ex charitate plus Deum quam seipsum diligere?

CONCLVSIO est affirt. & certa de fide: Constat ex Scripturis: Luc. 9. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me, qui enim voluerit animam suam saluã facere, perdet illam:* Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem suã,* &c. *adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus:* Similia habentur Marc. 8. & Matth. 10. neque ea de re potest esse difficultas. 20

Sed cõtrouertitur, Vtrum homo etiam naturalem habeat inclinationem ad magis diligendum Deum quam seipsum: Quidã sentiunt, vt refert Dur. in 3. dist. 29. quod naturaliter homo magis diligat seipsum, quam Deum: sed quod per charitatem ele- 21

 uetur

uetur ad diligendum Deum plusquam seipsum, inter quos sunt Bonau. & Gab. in 3. dist. 29. iam citatâ, vbi & Gab. addit, in hoc gratiā repugnare naturæ, quod per gratiā homo plus diligat Deum, quàm seipsum.

22 Sed communis & vera sententia est, quā D. Tho. hîc, & in 3. dist. 29. ibidem Scotus & Dur. sequuntur, quod non tantùm charitas eleuet & inclinet, sed quod etiam homo naturali pondere voluntatis moueatur ad diligendum Deum amore naturali scilicet, plusquam seipsum. Et probari potest primò: quia si homo sit naturaliter inclinatus vt plus seipsum diligat, quàm Deum, ergo Deus author esset vitiosæ inclinationis. Probatur, quia omnem inclinationem naturalē rebus indidit author naturæ qui Deus est: quod verò ista vitiosa sit, probari potest: quia vitiosū est diligere se propter se, & non propter illum quo fruendū est, vt docet Aug. lib. 1. de Doct. Christiana c. 22. Quia, inquit, nec seipsum debet quisquā propter seipsum diligere, sed propter illum quo fruendum: si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum: sed ad seipsum conuersus, non ad incommutabile aliquid conuertitur, & propterea cum defectu aliquo, inquit, se fruitur. Quod tā locum habet in ordine naturali, quando cōsideratur Deus vt naturalis finis hominis, quàm in ordine supernaturali: nulla enim apparet diuersitatis ratio: secundum vtrūque enim Deus est finis & vltimū bonum hominis: atqui qui diligit se plusquā Deū, diligit se propter se; ergo inclinatio ad eiusmodi dilectionem vitiosa est, sicut & ipsa dilectio inordinata & vitiosa est.

23 Probatur Secundò, quia bonum vniuscuiusque comparatur ad bonum diuinum, sicut bonum partis ad bonū totius; sed pars plus amat bonum totius, quam suum bonū particulare: quod constat tam in naturalibus, quam politicis: nam v.g. & manus naturaliter exponit se pro conseruatione totius corporis, & ciuis exponit se pro conseruatione Reip. & communitatis; ergo naturaliter debet etiam quilibet magis diligere Deum & bonum eius, quàm se & suum bonum particulare.

24 Dicet aliquis: quod non videatur subsistere paritas, eoquod in toto naturali contineatur pars formaliter, secundū, quod est in propria natura, & in salute totius proinde salus partis, & similiter in communitate contineatur Ciuis eiusq; bonum; non autē ita contineatur quilibet in Deo, eiusque bono: & ideo dici poterit, quod pars non exponat se, sed quod totum exponat ipsam partem; ergò &c.

Respondetur Primò, sufficienter hic subsistere paritatē, vt argumentum procedat: quia licet in bono diuino non contineatur formaliter Esse, & bonum vniuscuiusq; particularis, sicut in alijs allegatis; tamen in eo est conuenientia, vt sicut bonum partis pendet à toto, ita quod eo corrupto etiam bonū partis intereat, ita quoque bonum & Esse totius creaturæ à Deo pendeat, vt nec in se, nec in suo simili, nec in aliqua causa superesse possit sine illo.

Ad alterum itaq; dicendum est, non id prouenire tantùm ex imperio totius, sed etiā ex naturali appetitu partis: quia parti melius est quod secundum aliquid supersit, scilicet secundum reliquum suppositum cuius est pars, quàm nullo modo, quod accidet, si totum intereat. 25

Respondetur Secundò: quòd pars exponat se pro toto, non id referendū esse, eò quod sic intendat bonum suum proprium, nā manifestè se exponit periculo interitus; sed hoc fieri, quia est propter totum, non ē côtra. Vnde rectè D. Th. hîc ad secundum dicit, quod pars diligat bonum totius, vt sibi quidē conueniens, non tamen ita, quod bonū totius ad se referat, sed potius, quod seipsam referat in bonitatem totius. Hinc Dur. loco cit. dicit, quod si pars haberet propriam electionē, deberet magis diligere bonum totius, quam seipsam. Quæ tamen intelligas de parte, quæ per se & quasi essentialiter est pars, & ordinata ad tale totum, & sic etiam procedit argumentū formatum: quia homo, & omnis creatura per se est propter Deum tanquam finem, & ad eum ordinata: proindeque debet illum magis quam se diligere.

Probatur Tertiò, quia gratia perficit naturam, non autē destruit; ergo dicendū non est, quod aliqua naturalis inclinatio sit contraria charitati aut gratiæ: illa enim foret per gratiam destruenda.

Dices: defectus naturę sunt per gratiam sanandi & tollendi; ergò &c. Respondetur si inclinationem illam ad se diligendum plusquam Deum uelint reponere inter defectus & vitia naturæ, iam non debebit dici naturalis, sed potius contra naturam: & inclinatio opposita verè dicēda erit naturalis. Quòd si eo sensu aliqui loquūtur, vt potest videri loqui Bon. tum non apparabit multùm differentiæ, nisi in modo loquendi, ab ijs qui aliter sentiunt. 62

ARTICVLVS IV.

Vtrùm homo ex charitate magis debeat diligere seipsum quam proximum?

VT plenius explicetur & intelligatur hic articulus:

Obser-

27 Obseruandum est: alia esse bona corporis, alia bona animæ: inter bona autem animæ, quædam esse absolutè necessaria ad hominis amicitiam cum Deo: alia verò non esse absolutè necessaria, quamuis homini sint conuenientia & vtilia. Prioris generis sunt fides, spes, charitas, iustitia, obseruatio mandatorum Dei. Posterioris autem generis iterum sunt duplicia, quædam enim sunt talia, vt licet ad amicitiam cum Deo non sint simpliciter necessaria; tamen augent eam & faciunt hominem Deo gratiorem: vt incrementum charitatis & aliarum virtutum, item obseruantia consiliorum Euangelicorũ, & similia opera supererogationis: alia verò sunt, etiam bona quædam spiritualia, quæ neque sunt necessaria, neque per se faciunt hominem Deo gratiorem; sed magis seruiũt aliorum vtilitati: eiusmodi sunt gratiæ, quas vocant gratis datas: vt donum linguarum, donum prophetiæ, gratia sanitatum, &c. His præmissis sit

28 CONCLVSIO Prima: Tenetur homo absolutè seipsum magis diligere in bonis animę necessarijs ad diuinam amicitiã, quàm proximum in ijsdem; vel alijs quibuslibet: ita vt oporteat aliorum quæuis mala facta, & damnationem potius permittere, quã vnum peccatum mortale in nobis admittere: & proinde simpliciter loquendo, tenetur homo magis seipsum diligere quàm proximum. Est communis DD. & certa. Probatur primò ex Scripturis Matth. 16. *Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* vnde Apostolus 1. ad Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Matt. 18. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te,* &c. *Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum,* &c. Ad quæ verba D. Hier. ita scribit, Igitur omnis truncatur affectus, & vniuersa propinquitas amputatur: ne per occasionẽ pietatis vnusquisque credentium scandalis pateat: & paulò infrà: Melius est, vt propinquitate & emolumentis careas carnalibus, quàm dum vis lucrifacere cognatos, & necessarios, causas habeas ruinarum. Ad Rom. 3. docet Apostolus eorũ qui dicunt, Faciamus mala vt eueniat bona, dãnationem iustam esse: & D. Aug. lib. cont. Mendaciũ ostendit, Nunquam, etiam propter proximi vtilitatem, esse mentiendum.

29 Probatur Secundò ratione, quia amor quo nosipsos diligimus, debet esse regula diligendi proximũ, quod significauit Christus Matt. 12. quando dixit, *Diliges proximũ tuum sicut teipsum:* hinc Aug. lib. 1. de Ciuit. cap. 20. Dilector, inquit, regulã diligendi proximum à seipso accepit; non potest ergo amor in proximum esse maior, quam in nosipsos, ne regulam excedat, quam debet imitari: vt scilicet quemadmodum quisq; sibi bona ad diuinam amicitiam necessaria vult, & nihil mali; similiter se ergà proximũ habeat, sic tamen, quod semper primo velit sibi, vt amor quo se amat ex parte obiecti, possit dirigere dilectionẽ ergà proximũ. Vnde rectè D. Aug. Enchr. c. 76. Qui autem vult eleemosynam ordinatè dare, à seipso debet incipere, & eam sibi primùm dare: est enim eleemosyna opus misericordiæ, verisimileque dictum est, inquit, *Miserere animæ tuæ placens Deo,* &c.

Probatur Tertiò, quia implicare videtur, quod aliquis diligeret amplius proximum, quàm seipsum in bonis necessarijs ad diuinam amicitiam: quia hoc esset ex Dei amore ipsum Deũ offendere, & eius amicitiam negligere & contemnere; atque adeo esset magis diligere proximũ, quàm ipsum Deum; quia est diuinam indignationẽ prouocare, vt proximo bene sit; nullo igitur modo id fieri debet aut potest. 30

Sed cõtra obijcitur Exod. 32. sic loquitur Moyses ad Dominũ, *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Item Apost. ad Rom. 9. *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis;* ergo licet magis amare proximum quàm seipsum, etiã in bonis necessarijs ad Dei amicitiam: non enim illi, dum sic loquerentur & vellent, censeri debent peccasse: prior autem pro fratribus optabat deleri de libro vitæ seu electorum, vt apparet, & alter repudiari à Christo. 31

Resp. N. C. Sunt autem diuersæ expositiones istorũ locorum; tum Moysis, tum Apostoli, vt videre est apud Sixtũ Senẽsem lib. 2. Bibliothecæ Sãctę, verbo, Liber vitę, Quidam existimant tam Moysem, quàm Paulũ voluisse tantùm exponere, & quasi prodigere vitam temporalẽ pro fratribus, quod haud dubiè licitũ est. Et ne videatur nimis huic sensui obstare, quod Apostolus dicat, Optabam esse anathema à Christo; cum per mortem temporalẽ quis à Christo non separetur, sed magis coniungatur (cupiebat enim Apostolus dissolui, & sic esse cũ Christo) dicunt istud, *à Christo*, positum more Hebraico pro eo quod est, *propter Christum*, quemadmodũ, aiunt Ps. 118. dicitur, *à mandatis tuis*, id est, propter mandata tua intellexi, & Ps. 106. *posuit*, &c. *terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantiũ in ea*, id est, propter illorũ malitiã. Et rursum, ne sit difficultas de libro scripto à Domino, quasi ille non possit intelligi alius, quã liber prædestinationis, addunt, 32

quod sicuti duplex est vita hominis, scilicet temporalis vita corporis, & æterna animæ, sic quoque duplicem librum à Domino scriptum posse distingui: Moysen autem loqui de libro in quo Deus intelligitur scribere omnes qui ingrediuntur in hanc mortalem vitam suis certis terminis circumscriptam, non autem de libro prædestinationis siue electorum: ita videntur verba Moysis & S. Pauli accepisse Greg. & D. Hier. in epistola ad Algasiam quæst. 9. & in cap. 14. Zachariæ.

33 Alij verò accipiunt dictum Moysis de libro electorũ, non tamen ita intelligunt, quasi Moyses absolutè voluerit deleri de libro illo pro salute populi sui, sed vt hoc loquendi modo, maximum desideriũ & affectum erga populum suum, eiusque salutem exprimeret, efficaciusque quod petebat à Domino consequeretur, vtens ad hoc quadam summâ confidentiâ de Dei erga se amore & beneuolentiâ. Quẽadmodũ si amicus ex confidẽtia amicitię diceret alteri amico, aut huic misero pro quo rogo ignoscas, aut me deleas ex albo amicorũ tuorum: cum enim nouerit alterũ hoc nullo modo absque alia causa facturum, plurimum tali ratione eum vrget ad concedendum quod petit: ita D. Aug. qu. 147. in Exodum, à quo non videntur recedere Lyranus & Tostatus, qui dicunt esse sermonẽ hyperbolicũ: neq; enim potuit simpliciter ex animo voluisse illud propter eiusmodi finem, cum nullatenus esset medium ad eum conueniens aut ordinatum.

34 Similiter quoad verba Pauli, dicit Estius in Comment. loci, maximè sibi probari eorum expositionem, qui hunc sensum faciunt, *Optarem enim ego ipse*, si liceret scilicet, & si fieri posset, ac foret conueniens medium, *Esse anathema à Christo*, id est, separatus & alienus à Christo *pro fratribus meis*, Iudæis. Quam dicit esse sententiam D. Chrys. Theoph. Oecumenij & aliorũ: vtraque autem expositio tam prima quam secunda probabilis est. Secundum neutrã vero ex dictis istorum SS. Moysis & Pauli aliquid sequitur contrarium nostræ cõclusioni, vt per se satis euidens est.

35 Objicitur Secundò: Charitas nostra est quædam increatæ charitatis, quæ Deus est, participatio; sed Deus magis diligit meliores; ergo etiam charitas quæ in nobis est, inclinabit vt diligamus meliores magis, quam nosmetipsos. Pro resolutione

Notandum ex D. August. Ench. cap. 101. non conuenire, vt eadem semper velit homo, quæ Deus vult. Respondetur itaque vt charitas nostra ordinata sit, debet sequi non tam ordinem quo Deus diligit, quàm quo vult nos diligere: & quia inprimis vult, vt quilibet diligat ipsum super omnia, inde necessariò conficitur, quod etiam proximè velit quemlibet in necessarijs ad illius amicitiam, diligere magis seipsum, quàm proximum, quia alioquin ipse ab amore Dei recederet.

Sed quæret aliquis: Vtrùm debeamus etiam magis nosipsos diligere, quã Christum Dominum vt homo est, secundum quam rationem potest dici proximus noster: vt videtur posse colligi ex parabola de Samaritano. 36

Respondetur, si Christus consideretur præcise vt proximus ratione communis nostræ naturæ, non apparere quod oporteat eatenus magis amare, quàm nosipsos; sed si consideretur tanquam vniuersalis causa meritoria salutis nostræ, & omnium bonorum spiritualium, quæ humano generi conferuntur, ita vt ab ipso in fieri & cõseruari dependeant, sic debere nos tanquam eiusmodi principium & causam efficientem charitatis nostræ, & omnium nostrarum virtutum, magis diligere, quàm nosipsos vt subiectum charitatis & virtutum: ita vt si alterutrum foret necessariũ, quod vel Christus dissolueretur, vel nos in nihilum abiremus, potius deberemus præoptare nostrum interitum, quàm interitum & dissolutionem Christi Domini: quia charitas Dei in nobis, & participatio diuinæ beatitudinis à Christo, tanquam principio vniuersali debent prouenire. Quare sicut Deus, vt habet D. Tho. art. 2. sup. quia causa est beatitudinis, super omnia diligitur, ita quoque Christus Dominus, tanquam communicans etiã vt homo in hac vniuersali causalitate, debet à nobis diligi supra nos: in reliquis autem sanctis hoc non ita locum habet. Ita fere Bannes circa hunc articulum: tamen quoad alios sanctos, v. g. quoad B. Virginem meritò diligimus eam magis obiectiuè, quatenus maiora bona illi volumus, quã nobisipsis: quia ei maiora bona decreta certo cognouimus.

Quæret Secundò, an potius oporteret in nobis admittere peccatum mortale, quã tolerare siue permittere dissolutionem Christi hominis vt homo est, & causa meritoria salutis nostræ, & omnium bonorum spiritualium? 37

Respondetur inprimis, non posse peccatum nostrum vllatenus esse medium ad impediendam dissolutionem Christi, & proinde frustra id inquiri: si tamen eiusmodi casus fingatur, dicendum videbitur, quod charitas magis nos inclinaret ad permittendam dissolutionem Christi Domini, etsi quoque consequenter charitas & aliæ virtutes (sed absque peccato meo) deficerent,

finerent, quàm vt ego Deum peccato mortali offenderem, quia charitas per se primo vult subiectum suum Deo per amorem beneuolentiæ esse vnitum, nihilq; potest magis ei contrariari quatenus in me est, quàm quod ego Deum offendam, & eum abijciendo, simul me ab illo separem.

38 CONCLVSIO Secunda: Non inclinat etiam charitas ad committendum aliquod peccatum veniale pro spirituali salute proximi curandâ, vel pro eius aliquo peccato auertendo. Colligitur ex D. Aug. qui lib. de Mendacio ponit octo modos siue genera mendaciorum, & nequidem septimum vel octauum, quæ dicit leuissima, vult esse committendum siue pro salute proximi, siue etiam pro pudicitiâ corporali tuendâ, vt videre est cap. 19. & 21. Ratio autem reddi potest (quam etiam August. insinuat) quia peccatum, licet veniale, non est medium ordinatum curandæ salutis propriæ, vel etiam impediendi peccati grauioris in nobis, & proinde nec in alijs: proximus autem diligendus est sicut nosipsi: & charitas debet esse ordinata.

39 CONCLVSIO Tertia: Licitum est, imò fieri potest, quod aliquando ex charitate obligemur versari in aliquo honesto vitæ genere pro spirituali salute proximi, quamuis probabile sit nos in eo facturos minorem progressum in charitate: quemadmodum & licitum est velle dilationem gloriæ cœlestis propter necessitatem vel vtilitatem aliorum.

Probatur prima pars, scilicet quod licitum sit sic versari aliquando in tali statu vitæ, quia non tenetur homo semper conari ad summum incrementum charitatis: neque enim omnes tenẽtur amplecti consilia Euangelica, & abijcere omnia quæ quocumque modo sunt impeditiua maioris profectus in charitate; ergo dubium esse non potest, quin liceat ista omittere, vel hæc detinere eo intuitu, vt magis quis prosit saluti proximorum.

40 Probatur Secunda pars, scilicet fieri posse, vt aliquando ad id obligemur. Nam propter corporalem necessitatem parentum potest fieri, quod filius prohibeatur ingredi religionem, si nimirum absq; eius ope non possint sustentari, vt docet expressè D. Tho. inf. quæst. 101. art. 4. ad 4. & reijcit sententiam eorum, qui dicebant filios posse eo casu deserere parentes, & curam eorum committere Deo: quia inquit, hoc esset tentare Deum, cum habens ex humano consilio quid ageret, periculo parentes exponeret sub spe diuini auxilij; ergo fieri potest, quod similiter quis ex charitate obligetur non amplecti eiusmodi statum aliquem, propter spiritualem necessitatem proximorum.

Tertia pars colligitur ex Apostola ad Philipp. cap. 1. *Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autem in carne; necessarium propter vos. Et hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis, ad profectum vestrum, & gaudium fidei.* Dixi autem in conclusione, In honesto vitæ genere, 41 quamuis probabile sit quod in alio genere faceret maiorem profectum in charitate; non autem quod in aliquo quod per se excluderet absolutè maiorẽ aut parem profectum: quia sicut charitas nunquam inclinat, & multò minus vnquam obligat, vt ipsum detrimẽtum eius per se appetamus pro salute proximi (neque enim potest hoc etiam esse medium conueniens aut ordinatum) ita nec videbitur vnquam inclinare aut obligare ad aliquod genus vitæ, quod absolutè per se, & ex necessitate habeat detrimentum charitatis coniunctum: sed sunt status vitæ honesti, qui licet probabilius secum adferant minorem profectum propter diuersas occasiones occurrentes, non tamen absolutè excludunt maiorem profectum, quin imò habent aliquas oportunitates exercendi singulares actus charitatis, & in charitate proficiendi, quãuis propter humanę mentis inconstantiam & fragilitatem, non ita natum sit contingere, quod homo in ijs propter plura negotia externa animum distrahentia, proficiat tantum, quantum in alio statu ab externis omnibus magis abstracto.

CONCLVSIO Quarta: In bonis illis 42 spiritualibus siue internis quæ non faciũt hominem Deo gratiorem, non debet homo magis seipsum diligere, quàm proximum in alijs quæ ad salutem eius pertinent. Probari potest primò ex illo Prouerb. cap. 12. *Qui negligit damnum propter amicum, iustus est*: quod rectè capi potest, non tantum de damnis in bonis externis aut corporis, sed etiam de damno in bonis animæ quæ per se non faciunt ad maiorem cum Deo amicitiam: v. g. de damno in doctrina etiam sacra, in gratijs gratis datis, in internis animi recreationibus, aut suauitatibus spiritus, quæ in abstractione à negotijs magis percipiuntur.

Confirmatur: Quia charitas principaliter inclinat habentem, vt velit & faciat, quæ Deo magis sunt placita; atqui 43 hoc Deo magis placitum est, vt inprimis nosipsi ei amore amicitiæ inhæreamus, & secundò, vt quantum possumus præstemus, quatenus & alij quoque simili amore illi coniungantur; ergò inclinat vt etiam in bonis illis animæ, quæ non efficiũt

Deo gratiores, sustineamus damnum pro proximo, vt ille Deo amore charitatis inhæreat: non enim quærit charitas quæ sua sunt, vt scilicet bona propria siue corporis, siue animæ, quæ ad Dei amicitiam non faciunt, anteponat ijs quę sunt IESV Christi, v. g. ædificationi & profectui proximorum in charitate.

ARTICVLVS V.

Vtrùm homo debeat magis diligere proximum, quàm corpus proprium?

44 CONCLVSIO Prima: Si proximus sit in extremâ necessitate spirituali, tenemur ei cum periculo vitæ corporalis succurrere. Ita communiter tradunt DD. in 3. circa dist. 27. aut 29. & indicat hic D. Tho. ad 3. & clarius docet Opusculo 18. cap. 14. Probatur ex Scripturis: 1. Ioannis 3. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere*: & cap. 15. in Euangelio: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*: atqui ille pro nobis mortuus est. Matt. 22. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*; atqui debemus corpus exponere pro salute animæ propriæ. Hinc D. August. lib. de Mendacio c. 6. Temporalem vitam suam pro æternâ vitâ proximi non dubitauit Christianus amittere: & lib. 1. de Doct. Christianâ cap. 27. Amplius, inquit, alius homo diligendus est, quàm corpus nostrum: quia propter Deū (inquit) omnia ista diligenda sunt: ergo ad minus in casu quo versabitur in extremo periculo salus proximi, oportebit vitam pro illo exponere.

45 Quæres: Quando debeat censeri proximus esse in extremâ necessitate spirituali, præsertim in ordine ad te? Respondetur, si manifestè obserues ei certò instare perpetuam damnationem, nisi modò iuuetur in ijs quæ sunt salutis: & aduertas simul eum non ab alio adiuuandum, etsi potiori obligatione ad illud teneatur, ac preterea quod apparentia nō sit eum proprijs actibus aut motibus ad Deum & ad iustitiam conuertendum: v. g. si infans non baptizatus iaceat iam moriturus in ædibus graui contagio infectis, quas omnes fugiunt, censebitur infans esse in extremâ necessitate spirituali in ordine ad te, si formā baptismi noueris, nec sit apparentia de alio qui illi succurrat.

46 Notant autem DD. quod non censeantur versari in extremâ necessitate spirituali, qui per puram malitiam se exponunt certo periculo damnationis, vt qui vadūnt ad bellum iniustum contra Catholicos, aut ad duellum. Si quis tamen ex quâdam infirmitate animi seipsum sit coniecturus in æternam damnationem, oportebit etiam tali succurrere, vt si quis ex diabolicâ suggestione, aut pusillaminitate, aut desperatione tentet seipsum interimere, tenebimur etiam cum vitæ periculo ei succurrere, vt factum tale impediamus, & eum in spem meliorem erigamus, modò tamen periculum illud vitæ nostræ ipse nobis non causet: quia tunc videretur agere per puram malitiam.

CONCLVSIO Secunda: In graui necessitate spirituali, quamuis non extremâ, licet vnicuique priuato succurrere proximo cum propriæ vitæ periculo: non tamē ad id tenetur nisi forsitan tota aliqua communitas versaretur in tali necessitate, vel esset quis specialiter ex officio obligatus. 47

Probatur Prima pars ex illis Christi verbis apud Ioan. c. 15. *Maiorem hac dilectionē nemo habet, quàm vt animam suam quis ponat pro amicis.* Vnde DD. colligunt, quod possimus etiā succurrere proximo existenti in extremâ necessitate vitæ corporalis cum periculo vitæ nostræ propriæ: quod & docet D. Hieron. in cap. 5. Michææ, & plures alij Patres: non quidem quasi maioris æstimaremus vitam alterius, quàm propriā (hoc enim nec rationi consentaneum est, nec laude esset dignum) sed quod pluris æstimemus, magisque optemus nobis honestatem amicitiæ, quàm vitam corporis; vt explicat D. Thomas in 3. dist. 29. qu. vnica art. 5. Quod si autem liceat succurrere proximo in necessitate vitæ corporalis cum periculo vitæ nostræ: ergò multo magis hoc licebit in necessitate graui spirituali, quamuis omnino extrema non sit. Notát tamen DD. in vtroq; opus esse prudentiâ: in hoc quidem, vt quis conferat certitudinem aut magnitudinem periculi de vitâ suâ cū certitudine vel magnitudine spei de salute proximi per expositionē vitæ suæ, procurandâ, ne forsitan exponat vitā certissimo periculo vbi nulla vel exigua spes est, quod vel sic proximum ab illa necessitate spirituali poterit liberare: hoc enim pertineret ad quandam istius generis prodigalitatem, neque satis conuenit cum charitate, quatenus illa se extendit ad dilectionem proprij corporis. 48

In altero autem, dum quis pro corporali vitâ amici se exponit, hic insuper considerandum erit: Vtrùm moriendo conseruet bonum notabiliter & euidenter maius bono vitæ propriæ, cuius dispendium facit, eo considerato non tantum vt in se est, sed etiam secundum sua adiuncta. Vnde 49

si vita

si vita tua sit magis Reip. necessaria quàm amici, non poteris pro vita eius exponete tuam. Item si proles habeas quibus expedit tam ad alimentũ, quàm ad bonam instructionem, aut ad alterutrum quod superstes remaneas: rursum si ambigas, vtrũ in statu salutis constitutus sis: quia maius bonum est seruire Reip. curare familiam & proles, quæ operâ tuâ indigent, procurare sibi statum salutis, quàm sit bonum humanæ amicitiæ moralis. Vnde vlterius potest colligi, rarò accidere quod Christianus prudenter agat, si pro sola morali honestate humanæ amicitiæ moriatur pro amico: frequentius autem & certius continget prudenter id fieri, quando mors simul oppetitur propter bonum charitatis & spiritualem salutem proximi, quæ pendeat ex vita eius temporali.

50 Sed oppones: Author libri de amicitia Diuo August. adscripti, cap. 10. docet diuinam authoritatem sanxisse, vt etiam vitam corporis pro amico ponamus; ergò est præcepti.

Respondetur Primò, Librum illum non magnæ esse authoritatis. Secundò, aliud esse pro fratre vel amico mori, quàm mori pro vita eius temporali: nam istud fere intelligitur de vita eius principali, quæ est animæ: homo enim secundum illud dici intelligitur, quod in eo principale est, vt rectè annotauit D. Thomas sup. Hoc autem aliquando præcepti esse, vt vitam corporis pro vita animæ proximorum exponamus, iam antè dictum est.

51 Probatur Secũda pars concl. quandoquidẽ enim nõ sit extrema necessitas, vt supponitur, possumus sperare aliter proximi salutẽ curandam aut promouendam absque tanto nostro periculo: & proinde licet vitam nostram illius saluti curandæ non impendamus, non idcirco censebimur pluris vitam nostram æstimare, quàm spiritualem salutem proximi; vtpote quæ aliter haberi potest.

52 Addidi in conclusione: Nisi forte tota aliqua communitas versaretur in eiusmodi graui spirituali necessitate, quia vbi sic se habet communitas, ibi moraliter certum est, multos particulares esse in necessitate extrema, quibus cum vitæ periculo oportet succurrere: Deinde etiam talis necessitas plurium videtur præponderare supra bonum vitæ propriæ.

Addidi Secundò: Vel nisi peculiariter ex officio essemus obligati, quia iuxta cõmunem DD. sententiam, qui ex suscepto munere habent curam animarum, aliter ad curandam salutem subditorum tenentur, quàm quilibet alij ad salutem proximi: de quibus Sapiens dixit, Mandauit Deus vnicuique de proximo suo: vt alibi latiùs solet explicari.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm vnus proximus sit magis diligendus quàm alius?

CONCLVSIO D. Tho. est: Tam secundum internum affectum, quàm secundum externum effectum oportet diligere magis vnum proximorũ, quàm alterum. Probatur, quia debet maior esse dilectionis affectus erga diligibile secundum maiorem eius propinquitatem ad principium dilectionis, hoc enim naturis rerum est consentaneum, quare cum duplex sit dilectionis principium, scilicet Deus, & ipse homo diligens, efficitur quod proximus ille qui vel Deo, vel nobis est coniunctior, sit magis diligendus quam alter qui remotior est. Confirmatur ex Apostolo ad Gal. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem, inquit, ad domesticos fidei.* 53

Sed contra obijcitur ex August. lib. 1. de Doct. Christiana c. 28. vbi sic scribit. Omnes homines æquè diligendi sunt, sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum oportunitatibus constrictius tibi, quasi quadam sorte, iunguntur; ergo in animo debet esse par dilectio erga omnes, quamuis non sit par in exhibitione operis. 54

Respondetur Neg. Conseq. Quod autem ad verba August. attinet possunt ea dupliciter exponi: vno modo, quòd omnes æquè sint diligẽdi hactenus scil. quod idẽ bonũ in cõmuni, quod Deus est, oporteat omnibus velle; non autem quod diligendi sint æquali affectu secundum intensionem vel æstimationem. Secundò, quod omnes homines æquè sint diligẽdi eatenus, quod nullus debeat ab affectu amoris & beneuolentiæ excipi; non autem quod omnes æqualiter actu vel æquali actu sint diligendi. Vnde etiam contingit, vt locũ habeat id quod addit: scilicet, vt cũ omnibus prodesse quis non possit, his potissimum consulendum sit, &c. Vtramque explicationem indicat hic D. Tho: posterior autem videtur magis ad mentem & propositum Augustini.

ARTIC.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm magis debeamus diligere meliores, quam nobis coniunctiores?

55 DOcuit iam D. Thomas ordine quõdam, & non æqualiter proximos omnes diligendos. Nunc incipit inquirere: quis ordo seruandus sit in eorum dilectione?

CONCLVSIO Prima: Meliores debemus magis diligere obiectiuè, quàm nobis coniunctiores, hactenus quod illis secundum præsentẽ iustitiæ statum in quo sunt, debeamus velle maiorem gloriam & beatitudinem, quam alijs minus bonis licet nobis coniunctioribus secundum pręsentẽ ipsorum statũ. Est D. Tho. & communis. Patet, ad charitatem enim pertinet approbare & collaudare diuinam iustitam, & se illi conformare, secundum quam meliores & qui plus meriti sunt, debent reportare maius bonum & prœmium.

56 CONCLVSIO Secunda: Nobis tamẽ coniunctiores diligimus magis intensiuè. Est etiam D. Thomæ, quia intensio motus pendet à principio agente, quod vehemẽtius natum est influere in sibi coniunctiora, quã in remotiora, & ideo affectu intensiori diligit homo sibi propinquiores, ad bonum illud ad quod omnes diligit, scilicet ad beatitudinem in communi, quàm diligat meliores ad illud maius bonum, siue ad maiorem illam beatitudinem, quam eis pro præsenti eorum statu potius vult, quàm propinquioribus sibi.

57 CONCLVSIO Tertia: Possumus etiam secundum appretiationem magis diligere nobis coniunctiores, quam meliores. Declaratur, quia inprimis possumus magis optare, vt ipsi non peccent, vt à salute non excidant, quàm ne id contingat melioribus: vnde etiam oritur ordo subuentionis & curæ spiritualis in operis exhibitione, vt scilicet quis debeat magis curare salutem filiorum, aut parentum, quàm extraneorum, licet hi meliores sint. Præterea quamdiu in via ambulamus possumus etiam nobis coniunctioribus velle maiorem charitatem & iustitiam, & sic mediatè quoque illis velle maiorem beatitudinem & gloriam: hoc enim statui huius vitæ consentaneum est, vbi iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.

58 CONCLVSIO Quarta: Est præterea alius modus quo plus diligimus ex charitate magis nobis coniunctos, quam meliores: quia scilicet pluribus modis eos diligimus. Est quoque D. Thomæ, & sic ferè explicat: quia ad alios non habemus nisi amicitiam charitatis, ad eos verò qui nobis sunt coniuncti, habemus aliquas alias etiam amicitias secundum modum coniunctionis eorum ad nos: v. g. amorem filiorum ad parentes, aut è contra, item fratris ad fratrem, conciuis ad conciuem.

Sed dices, Illæ dilectiones non sunt ex charitate, sed naturales aut morales; ergò &c. 59

Respondetur, non quidem elici ab habitu charitatis, sed tamen in hominibus bene ordinatis imperari à charitate: quia cum bonum omne, super quo fundatur quælibet alia honesta amicitia, tanquam finem respiciat bonum illud summum in quod tendit charitas, efficitur quod hæc ex propria ratione sua imperet omni alteri amicitiæ, sicuti ars quæ est circa finem, imperat arti quę est circa illa quę ordinãtur ad finem. Propterea itaque, quia plures isti modi subiacent saltem imperio charitatis; hinc dixit D. Tho. quod illorum ratione, etiam ex charitate, plus diligamus nobis coniunctiores, prout habet conclusio.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm sit magis diligendus ille qui nobis est magis coniunctus secundum carnalem originem?

PRæsupponit articulus diuersos diuersis modis posse nobis esse coniunctos, de quibus quæritur hic, quo ordine sint diligendi. 60

Notandum itaque est, quatuor posse statui nobiscũ coniunctionis modos principales, quorum primus sit, iuxta quem aliqui nobis coniuncti sunt secundum originem siue sanguinem: sicuti parentes cum filijs, & è contra. Item fratres, sorores, & consanguinei inter se. Secundus potest esse, iuxta quem aliqui nobis coniunguntur secundum politicam societatem, qualis coniunctio est inter conciues, & inter cõmilitiones in militia, idque tum inter se, tum cum suo magistratu, aut ducibus belli, & ipsorum ducum & Magistratus cum suis militibus & ciuibus respectiuè. Tertius modus erit, quo aliqui nobis coniuncti sunt ratione spiritualis obsequij, quod accepimus, aut ijs impendimus, siue ratione alterius cõmunicationis. Quartus quo peculiariter coniuges, maritus scilicet &

vxor sibi coniuncti sunt. Sed quia particularis est difficultatis in collatione parentis cum coniuge, idcirco seorsim de illa particulatim tractatur articulo 11. His positis sit

61 CONCLVSIO Prima: Parentes, & alij nobis secundum originem propius cōiuncti, in ijs quæ temporalis siue corporalis necessitatis sunt, præferendi veniunt alijs, qui secundo vel tertio modo nobis tantùm coniuncti sunt, spectando solum id quod nascitur ex ipsa coniunctione. Colligitur ex D. Tho. qui docet, hic in ijs, quæ spectant ad naturam (vt sunt quæ concernunt corporalem necessitatem) debere nos plus diligere consanguineos. Et probatur ex Apostolo 1. ad Timoth. c. 5. *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Vbi in Commēt. loci docet Estius, inter suos & domesticos illud esse discrimen, quod suos vocet quandocumq; propinquos, domesticos autem sanguine proximos: vt sunt parentes, fratres, filij, nepotes: quia etiā domestica habitatione soleant esse coniuncti, & curam dicit intelligi prouisionem rerum ad vitam necessariarum, quæ præcedentibus planè congruunt. Huc facit quoque, quod in decalogo peculiariter demandetur honor deferendus parentibus, quē inprimis in subministratione rerum necessariarum situm intelligunt omnes. Vnde Christus Matth. 15. & Marc. 7. Scribas & Pharisæos reprehendit, quod vel sacrificiorum & religionis causa docerent parentes esse deferendos.

62 Dixi spectando tantùm obligationes ex coniunctione natas, quia posset accedere ad coniunctionem, v. g. politicam aut etiam spiritualem, quædam alia obligatio: vnde fieret quod taliter coniuncto potius deberent subuenire, quam parenti: vt si ille esset persona publica cuius vita sit necessaria ad incolumitatem Reip. aut Ecclesiæ. Verum id non fit præcisè propter coniunctiones, sed quia bonum publicum debeo præferre bono particulari.

63 Dicet aliquis: fieri potest, quod pessimè de me sit pater meritus, & alius quispiam de me sit optimè meritus: vt si parens in me educando nullam posuerit curam vel operam, & in generatione quoque magis bonum voluptatis suæ, quam bonum prolis spectauerit; amicus autem mihi vitam conseruauerit suis laboribus & impensis; ergo tum magis oportebit me subuenire illi in necessitate corporali, quàm parenti. Rursum ponatur casus, quod Sacerdos aliquis me in fide instruxerit, & per baptismū regenerauerit; pater autem, vtpote Ethnicus aut Hæreticus adhibuerit omnem operam, vt me peruerteret, aut in perfidia & hæresi detineret, videbor in necessitate plus debere sacerdoti tali quam parenti: tum quod Euangelium mandat odisse parentes & propinquos qui saluti nostræ aduersantur, tum quod plus videamur debere in istis bonis minoribus, illi qui in maioribus amplius profuit, vt potest colligi ex Apostolo ad Galat. 6. *Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis.*

Respondetur Primò, conclusionem nostram loqui de ijs, quæ per se, & in genere conuenit facere, non autem de particularibus casibus vestitis peculiaribus circumstantijs. 64

Respondetur Secundò: Nequidem in casu priori loco proposito præferendum esse eiusmodi benefactorem parenti, quia meminisse oportet, vt monet Ecclesiastic. cap. 7. *Quoniam nisi per illos natus non fuisses:* ipsi enim parentes sunt causa nostri esse & nostræ vitæ. Vnde nullum beneficium, quod ad hanc vitam pertinet, comparandum est per se cum eo, quod à parentibus accepimus: non tamen videtur negandum, quin possit in tantùm excrescere iniuria parentis in filium, vt liceret eum in necessitate postponere alteri singulari benefactori, vt si pater voluerit filium innocentem occidere aut suffocare, & alter cum vitæ suæ periculo liberauerit eum ex manibus parentis, & in filiū adoptauerit, videbitur hic meritò præferendus tali parenti: idem facilius contingere poterit, quod sic benefactor quispiam notabilis veniat in necessitate præferendus fratri aut sorori, & magis adhuc cognatis remotioribus, erga quos omnes non est tanta obligatio, quam erga parentes.

Ad alterum casum respondetur: esto beneficium quod filius accepit à tali Sacerdote esse maius quam quod parens cōtulit, tamen quia Sacerdos non æquè est causa principalis nostræ regenerationis spiritualis, quod Deo & Christo proprium est, sicuti parens est causa nostræ generationis secundum carnem, hinc non in tantùm oritur ex illo beneficio licete maiori, obligatio erga sacerdotem, quam ex altero licet in se minori erga parentem. Ad quod accedit, quod generatio secundum carnem sit quasi primum fundamentum vitæ nostræ spiritualis, hactenus quod ista debeat necessariò præsupponi, neque possit hæc absque illa possideri. Ad ea verò quæ in confirmationem ex Scripturis allegantur, dicendum ad primum quidem, quod præcipiantur odisse parentes qui nostræ saluti aduersantur, non simpliciter, 65

sed in

sed in ijs in quibus aduersantur: ita vt oporteat nos auersari & reijcere omnia, quæ adhibent vt nos à Christo abducant, aut ad peccata pertrahant: non autem ita quin datâ occasione necessitatis debeamus illis ex charitate subuenire, quandoquidem etiam inimicos iubeamur diligere, vt suprà ostensum est.

66 Ad alia duo loca Apostoli dicendum, inde quidem consequens esse, quod debeamus etiam temporaliter sustentare & in corporalibus necessitatibus subuenire illis, qui nobis spiritualia beneficia contulerunt; sed non quod in necessitate temporali debeat præferri parenti secundum carnem, quando vtrisque subuenire non possumus.

67 CONCLVSIO Secunda: Similiter etiam pater in necessitate spirituali constitutus, præferri debet cuilibet alteri priuato, etiamsi quoque huic aliquo vinculo spirituali sis coniunctus aut obligatus.

Sed opponet aliquis: Iam antè dictum fuit ex D. Tho. quod qui in vno genere nobis sunt coniunctiores, sint magis diligendi in bonis quæ ad illam coniunctionem pertinent; ergo in spirituali necessitate oportebit præferre patrem spiritualem, qui nos in Christo genuit; aut filium spiritualé, quem nos regenerauimus parentibus & filijs secundum carnem.

Respondetur, bonum beatitudinis esse bonum ita generale, vt non debeat censeri peculiare certo generi alicuius cõiunctionis: quia omnia particularia bona ad illud, tanquam ad finem, referuntur: & ideo quando agitur de necessitate aut periculo illius amittendi, oportet succurrere potius illi, qui nobis simpliciter est coniunctior; vt est parens, aut filius secundum carnem: quia hæc coniunctio est prior & antiquor omnibus, ac immobilior, quia est secundum id quod pertinet ad substantiam, inquit D. Tho. Non tamē foret mortale, si hic ordo mutaretur circa aliquem, qui in spiritualibus esset de te optimè meritus, & parens neglexisset tuam salutem, vel etiam conatus fuisset impedire, prout habet secundus casus suprà positus ad primam conclusionem.

68 CONCLVSIO Tertia: Similiter etiam fratres secundum carnem in necessitate videntur præferendi fratribus spiritualibus ratione scilicet spiritualis communicationis, aut professionis eiusdem vitæ religiosæ: sicuti enim natura primùm inclinat in conseruationem sui suppositi, deinde in alios qui magis ei sunt cõiuncti, sic etiam charitas primùm inclinat, vt faciat subiectum suum amore inhærere Deo: Deinde illos, qui sunt magis subiecto coniuncti. Neque enim apparet ratio, quare charitas hic non imitaretur, & perficeret inclinationem naturæ. Poterit tamen fieri, quod frater spiritualis sit præferendus, si spiritualia beneficia plura cõtulisset, vt nō tantùm esset frater, sed etiam pater spiritualis: & è contra frater secundum carnem conatus fuisset ad mala pertrahere, & alijs modis eius salutem impedire. Cæterùm vbi sic vtrimque rationes occurrunt, quarum aliæ videntur suadere hunc præferendum, aliæ verò alterum, non erit periculum magni peccati, siue quis hunc, siue illum præferat, quandoquidem neque DD. satis inter se conueniunt in ordine quoad tales constituendo.

CONCLVSIO Quarta: Extra necessitatem frequentius contingit, quod quis debeat magis curare spiritualem profectum, & bonum aliorum, quàm parentum; vel sibi secundum carnem magis cõiunctorum. Colligitur ex D. Amb. lib. 1. Officiorum cap. 7. vbi de suis subditis scribit: Non minus vos diligo quos in Euangelio genui, quàm si in coniugio suscepissem. Quam dilectionem D. Tho. hic ad secundum exponit, quoad beneficia spiritualia impendenda, vt instructionis in fide, & in bonis moribus. Probatur, quia certum est, pastorem debere magis inuigilare saluti suorum subditorum, quorum cura ex officio ei incumbit, quàm suorum cognatorum, aut etiam parentum qui sub alia parochia degunt, & ab alio pastore scilicet suo; sufficienter curari possunt: imò etiam propriorum filiorum si quos forsitan ante Sacerdotium ex coniugio suscepisset, quando iam sunt emancipati, & sub alio pastore agunt. Similiter frater spiritualis debebit quoque in ordinariâ conuersatione magis diligere, & subuenire fratri spirituali, quàm fratri secundū carnem extra casum necessitatis: hoc enim familiaris & domestica cõiunctio, ac eiusdem religiosæ vitæ professio omnino postulant, & ad pacis & vnitatis conseruationem, necessarium est. 69

CONCLVSIO Quinta: Pastor in necessitate spirituali totius communitatis, & in necessitate spirituali parentis, non potest deserere communitatem, vt necessitati parentis subueniat. Ita Mald. hic. Ratio est, quia bonum commune est diuinius & præponderans particulari: vnde eius procuratio debet, præsertim accedente obligatione ex officio, præferri bono alicuius particularis etiam parentis. 70

ARTIC.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm homo ex charitate magis debeat diligere filium, quam patrem?

71 CONCLVSIO Prima: Pater est magis diligendus obiectiuè, siue ex parte obiecti, vt loquitur D. Tho. quod sic explicat, quia diligimus patrem sub ratione principij, quod habet rationem eminentioris boni, & magis Deo similis. Vnde & Deum appellamus Patrem, ac propterea etiam debemus præstantiora bona velle & deferre patri, quam filijs: puta honorem & reuerentiam. Probatur ex D. Hier. in cap. 44. Ezech. Post omnium Patrem Deum, inquit, carnis quoque pater diligatur & mater.

72 CONCLVSIO Secunda: Filius tamen magis diligitur tanquã nobis quid coniunctius, & magis nostrũ. Probatur, quia filius magis est aliquid patris, quam pater sit aliquid filij: quod enim ab alio procedit, dicitur aliquid illius, non sic è contra: rami enim & fructus dicũtur esse aliquid ipsius arboris, non autem arbor esse aliquid ipsorum. Vnde fit, quod in bonis illis quæ causa solet subministrare effectibus ad Esse & conseruari, magis diligendus sit filius quam pater. Quare parentes solent thesaurizare filijs, non autem filij parentibus: vt habet Apostolus 2. ad Cor. 12. sed debent parentes gerere ordinariam curam de filijs educandis & sustentandis, non sic filij de parentibus, quibus supponitur, iam ab alijs, aut per seipsos esse de necessarijs prouisum. Quia tamen pater absolutè est magis appretiatiuè diligendus quã filius, hinc si vterque sit in necessitate & periclitetur de vita, potius erit subueniendum patri, quàm filio: vt significat D. Tho. hic ad 3. Quamuis in articulo necessitatis, inquit, filius obligatus sit ex beneficijs susceptis, vt parentibus maximè subueniat. Et ita communiter tradunt Doctores.

ARTICVLVS X.

Vtrùm homo magis debeat diligere matrem, quam patrem?

73 CONCLVSIO D. Tho. est: quod pater sit magis diligendus, quàm mater per se loquendo. Ratio est, quia licet vterque sit principium respectu nostri, tamen pater rationem excellentioris principij habet, quia est principium per modum agentis, mater magis per modum patientis & misericordiæ. Dixi per se loquendo, quia non est hic tantus excessus obligationis maioris ex radicali fundamẽto, quin possit facile contingere, vt propter virtutes & bona merita matris, & è contra verò propter iniurias vel negligentias patris circa proles, mater debeat patri præferri.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm homo debeat plus diligere vxorem, quam patrem & matrem?

RESpondet hic D. Thom. eodem modo, quemadmodum ad articulum 9. 74
& sequuntur alij DD. scilicet quod oporteat magis diligere patrẽ ex parte obiecti, vtpote qui habet rationem eminentioris boni; quod vxor autem magis sit diligenda intensiuè, tanquam quid homini coniunctius: vxor enim cõiungitur viro tanquam vna caro cum illo existens, iuxta illud Matth. 19. *Itaque iam non sunt duo, sed vna caro;* in necessitate tamen debet magis assistere parentibus, quàm vxori: vt significat D. Tho. in resp. ad 1.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm homo magis debeat diligere benefactorem, quàm beneficiatum?

REspondet hic iterum D. Tho. benefactorẽ esse magis diligendum ex parte 75
obiecti, vtpote in quo relucet ratio maioris boni, quia habet rationẽ principij respectu doni quod contulit; magis tamẽ diligi eos quibus benefecimus, tanquã nobis coniunctiores: quia beneficiatus à nobis est quasi opus quoddã nostrum. Vnde dici solet de eo, qui per alium ad dignitatem, aut bonam conditionẽ promotus est, quod sit factura aut creatura illius: vt habet hic D. Tho. naturale autem est cuilibet, vt diligat opus suum, tanquam aliquid ad ipsum scilicet pertinens. Vide plures alias rationes apud D. Tho. quas ex Philosopho adducit.

ARTICVLVS XIII.

Vtrùm ordo charitatis remaneat in patria?

REspõdetur: Haud dubiè remanet or- 76
do charitatis in patria, quantum ad hoc

hoc quod Deus est diligendus præ omnibus & super omnia. Hoc enim tunc perfectissimè complebitur, quando perfectè homo fruetur Deo: Quod autem attinet ad ipsum diligentem in respectu ad alios, manebit quoque ordo hactenus quod quisque in patria magis intensiuè, vt loquitur D. Tho. seu potius magis appretiatiuè, vt distinctius loquamur, diliget seipsum, quàm proximum etiam meliorem: ita scilicet, vt potius vellet proximum meliorem à diuino amore & beatitudine excidere, quam se ab illis cadere: quia perfectio charitatis ordinat hominem perfectè in Deum, nec ab aliquo magis abhorret, quã à diuino amore separari. Eatenus verò non manet ordo iste, quod absolutè velit quisq; maiorem gradum gloriæ proximo meliori quàm sibi: est enim quilibet suo gradu contentus, & nouit nõ esse tempus proficiendi amplius. Quod autem ad proximos alios inter se, nec obiectiuè, nec intensiuè, aut appretiatiuè seruat eundem ordinẽ Beatus, quem viator. Nam coniunctiores secundũ carnẽ, vel secundũ aliam rationem huius vitæ, minus boni nullo ex modis illis diliguntur amplius, quàm alij meliores taliter non coniuncti: nam his, & absolutè maius bonum volet, & pluris eos, eorumque beatitudinem faciet, quàm aliorum, qui hic fuerunt coniunctiores.

Notat tamen D. Tho. quod illi qui coniunctiores fuerunt, ibi pluribus modis diligentur; neque enim beatitudo excludit omnes alias honestas causas dilectionis, quibus tamen incomparabiliter præfertur ratio dilectionis, quæ sumitur ex maiori propinquitate ad ipsum Deum, quæ ibi certa & inuariabilis est, non inconstans & defectibilis, sicut in hac vita. Vnde nobis magis coniunctus potest hic magis diligi obiectiuè, & appretiatiuè, quia nondum sumus in termino, & oportet nos laborare, vt in charitate crescamus; & hinc etiam æquũ est, vt velimus eos crescere, qui iuxta modum huius vitæ corporalis magis vnum sunt nobiscum. 23

QVÆSTIO XXVII.

De principali actu charitatis, qui est dilectio.

In octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm charitatis sit magis proprium amari, quam amare?

1 EXPLICATA naturâ charitatis, pergit D. Thomas tractare de eius actibus & effectibus; qui recensentur septem numero: quorum primus & præcipuus est dilectio, reliqui quasi secundarij, tres interni: gaudium, pax, & misericordia, tres externi beneficentia scilicet, eleemosyna & correctio fraterna.

2 CONCLVSIO D.Th. est: magis proprium est charitati amare, quàm amari, siue quã reddere suppositum amabile, seu amore dignum. Ratio est, quia facere amabile conuenit ei secundum rationem boni in communi, quomodo omnis virtus facit subiectum amabile; sed facere amantem, competit ei secundum propriam rationem quâ charitas est: vtpote quæ sit habitus quidam in hoc genere operatiuus, vnde dilectio est actus illi maximè proprius.

Obseruandum tamen est iuxta opinionem illorum, qui gratiam sanctificantem non volunt esse habitũ à charitate distinctum, non incommodè dici posse, quod non minus esset proprium charitatis amari, siue facere subiectum amabile, secundum eam scilicet rationem; quâ est forma adoptionis filiorum Dei, quàm amare; quia tam intendit Deus per internum donum constituere hominem sibi filium & amabilem, quam facere eum sui amantem. 3

ARTICVLVS II.

Vtrùm amor secundum quod est actus charitatis sit idem quod beneuolentia?

CONCLVSIO D. Tho. est: In dilectione secundum quod est actus charitatis includitur quædam beneuolentia, sed im- 4

sed importat vlterius quandam vnionem secundùm affectum amantis ad amatum, in quantū scilicet æstimat amatum tanquam vnum secum, vel ad se pertinens. Probat ex Philosopho 9. Eth. cap. 5. vbi dicit, beneuolentiam esse principium amicitiæ. Et declaratur, quia possumus bene velle alicui absque eo quod illum diligamus: v. g. victori in certamine volumus præmium propositū, & malè nos habet si alteri donetur, nō propter amorem quo erga illum mouemur, sed ob amorem iustitiæ; sicut & auersatio, siue odium iustitiæ gignit quasi tristitiam, si aliter fiat. Quod verò in dilectione charitatis includatur beneuolentia, constat satis ex dictis suprà, vbi distinximus inter amorem amicitiæ, & amorem concupiscentiæ.

5 Aduertendum tamen est, quando quis bene vult alteri, nōquia iustitia id postulat, sed tantùm vt ei bene sit, eiusmodi beneuolentiam non distingui à dilectione; quia amare non est aliud, quàm velle bonum alicui vt ipsi bene sit, siue bonum hoc sit illi debitum, siue non: & sic magis communiter videtur etiam ipsum nomen beneuolentiæ capi.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Deus sit propter seipsum ex charitate diligendus?

6 NOtat D. Tho. in præpositione illâ *Propter*, intelligi posse quadruplicem habitudinem, secundū quadruplex genus causæ: ita tamen vt ad causam materialem reducatur etiā subiecti siue materialis dispositio, quæ non est causa simpliciter, sed secundum quid.

Respondetur itaque, quod secundum tria causarum genera Deus non diligatur propter aliud, sed potius propter seipsum; quarto autem modo dici potest diligi propter aliud. Declaratur prior pars, quia in primis non diligitur propter aliud vt causā efficientem, quemadmodum aliquando diliguntur filij propter parentes, quia Deus nullam habet causam efficientem, sed à seipso habet suum esse, ita vt à nullo alio: non etiam propter aliud tanquam causam formalem, sicuti homo diligitur propter virtutes sibi inhærentes à se distinctas, quia Deus sic diligitur propter suam increatam bonitatem quæ cum eius Esse omnino idem est: nec quoque propter aliud, vt finem, sicuti medicina diligitur propter sanitatem: hoc enim inordinatissimum foret, quia esset vti fruendis, & velle frui vtendis: est enim Deus finis vltimus, quo nihil melius est, & ad quem omnia sunt referenda; ipse autem non ad aliud.

Declaratur pars posterior, quia potest Deus dici diligi propter beneficia ab eo accepta, & propter præmia à Deo sperata, quatenus hæc sunt causa dispositiua hominis & inductiua, vt ad dilectionem Dei ex charitate proficiat & in ea crescat. 7

Quæret aliquis: An non possit etiam Deus diligi propter beneficia spiritualia aut temporalia, vt propter causam principalem illius amoris? 8

Respondetur, quando Deus sic diligitur, tunc amorem illum non esse dilectionem charitatis, sed potius amorem concupiscentiæ, quo nobis bene volumus. Addo tamen amorem illum esse honestum, quia honestū est recognoscere benefactorem, & amare illum propter beneficia, quæ quis accepit aut sperat; non tamen debet sic esse affectus, vt non velit Deum amare, nisi propter beneficia, quia ille affectus inordinatus est, quatenus excludit amorem charitatis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm in hac vita possit Deus immediatè amari?

RESpondet D. Thomas: Deum in hac vita posse immediatè diligi, quamuis non immediatè cognoscatur. Rationem reddit, quia nostra cognitio debet incipere à sensibilibus, & per ea ascendere ad immaterialia & spiritualia. Vnde non possumus cognoscere, nisi mediantibus quibusdam sensibilibus cognitis, atque ita spiritualia non cognoscuntur à nobis sine medio, possunt tamen absque medio diligi: quia vbi cognitio nostra ad illa fuerit terminata, tunc potest incipere in nobis eorum amor, nec opus est amare aliquid, cuius amore mediante illa diligamus. Declaratur exemplo: si quis in picturà alteri exhibeat rem raram & pulchram; poterit is statim affectu trahi in rem illam & eam amare, quamuis non amet ipsam picturam, licet sine pictura non potuisset in illius rei quæ longissimè v. g. distat, cognitionem peruenire: sic itaque Deum possumus amare absque amore creaturæ, quamuis hic sine cognitione creaturæ non cognoscatur à nobis. 9

ARTICVLVS V.

Vtrùm Deus possit totaliter amari?

10 DIstinguit D. Tho tres modos totalis dilectionis: primum ponit ex parte obiecti; alterum ex parte subiecti: & tertiũ ex parte proportionis & adæquationis inter dilectionem, & rem dilectam.

Respondetur itaq;, quod non tantũ possit, sed etiam debeat Deus amari totaliter, primo modo, ita vt ipse, & quidquid eius est, diligatur: Item debet ex parte subiecti, siue diligentis amari quoque totaliter, sic vt diligens amet eum ex totis viribus, & omnia sua in Deum referat, iuxta illud, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*, &c. Sed tertio modo nõ potest à nobis totaliter diligi, vt scilicet adæquatio sit in amoris quantitate, & rei amatæ dignitate: quia nulla creatura potest diligere Deum in tantum, in quantum ex se diligibilis est: sed ipse solus ita seipsum diligit.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm diuinæ dilectionis sit aliquis modus habendus?

11 REspondetur cum D. Bern. lib. de Diligendo Deo circa initium: Causa diligendi Deum, Deus est: modus autem est, sine modo diligere. Ratio est, quia finis est appetibilis & amabilis tantus, quantus est: quia cum finis sit mensura essentialiter (ex ordine & proportione ad quem debent mensurari, & modificari ea quæ sunt ad finem, ita vt in tantum dicantur moderata, in quantum attingunt: & immoderata, in quantum deficiunt vel excedunt respectu illius) consequens est, quod totus finis sit modificatus, quia ratio mensuræ importat essentialiter debitam modificationem, sic vt in ea nihil possit accipi aut dici immodificatum, quod sit excedẽs aut deficiens. Hinc medicus procurat sanitatem tantam, quanta haberi potest, sed nõ dat tantam medicinam quantam potest, quia hæc debet modificari ex proportione ad sanitatem comparandam. Quandoquidem ergo Deus, qui finis noster est, sit infinitus & infinitæ bonitatis, erit ipse in infinitum appetibilis & amabilis, & ita absque termino diligibilis: vnde tam obiectiuè & appretiatiuè, quam etiam intensiuè fine limitatione aliqua est diligendus: infinitum enim bonum ei optandum est, omnibus simpliciter anteferendus, & semper in diuini amoris intensione, quantum fieri potest, proficiendum est.

In continuatione tamẽ huius amoris aliquis hic modus est seruandus, sed per accidens propter nostram infirmitatem, quæ requirit modum aliquẽ non ex lege, sed ex necessitate, ne infirmitas corporis succumbat: similiter in actionibus externis seruãdus quoque modus est, quia sunt media quibus in dilectione, & animæ cum Deo coniunctione proficiamus: vnde attemperandæ sunt, secundum quod magis conuenit huic profectui. 12

ARTICVLVS VII.

Vtrùm sit magis meritorium diligere inimicum quam amicum?

CIrca hanc quęstionẽ nõ videntur satis inter se Scholastici conuenire. Si quis tamen exactè consideret, forsitan magis in modo loquendi, quàm in re ipsa videbuntur dissentire. Quare vt distinctè res explicetur. Sit 13

CONCLVSIO Prima: Dilectio amicorum ordinariè est feruentior, & magis intensa, quàm inimicorum, & proinde melior est, & magis meritoria, quantũm est ex parte intensionis actus. Est D. Tho. in fine Corporis. Patet, quia forma quo versatur circa obiectum magis dispositum ad recipiendum influxũ, eo solet actione sua producere effectum intensiorem: amicus autẽ est materia & obiectum magis conueniens dilectioni, vt habet D. Tho. quã inimicus: neq; enim in eo est aliquid quod pariat resistentiam, aut difficultatem circa inclinationẽ charitatis, vnde dubium nõ est, quin ordinariè saltem diligatur intẽsiùs amicus, quàm inimicus: intensio autem actus facit ad incrementum bonitatis eius & meriti.

CONCLVSIO Secunda: Dilectio amici potest etiã dici melior ex parte obiecti quasi materialis, quã inimici. Declaratur, quia amicus melior est: amicitia enim melior est quàm inimicitia, estque ipse nobis coniunctior, atq; ita actus dilectionis supra hanc materiã transiens, est ex ea parte melior. Sic quoq; D. Tho. Sed hæc bonitas talis qualis est, nõ videtur multum facere ad augmentum meriti dilectionis, tũ quia se valde materialiter habet, tum etiam, quia dilectio amicorum non est meritoria, quia amici sunt: nam etiã Ethnici & Publicani amicos & benefactores diligunt: sed quia est dilectio proximi propter Deum. 14

Dices: Amicus est etiam melior apud Deum & illi coniunctior: & eo nomine dilectio illius videtur notabiliter fieri melior, & magis meritoria. Respondetur imprimis 15

primus assumptum posse esse incertum: nam esto quod inimicus meus iniquè mihi aduersetur, poterit similiter fieri quod meus amicus alicui alteri magis iniquè aduersetur, & alijs pluribus peccatis sit obnoxius, & proinde à Deo magis alienatus, quàm meus inimicus. Vnde non videtur inde ęstimanda bonitas dilectionis amici prę dilectione inimici, absolute & simpliciter loquendo; si quis verò amicum non tantum vt amicum & proximum diligat propter Deũ, sed etiam vt virum pium & probum, sibi complacendo & quasi congaudendo de hoc Dei dono extrinseco, quòd hic scilicet debitum amorem & honorem Deo deferat, hauddubiè multum bonitatis & meriti indè accedet actui, quia est instar duplicatæ dilectionis. Sed hoc iterum non oritur ex eo, quod sit dilectio amici: nam idem potest habere locũ circa extraneum, vt scilicet diligatur propter Deum, quia Deus vult nos diligere proximum: Deinde etiam propter particularem illam rationem iam explicatam. Hinc etiam potest simile quid accidere in dilectione inimici, si diligam illum, non tantum cõmuni amorè, quẽ oportet habere erga omnes; sed peculiari affectu desiderẽ, vt à peccatis se auertat, & ad Deum conuertatur, vt sic in eius conuersione Deus honorificetur. Quare etiam ista consideratio nõ videtur per se facere ad dilectionem amici præferendam dilectioni inimici.

16 CONCLVSIO Tertia. Dilectio inimici est laboriosior & difficilior ex propria ratione quatenus est inimici, quàm amici; & ex eo magis meritoria. Quod sit difficilior, per se euidens est. Nam subiectum, cui obiectiua formalis ratio dilectionis ex charitate hic applicatur, habet sibi adiunctam rationem, quæ plurimum aduersetur voluntati, quam charitas debet inclinare & mouere ad exercendum actũ dilectionis. Quare ægrius ex sua parte propter resistentiam obiecti, accommodat se inclinationi charitatis: quod autem huiusmodi labor & difficultas actus augeant meritum, constat ex ijs quæ alibi de merito doceri solent: quare sit

17 CONCLVSIO Quarta: Dilectio inimicorum cæteris paribus, vt quod sit tam feruens, æquè intensa & extensa, v.g. quoad bona quæ illi volumus, est per se magis meritoria, quàm dilectio amicorũ. Sequitur ex dictis, quia habet illa ex materia propria circa quam versatur laborẽ & difficultatem coniunctam, vt iam explicatum est, quam non habet dilectio amicorum; alia verò quæ videtur militare pro maiori bonitate & merito dilectionis amicorum, aut valde materialiter se habent ad bonitatem dilectionis ex charitate, aut per accidens ei iunguntur, & possunt etiam in dilectione inimicorum similia reperiri: vt ex dictis facile est intelligere.

Probatur autẽ primò ex Scripturis, quę non obscurè inimicorum dilectionẽ, tanquam quid maius videntur commendare, Matth. 5. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos:* & paulò infrà: *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?* &c. *Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est:* ad Rom. 5. *Commendat autem charitatẽ suã Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus secundũ tempus Christus, pro nobis mortuus est:* vbi Apostolus exaggerat charitatẽ Dei ex eo, quod Christus pro inimicis & impijs mortuus sit. 18

Probatur Secundò ex Patribus: Idem enim tradit satis apertè D. August. Enchir. cap. 27. D. Chrys. hom. de Charitate, & D. Greg. lib 9. moral. cap. 12. & hom. 27. in Euangelia: Vera quippe & summa est probatio charitatis, inquit, si & ipse diligatur qui aduersatur.

Sed contra obijcitur: Ioannis 15. dicitur, *Maiorem hac dilectionẽ nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis;* ergò dilectio amici simpliciter est maior, & magis meritoria, quàm inimicorum; alioquin illud dictum Christi non videbitur verum: nam maiorem & præstantiorem adhuc charitatem haberet, qui animam suam poneret pro inimicis. 19

Respondetur Neg. Conseq. Et ratio imprimus redditur, eo quod non fiat cõparatio dilectionis amicorum ad dilectionem inimicorum, sed dilectionis quæ exponit bona temporalia fortunæ pro amicis cum illâ, quę exponit animã seu vitam pro amicis: Itaque solum hic docebitur quod hæc superexcedat omnem illam.

Deinde potest alia reddi ratio, & forsitan magis appositè, quod scilicet Christus non dicat, non esse, siue non posse dari maiorem dilectionem: sed quod nemo habeat, quia hoc videtur summum amoris quod humana infirmitas potest attingere, vt quis ponat vitam pro amicis: & sic ostenditur Christi charitas ergà hominem esse singularis & superexcellens, quod apertius docuit Apostolus ad Rom. cap. 5. cit. ita scribens, *Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori?* Deinde addit, *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus,* &c. & paulò infrà: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius;* &c. atque ita locus ille hoc sensu, non aduersatur nostræ conclusioni, sed magis eam confirmat. 20

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm sit magis meritorium diligere proximum quam Deum?

21 CONCLVSIO Prima: Si vtraque dilectio seorsim consideretur, quatenus scilicet vna versetur circa Deum vt obiectum quod, & altera circa proximum vt obiectum quod, ita vt neutra tamen excludat alteram, sic dilectio Dei haud dubiè melior est & magis meritoria, quàm dilectio proximi. Videtur hic sensus esse D. Tho. in prima sua responsione. Patet ex supra dictis, quia quo obiectum quod habet rationem formalem obiectiuam sibi magis vnitam, aut altiori habitudine coniunctam, eò actus virtutis circa tale obiectum est præstantior in illo genere: Deus autem essentialiter est sua infinita bonitas, quæ formalis est ratio obiectiua charitatis: proximus autem est tantùm diligibilis propter certos respectus ad Deum & eius bonitatem; ergò &c. Confirmatur à simili: quia præstantior est honor, & præstantius obsequium, quæ deferuntur regi in persona propter eius excellentiam, quam quæ illius ministris propter respectum ad Regem, aut propter eius mandatum.

CONCLVSIO Secunda: Si accipiatur dilectio Dei secundum quod solus ille 22 diligatur cum exclusione proximi; dilectio autem proximi accipiatur secundum quod proximus diligitur propter Deum, sic dilectio hæc proximi erit melior. Ita etiam D. Tho. in altera parte suæ responsionis. Declaratur, quia dilectio proximi includit dilectionem Dei, quatenus Deus supponitur esse ratio motiua diligẽdi proximum; ista autẽ dilectio Dei non includit, sed excludit dilectionem proximi. Vndè est comparatio, inquit D. Tho. dilectionis Dei perfectæ quæ se extendit ad proximum, cum dilectione Dei insufficiente & imperfectâ: quia hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat fratrem. Ex quibus verbis satis patet quod loquatur D. Tho. de dilectione Dei in hac parte responsionis, quæ excludit dilectionem proximi, quamuis id expressis terminis non dicat.

QVÆSTIO XXVIII.

De Gaudio.

In quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm gaudium in nobis sit effectus charitatis?

1 CONCLVSIO D. Tho. est: Spirituale gaudium, quod de Deo habetur, causatur ex charitate. Patet, quia gaudiũ generaliter ex amore procedit: nascitur enim vel ex boni amati presẽtia aut possessione, vel quia amico dilecto bene est: quãdo igitur gaudemus de bonis Dei siue internis, siue externis, causatur id in nobis, quia Deum ex charitate diligimus. Vnde gaudium ad Rom. 14. adscribitur Spiritui Sancto; qui & charitatem, & mediante charitate gaudium spirituale in nobis operatur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm spirituale gaudiũ, quod ex charitate causatur, recipiat admixtionem tristitiæ?

DIstinguit D. Tho. duplex gaudium charitatis: vnum dicit esse principale, quo scilicet gaudemus de bono Dei secundum se: & de hoc dicit, quod non recipiat admixtionem tristitiæ. Et ratio est, quia bonum illud non potest admittere admixtionem mali: & ideo monet Apostolus ad Phil. 4. *Gaudete in Domino semper.* Alterum dicit esse gaudiũ, quo gaudemus de bono diuino, vt participatur à nobis: & huiusmodi gaudium recipit aliquam admixtionem tristitiæ: quia illa participatio potest impediri per aliquod contrarium, quod dum contingit, dolemus de illa participatione impedita, siue in proximis, siue etiam in nobis, quatenus in amore Dei non proficimus. 2

De reliquis duobus articulis huius quæstionis. Vtrum, scilicet illud gaudium possit esse plenum? &, Vtrum sit virtus? vide D. Thomam, qui satis clarè ea explicat.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXIX.

De Pace.

In quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm pax sit idem quod concordia?

1 DOCET D. Tho. pacem aliquid amplius esse quàm concordiam: Concordia enim est, Diuersarum voluntatum in diuersis vnio: Pax autem, non tantùm includit consensionem voluntatum quæ sunt in diuersis, sed etiā omnium appetituum, qui sunt in eodem. Nemo enim dicitur habere pacem ex hoc solo, quod cum alijs concordiam colat: sed requiritur vt etiam in seipso sit concors & pacatus, & appetitum inferiorem habeat consentientem superiori: neque tantùm requiritur appetituum consensio, sed etiam quædam tranquillitas appetitus omnis, vt scilicet in bono appetito conquiescat: quamdiu enim eius carentia, aut non plena possessio animū affligit, nondū perfectam pacem habemus. Vide plura hâc de re apud Caiet. in hunc locum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm omnia pacem appetant?

2 RESpondet D.Tho. affirmatiuè: & docet ex D. Augus t. lib. 19. de Ciuit. cap. 12. vbi Aug. id ex professo probat. Ratio autem breuiter reddi potest, quia omnia appetunt tranquillā boni sui possessionem, & consequenter vt nemo ipsis aduersetur: appetere autem vt nullus sibi aduersetur, & nullus sit appetitus contrarius, est pacem appetere. Quod adeò verum est, vt etiam seditiosissimi homines, qui perpetuò remp. turbant, & pacem eius odisse videntur, tamen pacem ament: vt ibidem D. Aug. ostendit. Etsi enim oderint pacem præsentem, desiderant tamē aliam quandam pacem, in qua ipsi dominentur, & nemine repugnante omnia ex eorum arbitratu gerantur, ideoque seditiones & bella mouent, vt ad hanc pacem prætensam perueniant; omnes ergo pacem quandam appetunt.

ARTICVLVS III.

Vtrùm pax sit effectus charitatis?

CONCLVSIO D. Tho. est: quod pax sit effectus charitatis. Declaratur, quia charitas facit, vt appetitus nostri inferior, scil. & superior consentiant, quando vtrūq; submittit Deo: & etiam, vt consentiant cum voluntate proximi, amando illum & optando illi bonum sicut quis sibi. Hinc potest intelligi, quomodo dictum sit à Propheta Isaia cap. 48. *Non est pax impijs, dicit Dominus*, quia scilicet pax est quædam consensio hominis, tum secum, tum cum alijs, conquiescentis in vero bono. Si autem consensio & quies animi fundentur in bono apparente, erit quoque pax tantùm apparens. Ad quod accedit, nunquam in bonis apparentibus duntaxat firmam haberi, & stabilem animi quietem: & proinde nec pacem. 3

ARTICVLVS IV.

Vtrùm pax sit virtus?

CONCLVSIO D. Thomę: Non datur alia virtus, cuius pax sit actus proprius, nisi charitas. Pro cuius rei declaratione ad memoriam reuocandū est, quod suprà in Tract. de spe annotauimus, scilicet contingere, quod ex vno habitu diuersi actus secundū eandem rationem, per quandam subordinationem, procedant, quorum vnus sequatur ex altero: sicut ex amore sequuntur desiderium, & gaudium. Quare virtus quæ inclinat in amorem obiecti, causat etiam desiderium si absit, & gaudium si præsens sit & possideatur. Et ita charitas dum inclinat vt Deum diligamus, consequenter facit, vt illi tanquam dilecto nostro omnia bona desideremus, & de eius beatitudine ac bonis omnibus, quæ possidet, gaudeamus: vt etiam docet D. Tho. quæst. præc. art. 4. sic ostendens, quomodo gaudium spirituale non sit aliqua virtus specialis, & distincta à charitate. Deinde notandū cum D. Tho. 4

ibidem, quod virtus soleat nomen habere ex ordine ad primum actum. Vnde quia dilectio inter omnes actus charitatis est primus, ideo ab illâ nomen suum habet.

5 Nunc explicatur Concl. quia pax causatur, quatenus charitas operatur in nobis dilectionem Dei & proximi; ita vt omnia nostra velimus esse submissa Deo, eiusque voluntati, & proximo velimus bonum sicut nobis ipsis. Inde enim fit, quod omnia nostra, & quæ corporis, & quæ animæ sunt, referantur in Deum, & omnes vires quadam totius hominis consensione, illi subdantur: deinde etiam, vt cum proximo consentiamus, dum illi bona volumus sicut nobisipsis; quæque ipse secundum rectum ordinem velle potest: ex quibus consequimur magnam omnis appetitus tranquillitatem & quietem.

QVÆSTIO XXX.

De Misericordia.

In quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm malum sit propriè motiuum ad misericordiam?

1 RESPONDETVR: Malum inuoluntarium alterius est proprium motiuum misericordiæ. Probatur, quia misericordia, vt eam explicat Diuus August. lib. 9. de Ciuit. cap. 5. est, alienæ miseriæ in nostro corde compassio, quâ vtique, si possemus, subuenire cōpellimur. Similiter Isid. lib. differentiarū dicit, esse affectum cordis, quo compellimur, vt miseris subueniamus. Miseria ergo alterius est quæ prouocat & mouet ad misericordiam: miseria autem propriè est malum inuoluntarium: is enim miser dicitur, qui mala patitur quæ non vult: sicuti beatus, qui habet quod vult, & nihil mali vult.

2 Notat autem D. Tho. triplex posse distingui malum inuoluntarium. Vnum est, quod contrariatur voluntati seu appetitui naturali, quo res quælibet appetit suum esse & conseruari: quomodo morbus & quælibet corruptiua sunt mala inuoluntaria. Alterum est, quod obuenit contra electionem particularem per infortunium: vt si quis lucri honesti causa vadat ad nundinas, & in via perdat merces suas. Tertium est, quod obuenit homini contra constantem & continuam eius voluntatē & actionem, quique studuit causas & occasiones eiusmodi mali euitare, ita vt dignus habeatur cui tale quid non contingat: omnia autem hæc prouocant ad misericordiam, & secundum magis, quàm primum, & tertium magis, quàm secundū; vt ostendit D. Tho. ex doctrina Philosophi.

Sed contra dicta obijcitur primò, inde sequi quod inprimis peccatum proximi non erit obiectum misericordiæ, quia est malum voluntarium, istud tamen non videtur dicendum: nam peccatores sunt maximè miseri; & eorum dicitur Deus misereri: Deinde quod passiones Christi Domini & Martyrum non moueant ad misericordiam: rursum quòd neque proiectio mercium in mare propter tempestatem, quia malum quoque voluntarium est; ergò &c. 3

Respondetur, actum peccati quatenus voluntarius est, verè non esse obiectum misericordiæ secundum se, sed potius iustæ indignationis; quatenus tamen habet mala inuoluntaria annexa ex quibus causatur, vel quæ ab illo causantur, sic potest mouere ad misericordiā: vt ratione ignorantiæ, quâ non cognoscunt, aut non apprehendunt malitiam peccati: rursum, quia reddit hominem damnationi obnoxium, quod etiam est contra eius voluntatem: Præterea, quia saltem malum est quod contrariatur naturali inclinationi voluntatis rationalis, quamuis per electionem sit voluntarium. Similiter passiones Christi & Martyrum, etsi simpliciter voluntariè fuerint susceptæ, tamen quia aduersantur appetitui naturali, & quia nisi aliqua necessitas, vt præcepti, vel aliqua iusta ratio ad eas voluntariè subeundas vrgeret, non susciperentur, hinc censentur malū quoddam suo modo inuoluntarium saltem secundum quid, quia nisi vrgens causa subesset, nollent eas subire. Sic quoque proiecto mercium in mare propter tempestatem censetur inuoluntaria, quia metus mali maioris, quod aliter euadi non potest, eam causat: quare qui sic eā abijcit, dicitur meritò inuitus pati eiusmodi iacturam.

Obiici-

4 Obijcitur Secundò: Compassio importat quandam animi passionem & dolorem de malo alterius; atqui ista non habent locum in Deo, in quo tamen reperitur misericordia, non tantùm secundum effectū sicut ira aut furor; sed etiam formaliter & secundum affectum; ergo non videtur rectè per compassionem definiri.

Respondetur; D. Augustinum quando sic misericordiam definiuit, respexisse ad nominis originem: dicitur enim misericordia ex eo, quod aliquis habeat miserum cor super miseria alterius, vt notat hic D. Tho. & quia in hominibus id communiter contingit, hinc de misericordia ferè talis formatur notio, cui D. August. nomen generis accommodauit. Possumus tamen per compassionem accipere affectum siue voluntatem, quâ secundum rationem mouemur ad subleuandam miseriam proximi, siue hic affectus habeat aliquam adiunctā passionem tristitiæ seu doloris super illa miseria, siue non: & sic nomen illud accipiendo, conueniet definitio misericordiæ secundum notionem rei, prout etiam in Deo & in beatis existit. Ex quibus hoc quoque liquet, compassionem propriè acceptam, vt inuoluit dolorem animi, non esse primum & principalem actum misericordiæ, sed eum simpliciter esse velle subuenire miseriæ alterius. Vnde Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum explicans illam beatitudinem, *Beati misericordes*, reprehendit Philosophos qui dicerent, misericordiam esse molestiam propter alienas calamitates susceptam, & docet, esse diuinum quid, scilicet voluntatem leuandæ alterius miseriæ, quam voluntatem dicit consequi talem honorem in ijs quibus facultas non suppetit exequendi, ac in ijs quibus suppetit.

5 Obijcitur Tertiò: Eccles. 30. dicitur: *Miserere animæ tuæ placens Deo*; ergo motiuum misericordiæ, non tantùm est malum alterius, sed etiam proprium.

Respondetur cum D. Tho. ad secundū: misericordiam esse propriè ad alterum, sicut & iustitia ad alterum est: illud autem Sapientis dictum esse accipiendum secundum quandam similitudinem, quatenus anima consideratur etiam aliquid quasi à supposito diuersum, & de cuius malis tollendis debeat esse sollicitum nostrum suppositum, atque ita animæ subuenire, & à malis & peccatis expedire.

ARTICVLVS II.

Vtrùm defectus ex parte miserentis sit ratio miserendi?

CONCLVSIO D. Tho. est affirmatiua. Vbi obseruandum primò, imbecillitatem animi, aliosq; defectus esse causas dispositiuas ad miserendum: qui enim varijs defectibus aut miserijs subiecti sunt, dum vident alios malis affligi, citò concipiunt ea tanquam ad se quodammodo pertinentia, & quasi in seipsis persentiscunt: Vnde facilè ad compassionem, & curam ea leuandi mouentur: robustiores autem & altioris animi non ita per se commouentur, quia non concipiunt aliorum miserias & mala vt ad se pertinentia. 6

Notandum Secundò: Etsi defectus ex parte miserentis sit causa dispositiua, non tamen esse causam principalem aut necessariam miserendi: sed potius amorem, qui potissimum facit, vt malum eius, qui in miserijs est, censeatur ad nos pertinere. Vnde etsi in Deo ac beatis nullus sit defectus & miseriæ locus, tamen amor abundantissimè illos disponit ad miserendum, & facit, vt defectus aliorum quodammodo eorum sit, & ad eos pertineat: atque eatenus propriè habet locum, quod defectus ex parte miserentis in illis quoque sit ratio miserendi, Christus autem quando in nostra carne nostras miserias & defectus assumpsit, etiam modo proprio habuit ex parte sua defectum eiusmodi, qui ad miserendum commouet: nam sicut ex his quæ passus est didicit obedientiam iuxta Apostolum, ita etiam misericordiam, iuxta D. Bern. in Tract. de humilitate cap. 2. 7

ARTICVLVS III.

Vtrùm misericordia sit virtus?

CONCLVSIO Prima: Misericordia, vt dicit affectionem appetitus rationalis, quæ sit veluti quædam displicentia miseriæ alterius cum voluntate subleuandi, & regulatur secundum rationem, & quidem in nobis dirigit motum appetitus sensitiui (sicùt de misericordia hîc agimus) sic ea est virtus. Est D. Tho. & docet August. lib. 9. de Ciuit. cap. 5. adducens ad id illa verba Ciceronis de laudibus Cæsaris, vbi sic loquitur, Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior miseri- 8

misericordia est, & constat ex Scripturis, quæ mirificè actus misericordiæ extollunt: vt in Psalmis, *Beatus vir qui miseretur & commodat: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem:* & similia frequenter in illis occurrunt: Matth. 5. *Beati misericordes quoniam misericordiam consequentur.* Iac. 2. *Iudicium sine misericordia illi qui non facit, misericordiam;* ergò &c.

9 Conclvsio Secunda: Probabiliter dici potest, quod misericordia sit virtus specialis, & distincta à charitate. Ita D. Tho. hîc, vt clarè patet in resp. ad 3. & 4. D. August. quoque loco cit. videtur omnino loqui de illa tanquam virtute speciali & morali. Et probari potest ex Apostolo ad Coloss. 3. vbi de misericordia & charitate agit tanquã de virtutibus distinctis: cum enim dixisset, Induite vos viscera misericordiæ, benignitatem, &c. subiungit: *Super omnia autem hæc, charitatem habete.*

10 Probatur Secundò ratione, quia visâ miseriâ proximi, potest in nobis exurgere motus appetitus anticipans iudicium rationis, quo nimiùm moueamur malis proximi, & nimis compatiamur: & huiusmodi animi passionem appellans misericordiã, non satis propriè dixit Salustius: Omnes homines qui de rebus dubijs consultant, ab irâ & misericordiâ vacuos esse decet: vel aliàs potest exurgere motus quo nimis retardemur ad compatiendum, & subleuandum malum proximi, iudicantes eum dignè pati miserias; ergò vt huiusmodi animi motus reducantur ad medium rationis, requiritur aliquis habitus electiuus in mediocritate consistens, qui iuxta rationis regulam moderetur istas animi passiones. Hinc quæst. seq. art. 1. ad 3. docet D. Tho. quod sicuti benefacere, aut bona dare sub ratione debiti spectat ad virtutem specialem, scilicet iustitiam, ita benefacere proximo sub ratione subleuandi miseriam aut defectum eius, pertineat quoquè ad specialem virtutem, scilicet misericordiam: eò quod amicitia siue charitas in beneficio collato respiciat duntaxat communem rationem boni.

11 Sed contra obijcitur: Actus misericordiæ, vt eleemosyna est actus charitatis, vt colligi potest ex cap. 3. 1. Ioannis: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in illo?* ergo misericordia non debet poni specialis & distincta virtus.

Respondetur Neg. Conseq. quia eleemosyna idcirco dicitur actus charitatis, quia charitas mediante virtute misericordiæ eleemosynam facit: vt docet D. Tho. infrà quæst. 32. art. 1. quia virtus misericordiæ etiam ipsa suo modo causatur à charitate. Vnde D. Tho. hic de illa agit reponendo eam inter effectus charitatis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm misericordia sit maxima virtutum?

Notat D. Tho. dupliciter virtutem aliquam posse dici maximam: vno modo secundum se: alio modo per comparationem ad habentem. 12

Respondet itaque primò, quod misericordia sit maxima virtutum secundum se: quod Caiet. & Bannes explicant hoc ferè modo: quia scilicet misericordia secundum se, & vt est in perfectissimo gradu, habet quod tollere & subleuare possit omnem defectum & miseriam, quodque illa proinde nulli defectui subiaceat.

Respondet Secundò, quod misericordia per comparationem ad habentem, non sit maxima virtutum, nisi ipse habens sit maximus, qui nullum habeat superiorem. 13 Probatur autẽ quod sic non sit maxima, quia illis qui superiorem habent, maius & melius est coniungi huic, quam supplere defectũ inferioris: vnde charitas in ordine ad nos, major & præstantior est: ad cuius tamẽ acquisitionem & incrementum plurimum valet misericordia, vt meritò dixerit Ambr. lib. 1. Offic. cap. 11. Bona misericordia quæ & ipsa perfectum facit, quia imitatur perfectum patrem: nihil tam commendat Christianam animam, quam misericordia, & infrà, Si nudum vestias, teipsum induis iustitiâ.

QVÆST.

QVÆSTIO XXXI.

De Beneficentia.

DOCET D. Tho. hâc quæstione inprimis beneficentiam esse actū charitatis, quia benefacere amico secundum rationē boni, non considerando scilicet vel rationem debiti erga proximum, aut eius miseriam, sequitur ex actu dilectionis: in actu enim dilectionis includitur beneuolentia, qua quis bonum vult amico: voluntas autem est effectiua eorum quæ vult, si facultas adsit. Patet igitur benefacere esse effectum charitatis. Deinde docet omnibus benefaciendum esse; quia sicut dilectio charitatis se extendit ad omnes; ita debet se extendere beneficentia: sed tamen pro loco & tempore, quia omnes actus virtutum sunt secundum debitas circumstantias limitandi. Oportet autem & ordinem seruare inter eos quibus benefacimus, & circa quos beneficentia exercenda est, iuxta supra dicta de ordine charitatis seruando. Denique docet beneficentiam non esse virtutem specialem distinctam à charitate, quia beneficentia & beneuolentia non differunt nisi sicut actus exterior & interior, quia beneficentia est exequutio beneuolentiæ: quare sicuti beneuolentia non est alia virtus à charitate, ita neque beneficentia, nam vtraque respicit rationem communem boni.

QVÆSTIO XXXII.

De Eleemosyna.

In decem Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm dare eleemosynam sit actus charitatis?

1 NOTANDVM Eleemosynæ nomen Græcis idem esse quod Latinis; nomen misericordiæ in communi tamē vsu sic ferè distingui, quod misericordia intelligatur designare virtutem quasi in habitu, eleemosyna autem magis designare actum, nunc sit

CONCLVSIO Prima: Eleemosyna est actus laudabilis, & virtutis. Probari potest ex varijs Scripturæ locis prosequitur late Cyp. Tract. de opere & eleemosynis dicunt enim eleemosynis delicta redimi. Eccl. 3. Daniel 4. Tob.12. Luc.11. Docet idem D. August. Ench. cap. 72. & lib. contra aduersarium Legis & Prophetarum cap. 16. vbi ex Euangelio ostendit eleemosynam neglectam, esse causam æterni supplicij, & è contra pauperibus erogatam, esse vitæ æternæ meritum. Quin imo ex eleemosynis præstitis aut neglectis, quasi in illis summa iustitiæ consisteret, mundum iudicandum in generali resurrectione præmonuit Christus Matth. 25. Irenæus lib. 4. cap. 26. docet exemplo Zachæi, eleemosynâ solutionem fieri præteritæ cupiditatis.

CONCLVSIO Secunda: Dare eleemosynam est immediatè actus misericordiæ, & mediante misericordiâ est actus charitatis. Ita D. Thomas; & declaratur breuiter: quia virtus misericordiæ est quasi soboles charitatis: vnde largitio eleemosinæ, non tantum debet dici actus charitatis, quia ab eâ imperatur, sed etiam quia suo modo ab illâ elicitur, scilicet mediatè, sicuti nepos dicitur ab auo progenitus. 2

Obseruandum autem est, eleemosynam frequentius etiam imperari à virtute religionis, quatenus refertur ad placandum Deum. Vnde in Scripturis nomine hostię, aut sacrificij compellari solet. ad Heb. 13. *Talibus enim hostijs* (inquit Apostolus) *promeretur Deus*, Oseę 6. *Misericordiam volo, & & non sacrificium*: & Matth. 25. quæ præstatur pauperibus eleemosyna, dicit Christus sibi præstari. Sanè quando eleemosyna fit propter Deum, vt sanctâ societate inhæreatur Deo, spirituale quoddam est sacrificium admodum Deo acceptum: vt idcircò dixerit August. lib. 10. de Ciuit. cap. 5. In allegatis Oseæ verbis, sacrificium sacrificio anteponi. Aliquādo quoq; impera- 3

imperatur à virtute iustitiæ, quando scilicet adhibetur ad satisfaciendum Deo pro peccatis: quomodo recenseri solet inter opera satisfactoria.

4 Quæret aliquis: an eleemosyna à peccatoribus facta, eis prosit? Respondetur inprimis non prodesse eis ad iustitiam & salutem, quamdiu affectu & voluntate in peccatis mortalibus versantur: vt expro-fesso docet August. Enchir. cap. 77. Non ergo se fallant (inquit) qui per eleemosynas quaslibet largissimas fructuum suorum, vel cuiuscumque pecuniæ, impunitatem se emere existimant in facinorum suorum immanitate & flagitiorum nequitia permanendi, &c. Et constat manifestè ex Apostolo 1. ad Cor. 13. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas*, &c. *Charitatem autē non habuero, nihil mihi prodest.*

Respondetur tamen Secundò: eleemosynam à peccatoribus factam adducere posse diuersas illis vtilitates: nam primò valet ad auertendas plagas temporales: Deinde si fiat ex motione Spiritus S. valebit etiam vt disponat hominem ad iustitiam. Tertiò, etsi fiat tantùm ex motiuo naturali, tamen poterit iuuare ad iustitiam consequendam, quatenus ille cui fit, mouebitur vt ipse oret pro dante, & ei gratiam & misericordiā apud Deū impetret.

ARTICVLVS II.

Vtrùm conuenienter eleemosynarum genera distinguantur?

5 CONCLVSIO D. Thomæ est: Rectè distingui eleemosynas in corporales & spirituales: quod declarat, quia sunt diuersi proximorum defectus: quidā enim sunt ex parte animæ, ad quos subleuandos, aut tollendos ordinantur eleemosynæ spirituales: & quidam sunt ex parte corporis, ad quibus subueniendum ordinantur corporales. Solent autem communiter septem quasi species enumerari vtriusque generis: Spirituales sunt: Docere ignorantem: Consulere dubitanti: Consolari tristem: Corrigere peccantem: Remittere offendenti seu iniurianti: Supportare molestos & graues: Denique pro omnibus orare: & indicantur hoc versiculo:

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Vbi D. Tho. notat sub *Consule* comprehēdi docere, & consilium præbere. Corporales sunt hæ: Pascere esurientē, Potare sitientē, Vestire nudū, Recolligere hospitem, Visitare infirmum, Redimere captiuum, & sepelire mortuū: & indicātur isto versiculo:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Huius numeri rationem licet videre satis eleganter & clarè hic apud D. Thomam explicatam. D. August. verò Ench. cap. 72. commemorat quædam alia misericordiæ opera: sed quæ ad prædicta capita veniunt reducenda; vt sunt, fugienti latebras concedere, erranti ostendere iter, præbere cœco ducatū, mederi ægro, & quędam alia. Sed quæstio moueri solet:

Vtrùm condere siue sepelire mortuos rectè an numeretur operibus misericordię? 6

Ratio dubitādi potest esse: quod Matth. 25. cum alijs non recenseatur. Deinde non videtur ad hominis miseriam pertinere, quod careat sepulchro: dicitur enim Luc. 12. *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quod faciant*, quod igitur relinquant corpus insepultum, vel dent auibus discerpendum, vel bestijs dilaniandum, non facit ad malum vel miseriam aliquam ipsius occisi. D. Aug. quoq; lib. de Cura pro mortuis cap. 2. & lib. 1. de Ciuit. cap. 12. sic scribit. Ista omnia, curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum magis viuorū solatia sunt, quàm subsidia mortuorum: si aliquid prodest impio prætiosa sepultura, oberit pio vilis, aut nulla; non videtur ergo sepultura mortuorum inter misericordiæ opera numeranda.

Respondetur nihilominus rectè alijs annumerari, esseque verum misericordiæ opus: quod ex Scripturis satis est manifestum. Sic enim commendatur Tobiæ cap. 1. 2. & 12. vbi habetur: *Quando orabas cum lachrimis & sepeliebas mortuos*, & 2 Reg. cap. 2. dicit expressè Dauid eos fecisse misericordiam cum Saül, qui eum sepelierant: *Benedicti vos à Deo* (inquit) *qui fecistis misericordiam cū Domino vestro Saül, & sepeliuistis eum.* Alibi verò pro maledictione & punitione habet Scriptura, non inferri sepulchris patrum suorum: & pro grauiori adhuc pœna sortiri sepulturam asini, vel proijci insepultum, & sepulturā etiam peregrinā carere: vt patet ex cap. 13. lib. 3. Reg. ex cap. 22. Ierem. & ex cap. 5. lib. 2. Machabæorum. 7

Hinc igitur potest etiam ostendi ratione: quandoquidem enim idem propter delictum infligatur in punitionem carentia sepulturæ, & abiectio cadaueris, inde satis intelligitur, quod sepulturā carere pertineat ad quoddam malum & miseriam defuncti: ergo præstare sepulturam est misericordiam exhibere: quia est proximum à miseriā quādam subleuare. Multis autem modis censeri potest sepultura ad bonum defuncti pertinere: Primò quia dum certo tumulo corpus sepultum asseruatur, 8

uatur, adhuc aliquo loco inter viuos quodammodo reputatur, in quorum memoriâ scilicet occasione sepulchri, quasi viuit. Secundò, quia occasione sepulturę, pręsertim in locis sacris, particeps efficitur multorũ suffragiorum, quę pro sepultis ibidem fieri solent. Tertiò, quia honor sepulturæ redundat quodammodo in animam & in parentes ac propinquos. Vnde Iehu lib. 4. Reg. c. 9. dicebat de Iezabel: *Sepelite eam, quia filia Regis est.* Quartò, quia solet homines esse solliciti, vt etia corpora post mortẽ honestè tractetur tanquã adhuc aliquid ipsorũ, vt quæ in resurrectione sperant gloriosa resumere. Vide Ambr. l. de Tobia: c. 1.

9 Ad arg. itaq; dicendũ est, quod Christus Mat. 25. nõ meminerit huius operis, forsitã quia nõ videbatur necesse, cũ in eo nõ soleat esse tãtus defectus, pręsertim apud Iudęos, cũ quibus Christus agebat, quin soleãt esse ferè nimis excessiui in sepulchris curandis.

10 Ad alterum ex D. Luca petitum, respondetur cũ D. Aug. lib. de Cura pro mortuis c. 6. Tyrannos non habere post mortẽ quid amplius faciant, scilicet quod doloris sensum, aut molestiã adferat; quodue minuat Christianam fœlicitatẽ, vel quod impedire possit quo minus corpora sua integerrima sint resumpturi: & quia gloriosum est, pro Deo, & religione pati hoc ipsum, carere scilicet sepulturã (quod alijs est quędã miseria) hinc illud ipsũ reputatur ijs qui pro Christo moriuntur, & insepulti forsitan abijciuntur, honorificum, & quoddam ipsorum bonũ: quatenus scilicet ad cumulum meritorũ accedit, quod illud probrũ parati fuerint pro Christo subire.

11 Ad D. Aug. respondetur, quod solũ doceat magnificas sepulturas, & pompas exequiarum nõ adducere per se aliquod commodum animabus defunctorũ in vitã futurã, siue quoad præmij augmentum; siue quoad pœnarum diminutionem: nõ autem negare, quin sepultura spectet ad quoddam bonum hominum, & quasi temporale adhuc bonum defunctorum.

ARTICVLVS III.

Vtrũ eleemosynæ corporales sint potiores quàm spirituales?

12 CONCLVSIO D. Tho. est: quod spirituales eleemosynę, simpliciter loquẽdo, sint potiores corporalibus: idq; ex triplici capite: primò, quia id quod in misericordia spirituali exhibetur, tanto est nobilius eleemosynâ corporali, quam bonũ spirituale præeminet temporali: secundò ratione eius cui exhibetur, quia spiritus siue anima cui per spiritualẽ eleemosynam proximè subuenitur, est præstantior corpore. Vnde sicut homo debet sibi magis prouidere quoad animam, quàm quoad corpus, ita etia proximo cęteris paribus: quia debet illũ sicut seipsum diligere: tertiò ex parte ipsorum actuum, quibus proximo subuenitur: quia spirituales actus sunt nobiliores corporalibus, quos dicit D. Thomas esse quodammodo seruiles.

13 Et probatur ex D. Aug. ep. 199. vbi scribit: Si habet magnum locum ibi panis fractus esurienti, quantum locum ibi concedenda est habere misericordia, quâ homo eripitur diabolo tãquam leoni rugienti, & quem deuoret inquirenti. Similiter ex D. Greg. probari potest lib. 22. Moraliũ c. 12. vbi sic scribit: Qui omnino dimittit, & non dat, etsi non bene operatus est, meliorẽ tamen misericordiæ partem tenuit. Neq; obstat, quod subinde in particulari casu proximus sit potius iuuandus secundũ corpus, quàm secundum animam: id enim non arguit eleemosynam corporalem esse potiorem, aut præstantiorem: sed tantum hic & hunc magis vrgere illius necessitatem.

ARTICVLVS IV.

Vtrũ eleemosynæ corporales habeant effectum spiritualem?

CONCLVSIO Prima: Eleemosyna corporalis considerata secundum suã substantiã (vt loquitur D. Tho.) siue secundum suum esse physicum, non habet nisi corporalem effectum. Patet, quia sic tantùm supplet corporales defectus proximi. 14

CONCLVSIO Secunda: Alio tamen modo considerata habet effectũ, siue fructum spiritualẽ dupliciter. Est D. Tho. & declaratur: nam inprimis talẽ habet ratione causæ: quia quatenus ex charitate & virtute misericordiæ procedit, & exercetur propter Deum, est meritoria vitæ æternæ. Quod colligi potest ex illo Eccl. 29. *Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum*, &c. *pone thesaurum tuũ in præceptis Altissimi, & proderit tibi magis, quàm aurum*: & ex illo Tobiæ c. 4. *Præmium enim bonũ tibi thesaurizas in die necessitatis*: quando scilicet vt præmittitur, pauperi elargiris eleemosynam. Deinde est etiam satisfactoria pro pœnis post peccata remissa restantibus: quo sensu accipi potest illud consilium Danielis Regi Nabucodonosor datum: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum*, vt intelligatur scilicet monere Regẽ quatenus præmissã pœnitentiã, quæ præsupponi debet, redimat pœnas sibi à Domino propter ipsius peccata comminatas, idque inprimis elargitione eleemosynarũ in 15

pauperes, & alijs misericordiæ operibus.

16 Præterea habet eleemosyna effectũ spiritualẽ, quando ex motione Spiritus Sancti quamuis nondum inhabitantis, sed tamen excitantis, propter Deũ fit, quod hominẽ pręparet & disponat ad iustitiã, sicuti supra diximus: & verisimiliter etiã seruiat ad diminutionẽ, pœnę quę post peccatorum remissionem alioquin maior restaret.

17 Alio modo habet quoque effectum spiritualem (inquit D.Tho.) in quantum proximus cui per corporalem eleemosynam subuenitur, mouetur ad orandum pro benefactore. Vnde apud Ecclesiast. loco cit. subditur: *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo*: tũ scilicet quia ipsa propter Deũ facta instar orationis fortissimę prouocat, & inuitat Deũ, vt tui quoque misereatur, & à malis te liberet; tum quod etiã ipsi pauperes precibus suis solent apud Deum pro suis benefactoribus intercedere, & sępius efficaciter exorare: non autem quod liberet aut peccata remittat absq; pœnitentiã, prout quidã aliquando sibi persuaserunt: contra quos agit D. Aug. Ench. c. 75. & aliquot seqq. estq; manifestè contra Apostolum 1. ad Cor. 13. vt diximus: *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas*, &c. *Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

18 Sed obijciũt illud Christi 11. Luc. *Verũtamẽ quod superest, date eleemosynã: & ecce omnia munda sunt vobis*: ergo apparet quòd sola eleemosyna sufficiat sine pęnitẽtia ad remissionem, quãtũuis etiã alijs peccatis indulgeatur. Resp. N. C. Sanè (inquit D. Aug. loco cit.) qui sceleratissimè viuunt, nec curant talem vitam, moresq; corrigere, & inter ipsa facinora & flagitia sua, eleemosynas frequentare non cessant, frustrà sibi ideo blandiuntur, quoniam Dominus ait: Date eleemosynã &c. Rationem itaq; negatæ conseq. reddit D. Aug. c. 26. Ench. eò quòd per eleemosynã veniat intelligẽdum quodcumq; misericordiæ opus ordinatè factum: vt autem ordinatè quis misericordiã exerceat, debet à seipso incipere, & sibi misericordiã impẽdere: Quare peccatores ante omnia debent animæ suæ misereri, quod faciunt dum per pœnitentiam ex fide conceptam, & per dilectionẽ student animam à peccatis mundare, & bonis operibus Deo inhærere. Qui sic ergo dant ordinatè eleemosynã, de illis dici potest: *Et ecce omnia munda sunt vobis*: non autem iuxta sensum obiectionis.

19 Alio autẽ modo dici potest: Hoc quod Dominus ait: *Et ecce omnia munda sunt vobis*, esse dictum cum respectu ad illa quæ pręcesserunt: *Quod autem intus est vestrũm, plenum est rapinã* &c. vt significetur scilicet, quod si incipiat dare eleemosynas, & affectus auaritiæ sic vincere, quod eo modo maculas quas per rapinã & iniustitias suas cõtraxerunt, eluent & ab eis mundabuntur: quem sensum indicat D. Basil. in Regulis breuioribus: respons. 27. sic vt illa Christi verba contineant quasi eãdem monitionem cum illâ quam facit Apostolus ad Ephes. c. 4. *Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti*: quia scilicet hic modus est, & via quibus citius ad iustitiam peruenitur, & à peccatorum sordibus purgamur, quando mutato per pœnitentiã affectu deserimus opera iniustitiæ, & incumbimus contrarijs operibus iustitiæ. Alias expositiones istius loci videre licet apud Tolet. & alios commentatores in cap. 11. Lucæ.

ARTICVLVS V.

Vtrùm dare eleemosynam sit in præcepto?

CONCLVSIO D. Tho. est affirmatiua. Et probatur, quia illud est in pręcepto absq; cuius obseruatione non potest conseruari charitas Dei & proximi: atqui absque pręstatione eleemosynę aliquando non potest seruari charitas: iuxta illud Ioannis 1. c. 3. *Qui habuerit substantiã huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Rursum, nullus damnatur propter omissionem alicuius quod nõ fuit ei in præcepto: sed plurimi damnabuntur propter omissa opera misericordiæ: vt patet ex c. 25. Matth. & c. 2. Iacobi: ergo &c. 20

Idẽ confirmari potest ex alijs Scripturis vt Eccl. 29. *Propter mandatum assume pauperẽ: & propter inopiam eius ne dimittas eum vacuum. Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuũ*, &c. & Prou. 21. *Qui obturat aurẽ suam ad clamorẽ pauperũ, ipse & clamabit & non exaudietur*: quandoquidem ergo propter mandatum oporteat assumere pauperem, & quidẽ sub comminatione quod non exaudietur, scilicet à Domino, si obturauerit aurẽ quis ad clamorem pauperum, cõstat satis eleemosynam tempore & loco esse in præcepto.

Quæret aliquis: ad quodnam ex decem Decalogi mandatis spectet præceptum eleemosynæ? 21

Omissis diuersis sententijs Respondetur conuenientissimè dici, pręceptum de danda eleemosyna generalius esse, quã vt vno aliquo ex istis totaliter contineatur: sed contineri totâ secundâ tabulâ, potissimum tamen quarto mandato, quod in eã primũ & solum affirmatiuũ est. Declaratur, quia per

per violationem præcepti de eleemosynâ contingit singula ista suo modo violari. Quartum enim violatur quando nō communicamus patienti egestatē ea quæ à Domino nobis concessa sunt: iste enim honor tunc proximo cōmuniter cum parentibus debitus est. Neq; enim honor qui parentibus debetur in sola reuerentia consistit, sed vel maximè in subuentione eorum, quando indigent. Quintum suo modo violamus, si fame morientem non pascimus: iuxta illud D. Amb. Pasce fame morientem, si nō paueris, occidisti. Contra 6. & 9. peccat qui pauperem sinit opprimi quoad violationē thori ipsius, quando posset impedire. Cōtra 7. & 10. qui permittit eum opprimi in rerū suarum iniquā ablatione: & contra 8. qui sinit opprimi falso testimonio. Discurrit itaq; eleemosyna per omnia præcepta secundæ tabulæ, sicut & dilectio ipsa proximi. Qui tamen cōtra ista præcepta delinquit solùm quatenus non subuenit proximo, prout ex charitate tenetur, non idcirco redditur obnoxius restitutioni: prout alibi latiùs explicabitur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm quis debeat dare eleemosynam de necessario?

22 PRo pleniori intelligentia eorū quæ ad hanc materiam pertinent, Notandum primò: ad obligationem præcepti de eleemosynâ dandâ duo debere cōcurrere, scilicet quod proximus indigeat, & quod quis habeat vnde tribuat necessitatem patienti.

23 Notandum Secundò vtrumq; posse secundùm diuersos gradus obuenire: dicitur enim proximus indigere, vel quia est in extrema necessitate, vel quia in graui, vel deniq; quia in necessitate est communi. Similiter quis dicitur non habere vnde tribuat pauperi, vel quia non habet omninò, vel quia quod habet est ipsimet vel suis quibus prouidere tenetur, necessarium ad vitā, aut si non omnino ad vitam, saltem est necessariū ad congruam status intertentionem.

24 Notandum Tertiò: tunc iuxta DD. proximū versari in necessitate extremâ in ordine ad aliquem, quādo eò deuenit angustiarū, vt nisi tu eum iuues, immineat periculū moraliter certū, quod præ indigentiâ morietur: neq; requiritur quod sit in agone aut articulo mortis, sed satis est, quod adsint euidētia signa mortis sequuturæ ex paupertate & miserijs, si tu nō subueneris: quando enim subuenientia differtur vsq; ad mortis articulū, tūc redditur pęnè impossibilis restauratio. Eiusmodi tamen euidēs signū nō mox censebitur, & si quis dicat se esse in tātis angustijs, quia testimoniū fert in propriâ causâ: idq; præsertim si mēdicare ordinariè soleat, quia eiusmodi hominū fides solet magis esse suspecta. Similiter neq; sufficiens erit, si habeat aliquod testimoniū parochi aut confessarij in terminis communibus, quia forte nō de visu, sed ex ipsius relatu testantur: secus autē si pastor, vel alius fide dignus testaretur se domum visitasse, aut aliàs probè habere perspectam extremam talis personæ, aut illius familiæ necessitatem, nec adesse qui possint, aut de quibus liceat sperare, quòd eā subleuabunt. Neq; etiā expedit nimis exactū aut curiosum velle esse indagatorē in hac parte, quia nō perdit quis de suo merito & mercede, quamuis contingeret aliquem errorem subesse, & ex alterâ parte possit fieri, quod proximus interea inediâ tabesceret non absque nostro reatu.

In graui necessitate versantur qui cōiecturâ non improbabili, licet nō certitudine morali, videntur in periculo vitæ esse, aut qui euidenter sunt in certo periculo incidēdi in aliud notabile incommodū minus morte. Prior est propriè necessitas grauis: posterior autem potest dici extrema secūdum quid, quæ in hac materia ęquiparatur graui. Communis deniq; necessitas est, quā passim & cōmuniter patiuntur pauperes. 25

Notandū Quartò: bona ex quibus possumus pauperibus subuenire, esse vel talia vt sint necessaria vitæ nostræ, vel vt sint necessaria personę, siue ad status intertentionem, vel sint superflua vltra vtrumque. Necessaria vitæ censentur bona illa, sine quibus quis, aut familia eius deueniret in extremā aut quasi extremam necessitatē. Necessaria autē personæ sunt, sine quibus statui suo congruenter quis viuere non posset, quorum æstimatio non consistit in indiuisibili, sed habet terminos satis latos: vt notat & explicat hic D. Thomas. 26

Neque in hac ęstimatione faciendâ tantùm est habenda ratio præsentis temporis, sed etiam onerū quę quasi moraliter certò instant pro futuro: vt si habet proles paruulas, non tantū censetur ei necessariū ad statū id quod requiritur ad eas nunc alendas, sed etiam quod requiretur ad illas postmodum maiores intertenendas & elocandas. Similiter censebitur necessarium, quod reseruatur pro morbo vel senectute ingruente, si ordinarij prouentus non sufficerent ad onera illa pro ratione status sui ferenda. Imò non tantum potest attendi status præsens in quo quis versatur, sed etiam is ad quem licitè aspirat: vt post Petrum Nauar. tradunt etiā multi recentiores: quod tamen videtur limitandum ad casum, quo esset probabilis aliqua, 27

 & non

& non nimis remota spes, alioquin nunquam videtur quis habere superflua personæ siue ad status intertentionem: quare in hoc, sicut & in alijs præmissis dijudicandis, opus erit bonâ & sincerâ mente, ne ambitio vel auaritia iudicium peruertat, & locum habeat illud Psaltis, *Et mentita est iniquitas sibi.* Deinde cõsultissimum & pænè necessarium est, vt & aliorum prudentum censuram super talibus exquirant.

Ex his verò potest intelligi quænã sint superflua, scilicet quæ ad vitam, nec ad statum, modis iam explicatis, necessaria sunt. His præmissis sit

28 CONCLVSIO Prima: Non tenetur, imo nec potest quis dare eleemosynam de eo, quod sibi & suis quos alere debet, est necessarium ad vitæ sustentationem. Est D. Thomæ.

Probatur Primò: quia secundum rectum diligendi ordinem, debet quique magis se & suos domesticos diligere, cæteris paribus, quàm extraneos; ergo non potest se, & suos filios aut parentes, vel alios ad se pertinentes priuare necessarijs quoad vitã, vt subueniat alteri extraneo, quantumuis hic etiam sit in extrema necessitate.

29 Dico, cæteris paribus, quia si extraneus esset aliqua magna persona per quã Ecclesia vel Resp. sustentatur, vt habet hic D. Tho. tum pro illius conseruatione aliquis laudabiliter posset se & suos mortis periculo exponere, sibi nimirũ necessaria subtrahendo, & illi personæ subministrando: non tamen tenebitur quis sub mortali id præstare cum certissimo periculo vitę suę: imò etiã posset in tali necessitate præferre parentes, vxorẽ, & liberos eiusmodi personæ publicæ: vt sensit Dom. Soto lib. 4. de Iust. & Iure qu. 7. art. 1. & plures alij cum ipso: non sic tamen fratres aut sorores.

30 CONCLVSIO Secunda: Non tantùm de superfluis ad statum, sed etiã de superfluis ad vitam, licet ad statũ essent necessaria, oportet sub mortali dare eleemosynam & subuenire illi, qui est in necessitate extrem. Ita post Nauar. tradit Malderus circa hunc articulum.

Probatur Primò: quia quãdo proximus est in ea necessitate, vt sine nostra subuentione non valeat sustentare vitam, tunc locum habet illud Amb Pasce fame morientem, si non paueris, occidisti: vt docet D. Tho. art. præc. in Corpore; ergo quando non sumus in necessitate tali, tenemur sub mortali succurrere, ne dicamur occidisse. Et confirmatur ex c. 3. Luc. Vbi Ioannes dicit, *Qui habet duas tunicas, det non habenti;* ergo oportet proximo extremè indigenti succurrere, etiam de ijs quæ sunt ad statũ necessaria, prout censeri debet secunda tunica, modò reseruemus necessaria ad vitã. Quod enim id proponatur vt præceptum, colligi potest ex antecedentibus: præcedit enim, *Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Vnde quærentibus, quid ergo faciemus? respondit ea quæ allegauimus.

Probatur Secundò ratione quam habet D. Tho. in 4. dist. 15 qu. 2. a. 1. quia debemus proximum sicut nosipsos diligere: natura autem nostra circa nosipsos non concedit conuerti in augmentum quod necessarium est ad nutrimentũ; ergo illud sine quo non potest viuere proximus, est substrahendum statui, qui non facit tã ad subsistentiam nostram, quàm ad augmentũ & ampliationem quandam. Quare tenebitur diues, etiã vestes prætiosiores, aut vasa argentea diuendere, quãuis statui eius conueniãt, vt pauperi extremè indigenti succurrat, & prouideat de cibis contra famem, aut de veste contra frigora & nuditatem, ex quibus ei moraliter certò mors immineat, si alia media subueniendi non sint ad manum, nec ab alijs probabiliter putetur ei subueniendum. 31

Sed circa hæc rectè notat Malderus: quod attinet ad pauperes qui in locis publicis ad mendicandũ sunt expositi, & exhibere videntur signa quædã extremæ necessitatis, rariùs contingere quod ex præcepto quis teneatur illis subuenire ex necessarijs ad statum, tũ quod eiusmodi necessitates soleãt maiores, quam à parte rei sint, ostententari, & aliquando etiam simulari, tum quod ab alijs commodiùs & faciliùs iuuandi præsumi possint. 32

Sed cõtra concl. obijciet aliquis: D. Th. hic in fine Corp. quando posuit casum extremæ necessitatis cũ alijs duobus, & tunc subiungit: In his enim casibus laudabiliter prætermitteret aliquis id, quod ad decentiã status sui pertinere videretur, vt maiori necessitati subueniret; ergo videtur tantũ esse consilij non præcepti, de necessarijs ad statũ subuenire etiã extremè indigenti. 33

Respondetur N. C., nam satis clarè docuit loco sup. cit. præceptum legis de eleemosyna etiam obligare, vt de necessarijs secundum quid, siue de necessarijs ad statum subueniamus proximi necessitati absolutę: neque hîc id negat verbis citatis: nam etiã laudabiliter fit illud, quo quis satisfacit præceptò. Occasio autem quare D. Tho. ista loquendi forma vtatur, fuit, quia antea dixerat inordinatum fore, si quis tam multa de necessarijs ad statum largiretur alijs, vt de residuo non posset vitam transigere conuenienter secundum proprium statum & negotia occurrentia: ab hac itaque inordinatione, inter alia, excipit elargitionem

gitionẽ quæ fit cum detrimento sui status occurrente extremâ necessitate alicuius priuatę personæ, vel aliqua magna necessitate Reip. & è contra dicit, quod quis tum non inordinatè, sed laudabiliter prætermittat id quod ad decentiam sui status pertinere videtur; non ergo sic loquitur, quia velit negare esse in præcepto, sed vt ostẽdat nõ includere inordinationẽ, & faciat sic oppositã anthitesim inter illa duo.

34 CONCLVSIO Tertia: De ijs quę sunt superflua, ita vt nequidem ad statum censeantur necessaria, oportet ex præcepto, & quidem sub mortali, facere eleemosynã, non tantùm in extrema, sed etiam in graui necessitate proximi. Est penè communis D D. Caiet. hoc loco, & Opusc. de Eleemos. cap. vbi etiam citat multa loca D. Tho. ex quibus docet hanc eius esse sententiam. Adriani in 4. tract. de Restit. non longe à fine. Syl. verbo Eleemos. quæst. 5. Bannes hîc dubit. 2. vbi citat pro eadem opinione Franc. à Victoria. Dom. Soto, Canum & alios. Idẽ docet Petrus Nauarra lib. 3. de Restitut. cap. 1. nu. 369 & seqq.

35 Probatur autem Primò: quia Matth. cap. 25. significatur plurimos damnandos ob neglecta opera corporalia misericordiæ; atqui non est verisimile omnem illum neglectũ accidisse tantùm in casu necessitatis extremæ, quia hic casus forsitã rariùs occurrit respectu huius vel illius in particulari; ergò dicendum, quod præceptũ eleemosynæ etiam extra illum casum obliget: atqui non apparet, quando probabilius id locum habere dici possit, quàm dum proximus est in graui necessitate, & tu superflua habes ad statum; ergò &c.

36 Probatur Secundò: quia certum est obligationẽ præcepti de eleemosyna oriri ex necessitate proximi & alterius facultatibus: grauis autem hic supponitur necessitas, & facultates tuæ sunt illis proportinatæ, quia habes quibus nec ad vitam, nec ad statum indiges: si enim superfluum ad vitam sit medium proportionatum & debitum subleuandæ necessitati extremæ proximi, superfluum intertentioni status erit proportinatum necessitati graui; ergò nõ apparet, quã ratione, supposito præcepto eleemosynæ in tot Scripturis fundato ac commendato, non sequatur hic ex natura rei grauis obligatio sub mortali.

37 Probatur Tertiò: quia nisi ad statum superflua essent in graui necessitate proximi eroganda, necessariò sequeretur homines diuites non magis obligari ad eleemosynas, quã homines mediocres ac tenues, quia solum tenerẽtur dare in extrema necessitate proximi, quãdo etiam mediocres obligantur; atqui hoc non est consentaneũ Scripturis & PP. qui agnoscunt & inculcant specialem obligationem in diuitibus ad eroganda superflua, vt ex modo dicendis constabit.

Quartò, quia contrà charitatẽ est, quòd non subleuem proximum, non tantùm ab extrema necessitate, sed etiam quod non à graui, quando saltem cũ leui detrimento, & quasi nullo id possum. Quæ autẽ leuior est iactura, quam eius rei quæ neque ad tuendam naturam, neque ad tuendum statum est necessaria? ergo debeo eiusmodi bona exponere, vt subleuem proximum à necessitate graui in qua versatur. Quinimò potest contingere, quod necessitas proximi sit tam grauis, licet nondum extrema, vt teneatur quis ei subuenire etiã sub mortali de ijs quæ sunt aliquo modo necessaria ad statum, sed tamen absq; notabili diminutione potest illis carere, aut aliunde breui ea resarcire: vt sentiunt Franc. à Victoria, Dom. Sotó, & Canus, quos hic citat & sequitur Bannes. Quocirca diligẽter erit semper obseruanda proportio suorum mediorum, & quatenus tibi necessaria sunt cum magnitudine necessitatis proximi. 38

CONCLVSIO Quarta: Tenentur diuites de absolutè superfluis dare eleemosynas, etsi non occurrant necessitates graues proximi, sed communes tantùm, quales sunt passim pauperum. Est Adriani loco sup. cit. similiter Caiet. & in Summa verbo, Eleemosyna: Bannes hîc, & plurium aliorum. Probatur ex illo Matth. 16. *Nemo potest duobus Dominis seruire*, adiũcto commentario D. Hier. & Chrys. qui interpretantur, *Seruire Mammonæ*, esse opes superfluas seruare: qui enim eas in pauperes erogant, non seruiunt, sed imperant Mammonæ: illi autem qui eas apud se detinent amore earũ inescati, & quodammodo ab illis possessi, ita vt oblatâ occasione honestâ, eas à se diuellere nequeant, seruire illis merito æstimãtur; qui ergo nõ volunt Mammonæ seruire, debent de opibus superfluis proximo subuenire in necessitatibus etiam communibus si aliæ grauiores non occurrant. 39

Probatur Secundò ex SS. PP. qui generaliter valde exaggerant vitiũ auaritiæ, & tenacitatis eorum qui superflua habent, & indigentibus non subueniunt: D. Chrys. hom. 34 ad populũ: *Tuarũ esto homo distributor pecuniarũ; non ad hoc accepisti vt in delitias absumeres, sed vt in eleemosynas erogares: res pauperũ tibi sunt creditę, siue ex laboribus iustis, siue ex hereditate paterna possideas.* D. Basil. hom. contra diuites auaros ad illa verba Luc. 12. *Destruã horrea mea*: An iniustus est Deus, inquit, inęqualiter nobis res distribuẽs, vt tu abũdas, 40

ille verò mendicat, nisi vt tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille verò patientiæ brauijs condecoretur. Est panis famelici quẽ tu tenes: nudi tunica, quam in conclaui conseruas: discalceati calceus, qui penes te marcescit: indigentis argentum, quòd possides inhumatum. D. August. serm. 119. de tempore docet, excepto victu & vestitu, cætera esse eroganda: quidquid enim Deus plusquam opus est dedit, non nobis specialiter, sed per nos dedit erogandum pauperibus, & in Psal. 147. dicit superflua diuitum esse necessaria pauperum, & res alienas possideri quando possidentur superflua: D. Hier. vt refertur dist. 42. Capitulo 1. dicit, quod aliena rapere conuincatur, qui vltra necessaria sibi retinere probatur. Et similia apud alios passim reperiuntur; ergò apparet quòd etiam in communibus necessitatibus obligentur diuites de suis superfluis eleemosynas facere.

41 Obseruandum tamẽ est. circa sententias SS. PP. allegatas, quod dum dicunt superflua non esse diuitum, sed pauperum, id sic accipiendum esse, non quasi bona temporalia quę homini diuinitùs cõferuntur etiam vltra omnem necessitatem, non sint eius quantum ad dominium & proprietatem: sed quia quantum ad vsum non solùm debent esse eius, verùm etiam aliorum qui indigent, & ex ijs sustentari possunt: vt explicat D. Tho. art. præc. ad 2. quia scilicet diuites ex præcepto charitatis debent ea in vsum pauperum expendere, non secus ac si pauperum essent. Similiter dicũtur diuites esse dispensatores, quia verè obligantur dispensare, licet non lege Iustitiæ, tamen lege charitatis. Dicunt etiam eos raptores aut exspoliatores, si non erogent aut dispensent quæ ipsis superflua sunt, quia videlicet detinent quod pauperibus debẽt elargiri: sicuti raptor & fur est, qui detinet quod aliorum aut alienum est. Eiusmodi ergo loquutiones sunt accipiendæ secundum quandam accommodationẽ terminorum, non secundum rigorosam eorum acceptionem & proprietatem.

42 Dicet aliquis: D. Thomas infrà quæst. 118. art. 4. ad secundùm dicit, hic subesse obligationẽ debiti legalis: sic enim intelligit illud Diui Basil. Est panis famelici quem tu tenes, &c.

Respondetur, quòd D. Thomas ibi generaliter vocat legale debitum, quidquid ex legis obligatione debet præstari, etiamsi lex illa non sit lex Iustitię, vt potest colligi ex qu. 80. artic. vnico. ita vt ad eiusmodi legale debitum constituendum sufficiat etiam obligatio legis charitatis siue misericordiæ: alioquin Quodlibeto. 6. art. 12. expressè docet diuitem non dantem eleemosynam ex patrimonio suo, non vsurpare sibi tanquam proprium quod est alienum: sed peccare abusu rei suæ non erogando quando oportet.

Probatur Tertiò Concl. ratione: Quia licet necessitates communes singulæ non sunt tantæ æstimationis aut momenti, vt hanc vel illam præterire sit peccatũ, præsertim quia quæ ab vno non subleuatur, solet subleuari ab alio, tamen multæ occurrentes in vna aliqua communitate aut Rep. efficiunt quoddam notabile grauamẽ siue miseriam grauem, quam diuites habentes superflua meritò debẽt singuli pro aliquã parte subleuare. Quare licet singulis pauperibus mendicantibus non teneantur aliquid necessariò sub peccato elargiri, tamen tempore & loco debent aliquando aliquibus dare, sic vt non sine periculo peccati mortalis possint formare propositum nunquam dandi eleemosynam, nisi in extrema aut graui necessitate. 43

Confirmatur, quia si vni habenti superflua id liceat, etiam licebit alijs: si autem omnes ita se erga pauperes communes gererent, breui futurum est quòd plurimi constituantur in extrema, aut valde graui necessitate, quod meritò debent ex charitate auertere, quando absque incommodo suo (quod verum incommodum mereatur reputari) id possunt, prout tales verè possunt.

Sed contra obijcitur primò: Apostolus 2. ad Cor. 8. dicit, se non imperare; sed magis dare consilium Corinthijs, vt abundantia eorum suppleat inopiam pauperũ; ergo non videtur esse præcepti. 44

Respõdetur, Apostolus petebat ibi eleemosynam pro fidelibus externis, quibus non tenebantur Corinthij sua superflua erogare: poterant enim erogare in suos conciues pauperiores, & ideo Apostolus dicit, se non imperare. Deinde Corinthij illi forsitan nõ habebant passim superflua, sed tantùm ea quibus poterant secundum statum viuere, quod videtur ipse vocare abundantiam respectu magnę inopię aliorum: idque potest colligi ex his eius verbis, *Non enim vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat*, quibus satis insinuat, quod Corinthijs non esset quoque nimia affluentia ac superfluitas diuitiarum.

Obijcitur Secundò: Si diuites debeant ex præcepto erogare sua superflua in pauperes, etiam extra casum extremæ & grauis necessitatis; ergo peccabunt semper mortaliter, quoties aliqua prodigè expendent in vestes, in conuiuia, & in alias voluptuarias 45

luptuarias recreationes, imò consequens videbitur, quòd si pauperes non se pro eleemosynis offerant, quod diuites debebunt quærere, vt illis sua superflua largiantur, quæ videntur esse contra communem sensum & apprehensionem.

Respondetur, Negando illam hypotheticam, siue assumptum: neq; enim dicimus quod diuites debeant statim dare omnia sua superflua pauperibus: sed quod ex illis teneantur facere eleemosynas tempore & loco, etiam in necessitatibus communibus. Quod si interea profusè & inutiliter quædam expendant, non propterea semper peccabunt mortaliter: non enim propter neglectum præceptum misericordiæ, nam illud & volūtate & opere possunt tempore & loco simul implere: neque etiā propter prodigalitatem, quia illa per se ex communi sententia non putatur esse peccatum mortale. Quod si verò ita prodigè sua expenderent, vt propter eiusmodi expensas non præstarent opus misericordiæ in extrema vel graui necessitate, aut etiam alias nunquam tribuerent pauperibus in necessitatibus communibus, facilè admisero tales à peccato mortali non esse excusandos, idque plurimis obuenire. Potest satis colligi ex verbis Christi Matt. 25. & Luc. 12.

46 Ad alterum Respondetur: quamuis id valde laudabile sit, & à viris sanctis obseruatum, quod etiam pauperes inquirerent quibus benefacerent, hoc tamen generaliter non esse in præcepto, nisi forsitan occurreret iusta occasio suspicandi esse magnam, aut grauem necessitatem in aliqua familia, quæ propter verecundiam & honestatem non auderet miserias & angustias suas explicare; alioquin poterunt sua reseruare in tempus oportunum, quando occasio occurreret pauperibus subueniendi. Episcopi verò, vt hic docet Bannes dub. vlt. circa finem, tenentur etiam inquirere pauperes in suo Episcopatu ad faciendum aut procurandum eis fieri eleemosynas, ita vt non satisfaciant, si solum occurrentibus pauperibus exhibeant misericordiam: hoc enim & reliqui de populo tenentur facere: Episcopi autē, quoniam sunt patres spirituales, obligantur spiritualem salutem suorum subditorum procurare, quæ sæpius propter egestatem impeditur: vnde debent esse solliciti, vt in sua Diocœsi pauperes & infirmi, quantum sibi possibile fuerit, charitatiuè iuuentur, & eis de necessarijs prouideatur: quod dicit, nō minus facile posse fieri & cognosci per parochos, & alios pios ministros, quàm per fiscales cognoscantur delicta, quæ mulctis sunt obnoxia, & lucrum apportant. Certè ex epistolis D. Pauli ac alijs Scripturæ locis constat, quam fuerint Apostoli solliciti de fidelibus pauperioribus, vt eorum necessitatibus subueniretur.

Sed difficultas hic mouetur:

Vtrùm extremè, vel grauiter indigenti oporteat dare absolutè illud, quo indiget; an verò sufficiat ei succurrere vendendo, aut mutuum dando, vel simili contractu oneroso. 47

Doctores circa hanc quæst. inter sese differunt, saltem in modo loquendi, dum multi videntur stare pro priori parte: vt Dom. Soto lib. 4. de Iust. & Iure, quæst 7. Bannes, & Valentia hoc loco: Petrus Nauarra lib. 3. cap. 1. num. 365. Syl. verbo, furtum. E contra alij pro parte posteriori: vt Adrianus Quodlibeto 1. art. 2. & in 4. Tract. de restitut. Nauar. cap. 24. Ench. num. 5. Couar. ad regulam peccatum parte 2. §. 1.

Pro resolutione autem & explicatione Respondeo & Dico primò: Diuites, qui habent superflua vltra victum & statum, tenentur dare gratis pauperi in extremâ vel graui necessitate constituto, qui nec alibi habet bona, nec est in proxima spe illa consequendi.

Probatur, quia tenentur ex diuino præcepto diuites de superfluis facere eleemosynas tempore & loco: vt iam antè ostensum est; ergò vel maximè in casu posito

Dices: Faciunt eleemosynam dando mutuum, aut vendendo sub credito. Respondetur, hoc quidem esse præstare aliquam gratiam, aut misericordiam; sed tamen non esse propriè facere eleemosynam, prout Scriptura commendat, aut præcipit eleemosynam, quæ non solet intelligere aliam, quàm donationem gratuitam, vt ex pluribus locis potest colligi, Ecclesiastici 12. *Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam: & si non ab ipso certè à Domino:* cap. 14. *Secundum vires tuas exporrigens da pauperi. Non defrauderis à die bono,* &c. *da, & accipe, & iustifica animam tuam:* & cap. 29. *Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum.* Psal. 111. *Dispersit, dedit pauperibus.* 2. ad Cor. 8. hortatur Apostolus, vt abundantia vnius suppleat inopiam alterius, quod non fit nisi liberali donatione: neque enim desinit esse inops qui nihil acquirit, nisi tantumdem debendo: imò dum ad tuendam vitam consumit quod mutuum datur, aut sub credito venditur, redditur quodammodo pauperior, quia nihil retinet, & alteri obæratus existit: quæ obligatio haud dubiè nouam afflictionem & tribulationē cordis addit afflicto. Quandoquidem ergo eiusmodi dantes absque suo incommodo alicuius momenti possint absolutè subleuare huiusmodi pauperis necessitatem 48

extremam aut grauem, mandat omnino charitas, vt ita faciant, & non nouo onere miſerum grauent ac premant.

49 Dico Secundò: ſi proximus tantùm ſit in neceſſitate pro hoc loco, aut pro hoc tempore, quia alibi habet bona ſufficientia, aut quia tempore aduentante exſpectat ſibi quaſi certo obuentura, non tenebitur quis etiam de ſuperfluis, dare gratis ea quibus hic & nunc indiget, ſed ſufficiet dare mutuo, aut vendere ſub credito.

Probatur: quia talis non eſt abſolutè pauper, ſed habet in re aut in ſpe propinqua vnde poſſit reſtituere: quare obligatio talis non cenſetur quoq; eius miſeriam & afflictionem augere; ergò poterunt diuites ita cum illo agere, & ſua ſuperflua in alios, qui abſolutè pauperes ſunt, gratis erogare.

50 Dico Tertiò: Similiter videtur ſufficere dare mutuũ, quando non habes quo ſuccurras proximo in extrema neceſſitate cõſtituto, niſi quod tibi ad vitam & ſtatum moderatè intertenendum eſt omnino neceſſarium, ita vt ſi gratis donares quibus indiges, incideres ipſe in grauem neceſſitatem. Neque hic refert quod forſitã proximus reſtituendo cadet in aliquam quoque grauem neceſſitatem, quia nemo tenetur ſe in eandem conijcere neceſſitatem, vt ab ea liberet proximum: ſecus eſſet ſi proximus non valeret reſtituere, niſi reincidendo in neceſſitatem extremam tum enim oporteret gratis ei dare, etiam de illis, quæ neceſſaria ſunt ad ſtatum, modò non ſint neceſſaria vitæ.

51 Altera hîc mouetur difficultas,

Vtrùm pauperi in extrema vel graui neceſſitate conſtituto liceat clam ſurripere, aut inuito domino auferre ea quibus neceſſitatem ſuam leuet.

Reſpondeo & dico primò: non licere pauperi ſurripere in quàcumque neceſſitate ſit, niſi prius petierit ſi dominus ſit præſens, & ſperetur quod rogatus donabit: ſi tamen ſurripuerit abſque petitione præuiâ, non peccabit abſumendo, ſi ſit in extrema neceſſitate, quamuis inordinatè fecerit ita ſurripiendo, dummodo ſpes fuerit aliter obtinendi. Meritò enim diſplicet domino tunc talis ſurreptio: vnde nec actus ille excuſatur à peccato furti: non tamen tenebitur ad reſtitutionem, quando in tali neceſſitate ſurripuit & conſumpſit, modò res vtrimque ſic ſint conſtitutæ, quod dominus debuiſſet ei ſubuenire per abſolutam donationem, & nõ tantùm per mutuum vel venditionem ſub credito iuxta ea quæ dub. præcedenti dicta ſunt: ſicut & in tali caſu neceſſitatis extremæ, ſi diues rogatus recuſat ſubuenire, poterit indigens etiam inuito domino auferre quod ſuæ inopiæ ſubleuandæ eſt neceſſarium. Eſt communis hæc doctrina.

Notat tamen rectè Dom. Soto lib. 5. de Iuſt. & Iure quæſt. 3. art. 4. debere pauperem propter quædam iura ciuilia, quæ id requirunt, antequam ſurripiat indicare Magiſtratui ſuam inopiam, quando id commodè fieri poteſt, idque meritò, ne ſub prætextu neceſſitatis impleantur omnia furtis & rapinis. 52

Dico Secundò: probabile eſt, non tantùm in neceſſitate quæ abſolutè extrema eſt, ſed etiam in valde graui licitum eſſe pauperi auferre illud quo indiget ab homine diuite, qui per eiuſmodi ablationem non incidet in aliquam neceſſitatem aut notabile ſtatus detrimentum. Ita Syl. verbo furtum qu. 15. Summa Angel. eodem verbo furtum §. 37. & Petrus Nauarra lib. 3. cap 1. nu. 376. cum alijs nonnullis contra Dom. Soto, & Couar. loco ſup. cit. qui tamen admittit hanc ſententiam eſſe probabilem: quæ potiſſimũ vſu venire poteſt in neceſſitate famis: nam hæc grauius vrget, & minori detrimento reſtaurari poteſt. Non eſt autem generaliter verũ, vt quidam exiſtimare videtur, quòd quandocumque diues obligatur ex charitate ſubuenire neceſſitatibus pauperis, tũ ſemper pauperem poſſe auferre, ſi non donet: omnino enim rationi conſonum eſt, vt requiri dicatur ad hoc maior inopia & neceſſitas. Quare haud dubiè peccant frequenter diuites non dando eleemoſynam, quando tamen etiam pauperes peccarent, ſi illis ſurriperent. Sed contra 53

Obijcitur Primò: In Capitulo, Si quis, de furtis dicitur: ſi quis propter neceſſitatem famis aut nuditatis, furatus fuerit cibaria, veſtem, aut pecus: pœniteat hebdomadas tres, & ſi reddiderit, non cogatur ieiunare; ergò licet neceſſitas extrema, de qua nullus exiſtimat Canonem loqui, excuſet ſurripientem à peccato furti, non tamen videtur excuſare neceſſitas grauis, quandoquidem illi qui propter neceſſitatem furatus eſt, imponatur pœnitentia. 54

Reſpondetur; cum Gloſſa & D. Tho. inf. quæſt. 66. Capitulum loqui de neceſſitate neque extremâ, neque etiam valde graui, ſed de aliquâ vtcumque communi, quæ licet minuat vtcumque peccatum, tamen non omnino tollit: videtur enim Author alludere ad illud Prou. 6. *Non grandis eſt culpa cum quis furatus fuerit, furatur enim vt eſurientem impleat animam*, &c. Itaque propter aliqualem culpam dicitur furatus, ob quam etiam imponitur pœnitentia trium hebdomadarum in ieiunijs ſcilicet, cum hac tamen moderatione, vt ſi reddiderit, prout

prout talis obligatur, non teneatur ieiunare: quia reſtitutio eſt illi prout tenuioris conditionis, grauis, & ſic in partem ſatisfactionis & pœnitentiæ poteſt illi reputari.

Deinde obſeruandum, quod Capitulum illud non ſit alicuius Pontificis, ſed alterius, vt apparet, authoris ſatis incerti.

55 Obijcitur Secundò: D. Tho. Quodlibeto 8. art. 12. docet, ſi non appareant euidentia ſigna extremæ neceſsitatis, diuitem non teneri dare pauperi eleemoſynam; ergò multo minus extra hanc neceſsitatem pauperi licebit ſurripere.

Reſpondetur D. Tho. ibi appellare neceſsitatem extremam, quam infrà quæſt. 66. appellat euidentem & vrgentem, eamque proinde diſtinguere non contra eam quæ ſimpliciter grauis eſt, de qua nos loquimur, ſed contra grauẽ ſecundum quid, ſiue contra communem: tantũmodo enim ponit duas ſpecies neceſsitatis, ſub extremâ comprehendens omnes quæ ad illam accedunt.

Obſeruandum verò eſt, non cenſeri aliquẽ in extrema aut graui neceſsitate, quãdiu mendicando ſaltem tantùm accipere poteſt, quantum neceſsitatibus eius ſubleuandis poteſt ſatis eſſe.

56 Sed Quæres: Vtrùm vir honeſtus, qui dedecus magnum ſibi reputat mendicare, non poſsit ſurripere, quando non poteſt aliter, quam mendicando neceſsitati ſuæ prouidere?

Admittit Bannes ad art. ſeq. poſſe eum ſurripere in tali caſu. Sed rectiùs videtur ſentire contrariũ cum Titelmanno in Pſal. 36. Nauarrus ad cap. Quieſcamus diſt. 42. num. 35. Neque enim pudor ille mendicandi in tali neceſsitate videtur ſanctus & Chriſtianus: nam vir bonus cogitare debet non abſque diuina prouidentia ſibi obuenire eam neceſsitatem, ſiue ad præcedentium delictorum purgationem, ſiue ad virtutis exercitium: vnde conformiter ad hæc meritò ſeſe habere debet: quare Nauar. eiuſmodi verecundiam videtur exiſtimare potius vanam ſuperbiam. Hoc interim verum eſt, vt bene monet D. Ambr. lib. 1. Offic. cap. 30. in delectu pauperum quibus eleemoſynam quis erogare cupit, eſſe habendam rationem verecundiæ quæ ingenuos prodit natales, quando nobis innoteſcit.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm fieri poteſt eleemoſyna de iniuſtè acquiſitis?

57 PEr iniuſtè acquiſita intelligit D. Tho. generaliter, acquiſita modis illicitis, ſiue quia contra iuſtitiam propriè dictam, ſiue quia cum præuaricatione alterius virtutis aut præcepti: vt patet ex primo argumento, & ex corpore.

Reſp. itaq; cum diſtinctionẽ & inprimis dicit quædam ſic illicite eſſe acquiſita, vt debeantur illi à quo accepta ſunt, neque retineri poſsint ab eo qui illa acquiſiuit: ſicut contingit in rapina, furtis, vſuris; & de his docet non poſſe fieri eleemoſynas. Patet, quia non ſunt ipſius poſsidentis, ſed illius à quo ſunt accepta, cui proinde debent reſtitui, nõ alteri dari, niſi forte proximus eſſet in extrema neceſſitate, & fur non habere propriũ vnde ſuccurreret. Eadem erit ratio, ſi reperiri nõ poſsit is à quo iniuſtè ſunt ablata: tunc enim in eleemoſynas aut alios pios vſus ſunt impendenda.

Secundò dicit, quædam ſic eſſe illicitè acquiſita, vt nec ab illo qui acquiſiuit, nec ab eo à quo ſunt accepta poſsint retineri iuribus ſic diſponentibus, vt quę quiſpiam ſimoniacè acquiſiuit: & eiuſmodi docet in eleemoſynas debere erogari, aut ad alias pias cauſas applicari, ſcilicet iuxta Canonum diſpoſitionem, prout latiùs infrà in Tract. de Simonia explicabitur. 58

Tertiò dicit: quædam eſſe illicitè acquiſita, non quod eorum apprehenſio & detentio ſit in ſe illicita, ſed quia per modum, ſiue cauſam illicitam acquiruntur: ſic illicitè acquiſitum eſt, quod mulier accipit propter proſtitutionẽ ſui corporis, quæ poteſt quidem licitè illud accipere poſt actum & retinere, & tamen eiuſmodi merces reputatur inter illicitè acquiſita, & vocari ſolet propriè turpe lucrum. Eadem eſt ratio de illis, quæ quis accipit vt aliud turpe facinus perpetret, v. g. vt aliũ occidat: & de his, docet D. Tho. poſſe quoq; fieri eleemoſynas. Fuit tamen in antiqua lege Deut. 23. prohibitũ offerre mercedem proſtibuli in domo Dei, tum propter ſcandalum, tum propter reuerentiam, inquit S. Tho. hîc ad 2. 59

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm qui eſt in poteſtate alicuius conſtitutus poſſit eleemoſynam facere?

REſpondetur cum D. Tho. Ille qui eſt ſub poteſtate alterius conſtitutus non poteſt eleemoſynam facere de re ſecundum quam ſuperiori ſubijcitur, niſi quatenus fuerit ei à ſuperiore commiſſum: ſed ſi habeat aliquid quod poteſtati ſuperioris non ſubſit, quatenus circa illud ſui proprij iuris 60

iuris existit, poterit de eo eleemosynam facere. Hinc non potest vxor facere eleemosynā sine consensu viri expresso vel rationabiliter præsumpto, nisi in articulo necessitatis: quamuis enim mulier sit æqualis viro in actu matrimonij, tamen in his quæ ad regimen, & ad dispositionem domus pertinent, vir caput est mulieris. Si tamen mulier præter dotem suam quæ ordinatur ad onera matrimonij sustentanda, haberet aliqua alia bona propria, siue ex labore, siue alio honesto modo acquisita, de talibus sine consensu viri eleemosynas facere posset, imo etsi non haberet propria, sed vir eius esset turpiter auarus, poterit facere moderatas eleemosynas & subuenire indigentibus, idque pro salute ipsius & familiæ suæ: vt egit Abigail vxor Nabal 1.Reg.25 cum Dauide & socijs eius. Vide plura apud Syl. verbo Eleemosyna.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm propinquioribus sit magis eleemosyna facienda?

61 QVid ad hunc articulum dicendū sit, constat satis ex dictis suprà de ordine charitatis. Sed occasione eius Scripturæ quam D. Tho. in primo argumento adducit ex cap. 12. Ecclesiastici, scilicet *Da misericordi, & ne suscipias peccatorem* &c. *benefac humili, & non dederis impio.*

Quæritur hic: Vtrùm non sit eleemosyna danda peccatoribus?

Respondetur breuiter, etiam illis in extremâ aut graui necessitate cōstitutis eleemosynam dandam esse. Patet satis ex dictis suprà quæst. 25. art. 8. de dilectione inimicorum. Vnde Luc. 6. dicitur, *Omni petenti te, tribue:* & ad Rom. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.*

62 Ad Scripturam itaque adductā respondetur cum D.Tho. Non esse dandam eleemosynam peccatoribus, in quantum peccatores, id est, vt per hoc in peccato foueantur. Vnde Capitulo, Quoniam multas, Causa 11. quæst. 3. excipitur casus dandi eleemosynam peccatori, quando illa fieret excōmunicato in sustentationē superbiæ, & Capitulo non omnis, Causa 5. excipitur ab eleemosyna peccator qui per securitatem cibi negligeret iustitiam: alioqui esse faciendam eleemosynam peccatori in quantum homo est, scilicet vt natura sustentetur: quod etiam docet D.Greg. in tertia parte Pastoralis Admonitione. 21.

Sed iterum contra obijci potest ex cap. 16. Luc. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Item ex cap. 25. Matth. vbi Christus dicit, *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Ex quibus apparet quod eleemosynę tantū sint faciendæ Sanctis, qui suo tempore ad æterna tabernacula nos possint recipere: item illis qui in die iudicij cū Christo à dextris eius stabunt, non autem malis & peccatoribus. 63

Respondetur ex illis locis non aliud colligi, quàm eleemosynas factas bonis & sanctis fore admodum suis factoribus proficuas, & meritò quidem, cæteris paribus, meliores in eleemosynarum distributione esse præferendos; non verò alijs non esse faciendas: quia licet ipsi forsitan non sint in tabernaculis cœlestibus futuri, vt nos possint recipere, tamen ipsa eleemosyna propter Christi amorem facta, non erit apud Deum in obliuione, & ipsa pro nobis orabit, & nos excipiet iuxta illud Ecclesiastici 29. *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.*

ARTICVLVS X.

Vtrùm eleemosyna sit abundanter facienda?

REspondetur cum D. Tho. Multum dare secundum proportionem facultatum ipsius dantis, sicut vidua misit in gazophilacium Luc. 21. est laudabile, modò tamen seruentur ea, quæ supra docuit art. 6. de se non inordinatè exuendo rebus suis: sicuti etiam multū dare respectu accipientis, hactenus vt eius inopia perfectè subleuetur, laudabile est, non verò vt detur ei ad superfluitatem: præstat enim in plures diuidere quam vni dare nimium. 64

Sed quæritur an melius sit iuuare plures imperfectè, quam pauciores perfectè? 65

Respondetur cum Maldero: Posteriorem potius prætermittendum quam communis iste modus elargiendi pluribus minutiores scil. eleemosynas, aboleretur, atq; adeo hunc retinendum esse præ altero propter plura quę in tota communitate secum adfert commoda: si tamen eo saluo quis possit aliquibus, quamuis paucioribus prodesse plenius & efficacius, contingere poterit, vt hoc satius sit: quamuis enim ex genere bonum commune præstantius sit, fieri tamen potest vt aliunde excessus iste compensetur cum fœnore.

QVÆST.

QVÆSTIO XXXIII.

De Correptione Fraterna.

In octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm fraterna correptio sit actus charitatis?

1 INTER eleemosynas spirituales præcipua facile est fraterna correptio, & circa quam plures occurrunt difficultes: vnde D. Tho. peculiariter de hac præ cæteris instituit disputationem.

Notandum itaque primò, aliquid interesse inter correptionem, & correctionem, vt insinuat August. lib. 1. de Ciuit. cap. 9. dum ait, Quosdam nolle corripere cum fortasse possint corrigere corripiẽdo: ex hoc enim licet colligere, quod corripere sit monere & reprehendere, siue emẽdatio sequatur, siue non; corrigere autem sit ita monere vt emendationis effectus sequutur. D. Tho. tamen & communiter Scholastici vtuntur nomine correctionis pro correptione, forsitan quia quicumque corripit, quantum in se est, corrigit fratrem, sicuti mederi dicitur non tantùm qui curat morbum, sed etiam qui medicamenta applicat, licet propter infirmi intemperantiam effectus sanitatis non sequitur.

2 Notandum Secundò: correptionem de qua hîc agitur, dici fraternã, quia non fit authoritate iudiciariâ quasi à superiore: sed à pari & socio, neque tendit ad punitionem, sed ad emendationem proximi tanquam fratris, vt malum animæ eius auferatur: Deinde quia familiariter & suauiter solet & debet adhiberi: non autem cũ austeritate & seueritate iudicum, ac tribunalium. His præmissis

3 CONCLVSIO D. Thomæ est: Fraterna correptio quatenus adhibetur in remedium peccati prout est malum ipsius proximi delinquentis, est actus charitatis. Probat eã hoc ferè modo, quia remouere malum alicuius est eiusdem rationis, cuius est procurare illi bonũ oppositũ; atqui bonũ proximi procurare pertinet ad charitatem; ergo etiam amouere peccatum quatenus est malum peccantis, erit actus charitatis, & per consequens correptio fraterna per quam illud amouemus, ad charitatem pertinebit: & quidem erit actus charitatis tanto præstantior eleemosynâ corporali; quanto grandius est spirituale malũ, quã necessitas & miseria corporalis. Dicitur in Conclusione, Prout est malum ipsius delinquentis: quia correptio quæ adhibetur in remedium peccati quatenus peccatum est malum & noxium communitati, siue alijs, sic est actus iustitiæ, & competit propriè magistratui & Superioribus, quorum est conseruare bonum communitatis, & bonum iustitiæ vnius ad alterum.

Sed quæres: Vtrum correptio fraterna sit actus charitatis, sic vt proximè ab eâ eliciatur? 4

Respondetur, correptionem fraternam dupliciter posse fieri, scilicet aut proximè ex hoc motiuo, quòd peccatũ sit simpliciter quoddam malũ & quædam spiritualis miseria proximi, quam ex compassione quis cupit amouere: aut proximè ex isto motiuo, quòd peccatum proximi sit malum quoddam displicens & ingratũ Deo quodq; ipsũ offendit. Si priori modo fiat, erit actus proximè elicitus à misericordiâ, & mediatè à charitate. Si posteriori autem modo, sic erit actus proximè à charitate elicitus. Quomodo autẽ peccatum, non obstante quod volũtariè committatur, possit esse obiectũ misericordiæ, licet hoc dicatur esse malum proximi inuoluntarium, suprà est explicatum quæst. 30. art. 1.

ARTICVLVS II.

Vtrùm correptio fraterna sit in præcepto?

CONCLVSIO D. Tho. est affirmatiua: & probatur ex D. Aug. serm. 16. de verbis Domini, vbi dicit, Si neglexeris corrigere, peior eo factus es qui peccauit; sed hoc non fieret, nisi quis per illã omissionem, siue neglectum præuaricaretur aliquod præceptum; ergò &c. Deinde probari potest ex Scripturis Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, corripe eum,* Lucæ 17. *Attendite vobis: si peccauerit in te frater tuus, increpa illum,* & ad Tess. 5. *Corripite inquietos.* 1

Sed

6 Sed quæritur hic, an correptio fraterna tantùm sit sub præcepto positiuo; an etiam sub naturali?

Respondetur; omnino esse sub præcepto naturali. Declaratur primò, quia maius est malum animæ quam corporis, & potior est eleemosyna spiritualis, quam corporalis; ergo tam erit naturalis obligatio subueniendi proximo, vt liberetur à malis & miserijs animæ, quàm à necessitatibus corporis: Deinde si lege naturæ teneamur reducere bouem proximi errantem, certè multo magis tenebimur reducere ipsum proximum errantem. Quare non tantùm in Euangelio, sed etiam tempore antiquorum reperitur sæpius inculcatum: Ecclesiastici 17. *Melius est à sapiente corripi quam stultorum adulatione decipi*, ibid. c. 11. *Priusquam interroges ne vituperes quemquam: & cum interrogaueris, corripe iustè*, & cap. 19. *Corripe amicum, ne fortè non intellexerit, & ne dicat: non feci: aut si fecerit, ne iterum addat facere.* Similia habentur prou. cap. 27. & quidem si peccatum consideretur vt malum proximi contra rationem naturalem, erit obligatio corripiendi ex lege omnino naturæ; si autem vt est contra ordinē supernaturalē, sic erit naturalis obligatio, quia connaturalis ordini supernaturali & fidei.

7 Quæritur Secundò: An præceptū correptionis obliget ad quemlibet proximum peccantem corripiendum?

Ratio dubitandi est, quod nomen proximi se extendat ad omnem hominem, vt sup. de dilectione proximi diximus: Christus autem dum de correptione agit, tantùm dicat, vt corripiamus fratrem, si in nos peccauerit; nomen verò fratris non se extendit ad omnes homines, quia distinguitur frater contra alienum Deuter. 23. *Non fœnerabis fratri tuo*, &c. *sed alieno*: præterea addit Christus: si correptus non se emendauerit, vt sit nobis sicut Ethnicus & Publicanus. Quo significat quod vlterius non erit corripiendus, ac proinde insinuat, quod Ethnici non sint à fidelibus corripiendi; ergo apparet quod præceptum illud non se extendat circa quemlibet proximum siue hominem peccantem.

Respondetur nihilominus, præceptum illud, prout ex naturali lege dilectionis nascitur, nos obligare ad quemlibet proximum peccantem pro loco & tempore corripiendum, quemadmodum cuilibet proximo debemus dilectionem.

8 Ad ea itaque quæ ex Euangelio opponuntur Respondetur: Christum eo loco potissimum velle docere, quomodo debeamus cum fratribus fidelibus agere, eos scilicet peccantes corripiendo ex charitate, & quis ordo debeat seruari; non autem excludere correptionem circa alios, quamuis non faciat eius expressam mentionem, idque quia ordo iste, quem volebat commendare non sic potest cum ijs, qui foris sunt, seruari: vt rectè notat Theophilactus; tum etiam, quia rarior est casus obligationis, quia rarior est spes emendationis ex eo quod fidelis corripiat infidelem antequam fidem susceperit: vnde circa talem magis debet incumbere fidelis, vt eum in fide prius instruat, quam corripiat, licet interim si spes aliqua sit, quod eius correptioni auscultaret, non foret ea prætermittenda. Hoc autem quod Christus dicit: *Sit tibi sicut Ethnicus*, &c. significatur quod à conuersatione nostra sit rescindendus, qui correptioni non auscultauerit, neque Ecclesiā audire voluerit, nec iam quidem amplius corripiendus, quia hanc correptionem contemnit & negligit; sed tali facto corripiendus sit. Neque per hoc insinuat Christus, quod Ethnici & Publicani aut similes externi corripi non debeant, sed solum supponitur, quod cum talibus non sit nobis conuersatio aut ordinaria communicatio.

9 Quæritur Tertiò: de quibus peccatis sit corripiendus proximus?

Respondeo & dico Primò, de peccatis mortalibus tantùm ordinariè corripiendus est, non sic de venialibus. Ita communiter tradunt DD. & colligitur ex verbis Christi Matth. 18. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Hinc intelligimus, inquit August. peccatum ob quod frater corripiendus est esse tale, vt periturus sit si istud non relinquat: quare patet istud esse mortale. Idem potest colligi ex cap. 5. Iacobi: *Fratres mei, si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum: scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte.* Ratio autem reddi potest: quia qui versatur in peccato veniali nō censetur esse in graui necessitate spirituali: vnde non est ei necessaria talis eleemosyna spiritualis. 10

Dicet aliquis: peccatum veniale est malum maius quàm grauissima necessitas corporalis; ergo magis obligamur illud tollere, quàm subuenire proximo in grauissimâ necessitate corporis.

Respondetur Neg. Conseq. quamuis enim peccatum veniale sit maius malum absolutè, vtpote superioris ordinis, tamen in suo ordine non adfert homini tantam necessitatē animæ, quantam adducit corpori grauissima indigentia rerum temporalium. Itaque se habet in ordine spirituali, sicut se habet communis necessitas, vel potius sicut communis imperfectio, aut

grauedo

grauedo quædam corporis in ordine corporali: quæ ex parte ipsius sustinentis non censetur magna necessitas; & per alium quoque non potest facilè tolli, aut subleuari: quare sicut non tenemur proximum subleuare ab istis communibus necessitatibus,& miserijs corporis: ita neque corripere de peccatis venialibus.

11 Dico Secundò: Corripiendus est proximus de peccatis præteritis in quibus videtur persistere: quæ,nisi corripuero, non emendabit. Ratio est: quia qui in illis hæret, est in magna miseria, à quâ teneor corripiendo eum liberare. De præteritis verò quæ emendauit per pœnitentiam, non debet corripi: quia iam malum est sublatum. Accedit quod Christus Luc. 17. iubet dimittere ei, qui in nos peccauit, si post correptionem pœnituerit: ergo magis dimittendum est, si ante correptionem pœnituerit. De futuris verò nullus propriè corripitur, quia nondum commissa sunt: & ait Dominus: *Si peccauerit in te frater:* non autem, si peccaturus sit. Habebit tamen hic locum admonitio, aut instructio: quando enim videmus proximum esse in periculo ne in peccatum labatur, monendus est, vt sibi caueat ne peccet, & Deum offendat.

12 Dico Tertiò: Non tantùm corripiendus est proximus de peccatis quæ in nos committit: sed etiam de illis quæ in alios siue in Deum, siue in homines committit. Ratio est: quia correptio non est tam instituenda, vt reparetur læsio aut iniuria nobis illata, quàm ne frater qui peccauit, pereat: perierit autem quocumque peccato mortali siue in nos, siue alios commisso, nisi pœnitentiam egerit. Neque obstat quod Christus dixerit: *Si peccauerit in te frater*, &c. Inprimis, quia omne peccatum quo Deus offenditur in nostra præsentia, etiam suo modo contra nos committitur: sicuti in filium peccatur, si eo vidente pater afficiatur iniuria. Et sic D. Augustinus verba Euangelij generaliter extendit. Deinde, etsi verba illa *in te* non tam generaliter accipiamus sensu iam dicto, tamen reliqua peccata facilè intelliguntur comprehendi isto modo loquendi: si namque etiam tunc quando in te peccando frater perijt, curare debes vulnus proximi, multò magis, si perierit impingendo in alium: dum enim remotiora Christus præcipit, censetur viciniora includere. Nec deest ratio, quare Christus addiderit: *In te:* nam istud idoneum est ad insinuandas conditiones & circumstantias peccati, de quo secundum ordinem ibi præscriptum frater corripiendus est. Debet enim esse priuatum, sicut ea quæ inter fratres geruntur: nam publicè peccantes corã omnibus redarguendi essent. Debet etiam illi bene esse exploratum, qui correpturus est, vt sunt ea quę contra nos committuntur. Prętere a debet adesse spes emendationis, quæ facilius eo casu concipitur: quia meritò putatur frater ad pœnitentiam commouendus, quando te ab illo læsum videbit non de vindictâ, sed de emendatione & salute eius esse sollicitum. Solet etiam peculiariter commendari correptio super peccatis ex ignorantiâ, vel infirmitate: quia de his quoque est maior spes emendationis, quàm de peccatis ex certâ malitiâ: quando tamen etiam istorum emendatio speratur, debet quoque super his fieri correptio.

Dixi, ordinariè de mortalibus tantùm, non sic de venialibus: quia aliquando in casu potest esse obligatio ad correptionem venialium, etiam sub peccato mortali; v. g. Prælati religionum quibus ex officio incumbit suos promouere ad maiorem perfectionem, tenentur etiam sub mortali corrigere illos abusus, qui licet in singulis sint tantùm veniales, tamen in communitate multum eneruant disciplinam, & notabiliter impediunt profectum, & disponunt ad maiorem defectum. 13

Quæritur Quartò, quæ debeant concurrere, vt præceptum de correptione faciendâ censeatur obligare sub mortali? 14

Respondetur: Inprimis, vt nobis moraliter certò constet de peccato commisso, super quo proximus sit corripiendus. Ita Dominicus Soto cum alijs De tegendo & detegendo secreto: Membro secundo. Solent enim homines grauiter offendi, quando de peccato quod non admiserunt, redarguuntur; & conqueri de temerario iudicio, vel iniuriâ sibi illatâ. Vnde ad subterfugiendum periculum, ne per omissionem correptionis quis delinquat, consultum est, non se facere curiosum scrutatorem alienæ vitæ, præsertim quando quis priuatam personam gerit iuxta illud Prouerb. 24. *Ne quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius*, si quis tamen cognouerit probabiliter delictum alterius, poterit eum absque grauiori increpatione benignè monere: præsertim quando non est periculum notabilis offensionis, & spes emendationis si peccatum subesset, vt inter familiares accidere solet.

Secundò, vt certum aut probabile sit, eum diutius in eiusmodi peccato permansurum, aut idem vel similia reiteraturum, nisi meis monitis,& correptione ad meliorem mentem & frugẽ reuocetur. Si enim certò aut probabiliter admodum sciam 15

illum ab alio corripiendum æquali, vel maiori cum fructu, quàm ego possim præstare, vel illum per se emendandum, iam non censebitur indigere meo officio misericordiæ: & proinde non obligabor sub mortali ei illud impendere: grauior autem erit obligatio, si certò existimem illum sine me non emendandum, quàm si probabiliter tantum ita existimem, & oppositum simul iudicem probabile: nam priori casu tenebor etiam cum magno meo incommodo id præstare propter extremam quasi necessitatem, in quâ proximus versatur, non sic in casu posteriori.

16 Requiritur Tertiò, quod iuxta prudens iudicium adsit spes fructus, siue emendationis: si enim nulla aut vix vlla subsit talis spes, non erit tanta obligatio; quia frustrà adhiberetur, vbi non est spes assequendi finis. Hoc tamen de priuatis, siue particularibus personis accipiendum est: nam de publicis personis est alia ratio, vt dicemus articulo sequenti. Blasphemi quoque corripiendi sunt, quando maius malum non timetur, quamuis non appareat spes fructus: quia peculiariter per blasphemiam læditur diuinus honor, qui quodammodo per correptionem restauratur. Vide dicta supra quæstione 13. Quod si verò non tantùm nulla affulgeat spes emendationis, sed etiam timeatur maius peccatum, vel plura mala, non solum non tenebimur corripere, sed magis ex charitate tenebimur omittere: vt hic docet D. Tho. ad 3. ex Aug. lib. 1. de Ciuit. cap. 9.

17 Similiter si quidem adsit aliqua spes fructus, sed è contra sit periculum maioris mali, non obligamur quoq; corripere, nisi proximus esset omnino in discrimine mortis, & æternæ damnationis: vt si non corripiam, certò perierit proximus, si corripiam autem, restat aliqua spes salutis: hoc enim bonum magis erit attendendum in tali necessitate, quàm malum quod occasionaliter timetur: nam huius mali non erit correptio propriè causa, sed maligna voluntas alterius. Sicuti medici in morbis desperatis solent aliquando adhibere medicamenta periculosa, dummodo ex illis aliquam sperant sanitatem, quamuis etiam timeant inde æquè aut magis verisimiliter incommodum, v. g. aliqualem accelerationem mortis. Ita hic Bannes.

ARTICVLVS III.

Vtrùm correptio fraterna solum pertineat ad prælatos?

CONCLVSIO Prima: Correptio fraterna propriè dicta, quæ fit sine authoritate Iudiciaria, & cōminatione pœnarum, pertinet ad omnes omnino homines. 18

Probatur, quia sicuti præceptum correptionis postulat, vt cuilibet proximo illud officium misericordiæ impendatur, prout ostensum est, ita etiam naturali lege charitatis omnes obligantur tempori & loco impendere proximo illam misericordiam, qui valent eam præstare, puta qui habent sanum rationis iudicium circa illud in quo proximus errat aut delinquit. Et confirmari potest ex capite Ecclesiastici 17. vbi dicitur, quod Deus *Mandauit illis vnicuique de proximo suo*: Deinde ex Capitulo: Tam sacerdotes: Causa 25. quæst. 3. vbi dicitur, Tam sacerdotes, quàm reliqui fideles omnes summam debent habere curam de his, qui pereunt, quatenus eorum redargutione corrigantur; aut si incorrigibiles sint, &c. Idem docent SS. PP. D. Chrysostomus hom. 25. in Acta: Testificor vobis (inquit) qui sani estis, quod iudicium vobis & condemnatio erit, si quis videns inordinatè viuentem, non admonuerit aut corripuerit. Vide eundem hom. 30. in epistolam ad Hebr. D. August. lib. 1. de Ciuitate Dei, vbi inter cæteras causas, Cur boni plerumque affligantur cum malis, recenset hanc: quod videlicet aliquo timore humano, vt alicuius offensionis aut alterius incommodi, negligāt arguere & corripere ea, quę in proximis arguēda cognouerunt.

CONCLVSIO Secunda: Ad correptionem iudiciariam, & punitionem coactiuam pro conseruatione boni communis, obligantur prælati & superiores, non autem priuati & particulares homines. Est quoque D. Thomæ hic: debent enim illi ex proprio officio consulere Communitati & Reip. non autem hi. 19

CONCLVSIO Tertia: Obligantur etiam prælati multò strictius ad fraternam correptionem ex charitate, quàm alij particulares. Ita D. Thomas ad 7. & colligi potest ex illis Christi Domini verbis: *Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi*: quæ specialiter ad Episcopos & Pastores Ecclesiæ dicta 20

dicta sunt. Et probat D. August. lib. 1. de Ciuit. cap. 9. ex illis Ezech. cap. 3. & 33. vbi speculatori dicitur: *Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris: non fueris locutus vt se custodiat impius à viâ suâ, ipse impius in iniquitate suâ morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Vnde tam sollicite D. Paulus cap. 20. Act. dixit: *Quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis:* & infrà, ad Episcopos quos constituerat Spiritus Sanctus regere Ecclesiā Dei: *Vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non cessaui, cum lachrimis monens vnumquemque vestrûm.*

21 Probatur Secundò ratione: quia lege naturæ obligatur magis pater diligere filios suos, illisque in corporalibus necessitatibus subuenire, quàm teneantur externi, aut etiam alij propinqui; ergo etiam Prælatus qui est pater spiritualis, magis obligatur impendere eleemosynam spiritualem subditis suis, vtpote filijs suis spiritualibus, quàm externi, aut etiam fratres spirituales. Accedit quod Prælati censeantur in hoc genere ditiores & potentiores, ac ordinariè possint cum maiori spe fructus eiusmodi spirituale officium misericordiæ præstare; ergò &c.

22 CONCLVSIO Quarta: Tanta est hæc obligatio Prælati, vt teneatur corripere suos, etiam vbi non apparet spes emendationis; præsertim accedente ratione officij. Constat satis ex locis Ezechielis citatis: & docent SS. PP. D. Hieron. in Ezech. sup. Non respondeamus (inquit) quid prodest docere, si nolit auditor facere, quod docueris? vnusquisque enim ex suo animo, & officio iudicabitur; tu si loquutus non fueris, ille si audire contempserit. D. Ambr. serm. 83. Ego parcens (inquit) tacere vellem: sed malo vos contumaciæ causas reddere, quàm me negligentię sustinere iudicium. Et D. Chrys. hom. 4. in epistolam ad Heb. Dicemus, ait, etsi nullus audire velit, propter incumbentem nobis Dei timorem; ergò &c.

23 CONCLVSIO Quinta: Prælati sic obligantur ad correptionem fraternam, vt etiam ex charitate teneantur in subditorum vitam inquirere. Ita docent Soto Relect. De sigillo secreti memb. 2. quæst. 3. conclus. 3. membro 3. à Valentia tom. 3. Disp. 3. qu. 10. puncto 3. Mald. hic & alij plures; Caiet. autem ad artic. præc. existimat ad id non teneri Prælatos ex charitate; at tantùm ex officio, & quasi ex lege iustitiæ. Sed probatur Cōclusio Primò: quia oportet in prælato non duas tantùm (vt fecisse videtur Caiet.) sed tres qualitates attendere, & distinguere: non enim solùm considerandus est tanquam pater secundum communem naturam, aut fidem ac religionem, & tanquam superior ac Iudex: sed etiā vt spiritualis parens, qui ex charitate peculiariter obligatur eleemosynas spirituales facere hisce determinatis & particularibus personis, tanquam suis filijs. Quod autem sic debetur determinatæ ac certæ personæ (inquit D. Tho. art. præc. ad 4.) siue corporale siue spirituale sit, oportet quod ei impendamus non expectantes quod nobis occurrat, sed debitam solicitudinem habentes inquiramus; ergo tenentur prælati inquirere defectus, & necessitates spirituales suorū filiorum, vt ex charitate illis subueniant.

Probatur Secundò, quia debet quisque ex lege charitatis, mala proximi præsertim spiritualia, depellere ijs modis, quibus tollere potest; atqui prælatus potest sine alijs incommodis inquirere in vitam subditorum: quia id propter authoritatē & officium non parit scandalū, aut offensionem; ergo etiam ex charitate tenetur id facere, vt eos corrigat & emendet, si spirituali defectu laborēt aut laborare tenetur. 24

Rectè tamen monet Caietanus, cauendū esse prælato vnâ ex parte, ne fiat multâ suspicione præceps & odiosus, & alterâ ex parte, ne committat vt per suam incuriam inualescant occulta delicta. Debet insuper prudenter attendere, ne nimis particulariter in vnum aliquem inquirendo absque particularibus indicijs, reddat eum apud alios infamem aut suspectum. Quare pro conseruatione omnis boni ordinis ac religionis in quâcumque communitate, inprimis sollicitè in hoc laborandum est, vt prælatus habeatur vir prudens experiētiâ, & indole sagaciori perspicax, vt magis videantur ei occurrere defectus subditorum, quàm nimiâ curiositate inuestigare. 25

Cæterùm quæ de prælatis diximus, extendit Capitulum Duo ista: causa 23. quæ. 4. desumptum ex August. etiam ad Patresfamilias, maritos, parentes, iudices, Reges secundum disciplinam cuique aptam, & accommodatam. 26

ARTICVLVS IV.

Vtrùm quis teneatur corripere suum Prælatum?

RESpondet D. Thomas primò: quod subditus non possit corripere prælatum suum correptione Iudiciaria, & per authoritatem. Res est clara: quia inferior non potest exercere actum potestatis coactiuæ in superiorem. 27

Respondetur Secundò: quod correptio fraterna quæ est actus charitatis, pertinet ad vnumquemque respectu cuiuslibet personæ ad quam debet habere charitatem, si in eâ aliquid corrigibile inueniatur. Quare cum inferior debeat habere charitatem erga prælatum suum, consequens est, quòd teneatur quoq; prælatum suum corripere: & quidem obligatione strictiori, quàm teneatur ad alios corripiendos, modò circumstantiæ quibus id prudenter fiat, adfuerint.

28 Probatur Primò, quia prælato tanquam patri spirituali maiorem debet dilectioné, quàm alijs, vt constat ex dictis de ordine charitatis. Deinde, quia maius inde est periculum communitati, si hic non corrigatur, quàm ex alio: nam periculum est: ne morbus totum corpus incipiat inuadere, inquit D. Greg. lib. 1. epistola 36. si languor non fuit curatus in Capite. Tertiò, quia prælati versantur in maiori periculo: puta quia pauciores solent illis exhibere eiusmodi spiritualem operam misericordiæ: vnde fit quod sæpius careant hac eis necessariâ correptione.

29 Interim verò magnâ opus est circumspectione, & prudentiâ in hoc negotio: debent enim plures circūstantiæ concurrere & obseruari, vt debitè fiat correptio prælati, quàm vt inferioris aut fratris: nam inprimis summa hic est habenda ratio famæ & pudoris, ne quis cum Cham reuelando turpitudinem patris, referat maledictionem. Hinc non poterit publicè aut coram alijs argui: neque in faciem potest ei resisti, nisi quando doceret hæresim, vel notabile scandalum publicè præberet. Et ideo quoq; non conuenit quod concionatores in suggestu inuehantur in Superiores & prælatos Ecclesię, vitia eorū ibi corā plebecula recensendo & exaggerando: quia ex eiusmodi inuectionibus parū emendationis aut fructus sperari potest, cū absint cōtra quos agitur: & si referatur, solet indiscretio talis ad amaritudinem magis quā ad correctionem commouere: ex altera autem parte populus offenditur, & ad contemptum Superiorum suorum adducitur. Hinc Clementinâ Religiosi: de Priuilegijs valde districtè prohibetur religiosis, ne in suis sermonibus, Ecclesiarum prælatis detrahant: quod renouauit Leo X. in Conc. Lat. Sess. 11. Constit: quæ incipit: Supernæ Maiestatis. Haud dubiè plus fructus sperare merito poterunt, si priuatim eos charitatiuè & cordatè moneant, & quàm turpe sit eos sic cōuersari remonstrent. Sed plerumque accidit, quod qui maximè corā alijs in absentes clamant, adulentur illis ipsis quando coram sunt illis præsentes.

Secundò debet is qui prelatū corripiat, esse spectatæ virtutis, & prudentiæ: *Si bestia tetigerit montem* (vt refertur ad Hebr. cap. 12.) *lapidabitur*: quod D. Tho. hic ad primū interpretatur de illo, qui indiscretè ac temerè cum superiore tractat, illū corripiendo. Sic etiam percussit Dominus Ozam 2. Reg. 6. quia temerè admouebat manum ad arcam Domini. 30

Tertiò, etiam quando priuatim inferior corripit prælatum, non debet id facere nisi cum modestiâ, & reuerentiâ illum monendo, vt hic in Corpore docet D. Tho. iuxta illud Apostoli 1. ad Timoth. 5. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem.* Vide plura hac de re apud D. Greg. lib. 5. Mor. cap. 10. & parte 3. Pastoralis: Monitione 5. vbi vtitur exemplo Dauidis dolentis quod oram vestimenti Regis Saülis abscidisset. 31

ARTICVLVS V.

Vtrùm peccator debeat corrigere delinquentem?

RESpondetur: potest peccator corripere aliquando alium delinquentem absq; eo quod in hoc peccet, & nouam sibi condemnationem acquirat. Ita hic D. Tho. imò potest aliquando ad id faciendum teneri: nam peccatū per se non tollit facultatem fraternæ correptionis: quia potest peccator retinere sanum iudicium rationis circa illud in quo frater delinquit, atq; ita habet, vnde fratri delinquenti possit subuenire. Quare si cognoscat peccatū illius, & adsit spes emendationis, neque putetur correptio per alium oportuniùs adhibenda dum frater in periculo versatur, debebit ipse fratrem corripere. 32

Rectè tamen notat D. Thomas, quod tametsi peccatum non per se tollat facultatem correptionis fraternæ, tamen multipliciter ponat impedimentum, quominus conuenienter possit hæc correptio fieri à peccatore: inprimis, quia ex peccato proprio redditur quis indignus, vt alium corrigat: & quidem si maius peccatum commisit, non est dignus (inquit D. Tho.) vt alium corrigat de minori: quod significare videtur illud Psal. 49. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas*, &c. *Tu verò odisti disciplinam*, &c. 33

Secundò propter scandalum quod inde nascitur, quando peccatum corripientis est manifestum: quia solent alij apprehendere eiusmodi correptionem, non tam ex charitate, quàm ad ostentationem fieri.

Tertiò, quia id arguit superbiam corripientis,

picntis, qui ſua peccata quaſi parui pendens ſeipſum proximo præfert in corde; peccata eius ſeueritate auſterâ dijudicans, inquit D. Tho. ac ſi ipſe eſſet iuſtus. Quando itaque peccator cum ſcandalo, vel ex ſuperbiâ ad oſtentandam iuſtitiam ſuam, quam tamen non habet, corripit fratrem delinquentem, tunc corripiendo ipſe delinquit. Sed

34 Quæri poteſt primò: Vtrùm ſi iſta duo abſint, peccet etiam tantummodo ex eo capite, quia dicitur eſſe indignus qui alterum corripiat? Reſpondetur non peccare ratione eiuſmodi minùs congruæ diſpoſitionis, ſi bona ſit intentio, & ſcandalũ abſit: imò ipſum facere opus bonum, præſertim ſi non ſit alius qui oportuniùs id præſtare poſſit: ſicut dare eleemoſynam corporalẽ, orare pro alijs, ieiunare non ſunt peccata, licet ab homine in peccato exiſtente, exerceantur: imò quando ex motione Sancti Spiritus fiunt, tunc etiam hominem ad iuſtitiam diſponunt: neque enim iſtæ actiones habent in ſe aliquam peculiarem ſanctitatem præter eam, quam accipiunt ex ratione virtutis, & bonâ voluntate operantis. Vnde ad eas obeundas non datur peculiaris aliqua conſecratio, vel vnctio: ſecus eſt de Sacramentorum confectione, & adminiſtratione: vt in 3. parte explicari ſolet.

35 Quęritur Secundò: Vtrum peccator teneatur aliquando vitam emendare, vt reddatur qualificatus ad corripiendum vtiliter proximum? Reſpondeo & dico primò: qui ex officio tenentur alios inſtruere & corripere, vt Epiſcopi, Parochi, & alij Superiores ſępiùs obligantur, etiam ſub mortali, emendare vitam quatenus hoc eſt neceſſariũ, vt eorum inſtructio & correptio reddantur efficaces. Patet, quia tenentur procurare ea quæ ſunt neceſſaria ad munus quod eis incumbit, vtiliter ſubeundũ: quare ſi eorum inordinata vita reddat monita eorum inefficacia apud ſubditos, vt fieri ſolet, tenentur vel hac de cauſa emendare illam inordinationem.

36 Dico Secundò: Idem dicendum eſt de eo cuius vita alios ſcandalizat, quamuis non habeat curam animarum. Patet, quia tenetur ceſſare à ſcandalo: & præterea eos quos ſuo exemplo in peccatum pertraxit, tenetur peculiari quâdam obligatione pręalijs, etiam reducere. Vnde ſi ad eorum reductionem iudicetur neceſſaria eius emendatio, vt ſæpe contingit quando is eſt magnæ authoritatis apud alios, tenetur ſe vel ob hunc finem emendare.

37 Dico Tertiò: Si quis peccato ſuo non quidem ſcandalizauit proximum, tamen iſtud ei innotuit, qui idcirco parui pendet correptionem ab eo profectam, niſi viderit illum ſe emendare, probabile eſt, quod non idcirco obligetur emendare, ſaltem ſub nouo mortali, vt illum ſalubriter corripiat: niſi alioqui putaretur proximus in peccatis moriturus: & niſi quis ex officio teneretur corripere, vt dictum eſt. Ita Bannes hic. Et probatur: quod enim proximus ſe nolit emendare niſi ego me emendem, ſibi debet imputare: quando enim ego meo exemplo in peccatum eum non pertraxi, non videor obligatus vt meo exemplo illum à peccato liberem. Quando tamen putaretur in peccato moriturus, tum propter talem proximi neceſſitatem videbor ad id obligari: ſicuti & alia quædam mihi incommoda aut gratia ſubeunda eſſent, ſi aliter non ſit ſpes efficaciter ſubueniendi proximo, & illis mediantibus ſpes bona affulgeat.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm aliquis debeat à correptione ceſſare ex timore, ne alius fiat peior?

CONCLVSIO Prima: Si agatur de correptione quæ eſt actus iuſtitiæ & fit authoritate iudiciariâ, non debet hæc prætermitti metu maioris turbationis, aut peruerſitatis proximi. Eſt Diui Thomæ, & ratio eſt, tum quia huiuſmodi correptio ordinatur, vt qui propria voluntate emendari nolunt, per pœnas cogantur à malò factis abſtinere, tũ quod in ea non tã ſpectetur emendatio delinquentium, quàm exemplum aliorum, & bonum commune. 38

CONCLVSIO Secunda: Loquendo de correptione fraternâ propriè dictâ, debet ea omitti quãdo prudenter timetur, ne inde proximus fiat deterior. Ratio eſt, quia tunc ceſſat finis & motiuum huius correptionis: imò tunc contrarium finis illius eueniret. Conſtant hæc ſatis ex dictis. 39

ARTICVLVS VII.

Vtrùm in correptione ex neceſſitate præcepti debeat admonitio præcedere denuntiationẽ?

CONCLVSIO Prima: Quando peccatum proximi eſt publicum, non eſt neceſſe, vt tum ſecreta admonitio præcedat ſiue publicam correptionem, ſiue denuntiationem. Eſt D. Tho. & conſtat: quia 40

cessat ratio priuatæ admonitionis: ideo namq; priuatim antè monendus est, quam publice, ne fama eius lædatur, vt docet D. Hier. in cap. 18. Matth. explicans illam doctrinam Christi; atqui quando peccatum est publicum, iam fama læsa est: Deinde, quia talis debet publicè argui, ne qui peccatum eius norunt, scandalizentur, si videant illum non reprehendi.

41 Obseruandum tamen hic est, contingere interdum vt peccatum fratribus pluribus notum & publicum, non sit referendum ad Superiorem ante monitionem priuatam: quando scilicet non cedit in detrimentum aliorum, & putatur frater magis emendandus priuatâ monitione, quàm superioris correptione. Ita tradunt Palud. in 4. dist 4. & Adrianus ibidẽ qu. de Corrept. fraterna.

42 Conclvsio Secunda: Etsi peccatum sit occultum, si vergat in aliorum detrimentum, statim denunciandum erit, omissâ secretâ monitione, vt eiusmodi nocumentum impediatur. Ita hic D. Tho. Ratio est, quia magis debet nobis esse curæ, ne proximus innocens in corpore, vel in anima lædatur, quã ne peccator iste famã apud superiorem perdat: Vt v.g. si quis tractaret de ciuitate tradenda, aut machinaretur mortem alterius, vel hæreticâ persuasione inficeret alios.

43 Vbi tamen rursum D. Thomas hanc ponit exceptionem, nisi aliquis firmiter existimaret quod statim per secretam admonitionem posset eiusmodi mala impedire. Quare etsi scirem aliquem esse hæreticũ, non tenerer illum denuntiare inquisitoribus, si mihi moraliter certissimum foret, ipsum priuatâ monitione emendatum iri, imò si certum esset eum pro tempore aliquo nihil mali facturum, neque alios peruersurum: & interim probabile admodum foret, quod eum priuatim sim ad fidem reducturus, non obligarer illum denuntiare, quamuis quædam leges statuant, vt quiuis sciens aliquem hæreticum statim illum denuntiet. Ratio est, quia inprimis hic cessat causa cur statim denuntiandus sit, videlicet aliorum periculum; & cum magna adsit spes emendationis eius per priuatam admonitionem & instructionẽ, postulat charitas, vt non denuntietur: hæc enim requirit vt proximum emendemus cum minimo eius incommodo, quando id absque aliorum malo & periculo fieri potest.

44 Quæres: Quare igitur tam vniuersaliter leges illæ de hæreticis denuntiandis sint datæ, absq; exceptione quam ponit D. Thomas? Respondetur: quia rarius habetur certitudo sufficiens, quod meâ priuatâ monitione malum seu periculum sit impediendum: vnde legislator respiciens ad id quod plerumque fit, exceptionis eiusmodi mentionem non facit, quæ tamen ex natura rei & lege charitatis inest.

45 Conclvsio Tertia: Si peccatum sit occultum, & non cedat in detrimentum aliorum: sed tantùm ipsius peccantis, & in tuum in quem peccauit, tunc teneris secretam monitionem præmittere ex necessitate præcepti ante denuntiationem. Est quoque D. Thomæ: & patet ex verbis Christi Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te, & ipsum solum*: vbi Dominus loquitur de peccato occulto, siue occultè commisso. Ratio est inprimis, quia lex charitatis dictat proximum esse curandum quàm minimâ fieri potest ipsius læsione; ergo fama eius non est minuenda apud superiorem, quando per priuatam monitionem speratur emendatio. Deinde, quia sępius sequuntur maiora incommoda ex eiusmodi delatione & diffamatione apud superiores: vt quod illi quos adhuc pudor à malo cohibebat, fiant impudentiores ad peccandum, dum vident se bonũ nomen apud superiores amisisse, quod erat adhuc quasi frœnum quoddam quo aliquo vsque à peccatis continebantur, vt docet D. Hier. ad cit. locum Matthæi: Corripiendus est frater seorsim, inquit, ne si vel pudorem aut verecundiam amiserit, permaneat in peccato. Rursum, quia suscipiũtur aliquando occulta odia cõtra fratrem deferentem, quæ non facilè deponuntur. Huc accedit quod subinde in vno infamentur plures alij: vnde non facile tunc publicandum est, quando peccatum vnius de communitate redundat in notam totius communitatis: scribit enim D. Aug. epistola ad Hipponensem plebem: Cum de aliquibus, qui sanctũ nomen profitentur, aliquid criminis, vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt (scilicet æmuli & maligni) vt de omnibus hoc credatur.

46 Assignantur tamen à DD. aliquot casus in quibus secreta monitio nõ sit necessariò pręmittenda ante denuntiationem, vel publicam correptionẽ. Primus est, quando ex iustâ ratione putatur omnino monitio secreta nõ profutura: quomodo excusãt quidam actũ Iosephi, quãdo fratres suos apud patrẽ accusauit de crimine pessimo, vt habetur Gen. 37. quia obseruabat se nihil priuatis monitis posse efficere, præsertim quia oderãt illum. Ita docet Abulens. in cap. 18. Matth. quæst. 97. quamuis D. Thomas in responsione ad secundum aliter explicet: sed opinio Abulens. videtur verior.

47 Alter est: si quis sit dominus famę al-

terius,

alterius, talis enim non tenetur istum ordinem seruare: vt tradit hic D. Tho. ad 2. vnde Deus occulta hominum peccata potest publicè prodere & punire, in quo tamen non potest homo eum imitari, cum non sit alterius famæ dominus, nisi forte peculiariter hoc ei Deus iusserit, sicuti Petrus Act. 5. diuinâ authoritate peccatum Ananiæ & Saphiræ occultum manifestauit & puniuit.

48 Tertius est: quando qui peccauit, renuntiauit iuri suo hac in parte: quod aliquando ex honestis causis, vt ad maiorem cautelam, ad humilitatem animi, & alios profectus spirituales laudabiliter fieri potest, præsertim in illis cõmunitatibus, vbi eiusmodi praxis sine maioribus incommodis obseruari potest: tunc enim si quis delinquentem deferat sine monitione præmissâ, non faciet ei iniuriam, quia cessit ille iuri suo: idque non tantùm in paruis & venialibus, sed etiam in maioribus & mortalibus defectibus obseruari potest: quomodo in quibusdam religionibus dicuntur posse deferri defectus omnes ad superiorem, qui obseruati extra cõfessionem fuerint: quia religiosi cùm voluntariè amplexantur religionem in qua nouerunt talem consuetudinem aut constitutionem obtinere, censentur iuri suo (quod alioquin ad oppositum eis competit) renuntiare. Fundamentum huius casus sumi potest contra nonnullos ex cõmuni satis doctrinâ, quòd scil. homo sit dominus famæ suæ: proindeque ex honestâ causâ & fine, præsertim in ordine ad bonum spirituale possit licitè velle subire eius detrimentum. Quod autem attinet ad verba Christi Domini Matt. 18. non continent illa præceptum aliquod positiuum superadditum legi naturæ, vt ex sententia D. Thomæ 1. 2. q. 108 art. 2. & Quodlib. 4. art 13. & communi aliorum satis colligitur; qui docent in nouo Testamento nullam esse factam additionẽ ad præcepta naturæ per leges positias nisi in illis quæ ad Sacramenta & Sacrificium nouæ legis pertinent: quare cum per licitam renuntiationem iuris ad famam fiat, quod sine iniuriâ & sine peccato contra legem naturæ, possit delictum peccatoris alioquin occultum deferri proximè ad Superiorem, consequens est quod hoc ipsum etiam in illo casu non aduersetur mandato Christi quod proposuit & dedit loco citato. Prudenter tamen debent Superiores attendere, vtrùm ea quæ pro aliquo tempore salubriter & fructuosè sunt instituta, vt quando minor est fratrum numerus, quorum verè est cor vnũ & animus vnus, qui feruentiori conatu tendunt omnes ad proficiendum in charitate; Vtrùm, inquã, expediat illa etiam seruari, mutatis notabiliter rebus & circumstantijs: facilè enim fieri potest quod hæc quæ in parua cõmunitate valde promouent virtutes omnes, è contra in communitate maiori, & præsertim quando fraternum amorem incipit turbare occulta & latens æmulatio, vergant in multa incommoda & magna mala.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm testium inductio debeat præcedere publicam denuntiationem?

49 Respondetur: post admonitionẽ priuatam, prius esse adhibendos testes corã quibus fiat correptio illa, quàm procedatur ad denuntiationem publicam. Est D. Thomæ & patet ex doctrina Christi Matth. 18. *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum:* Rationem indicat D. Thomas hanc; quia de extremo ad extremum non est progrediendum nisi per medium; vt videlicet frater cum minimo quo fieri potest, incommodo emendetur.

50 Notandum est, vt testium adhibitio sit necessaria, duo requiri. Primum, vt priuata monitio non profuerit, vel omnino putetur non profutura, etsi bis terue adhiberetur: nam si quis speraret per monitionem priuatam aliquoties iterandam proficere, non deberet statim adhibere testes, nisi forsitan in dilatione esset periculũ, ne vel alijs noceret, vel apud se iterũ peccaret. Secundum est, vt spes sit adiunctionẽ testiũ non obfuturã sed profuturã: alioqui enim ista prætermissa statim ad denuntiationem erit veniendum: totus enim ordo fraternæ correptionis, quẽ Dominus præscripsit, est iuris naturæ, vt modò diximus, non tantum secundum singulos actus, sed etiam secundum ordinem actuum, vt scilicet primò moneatur priuatim, secundò adhibeatur vnus aut alter testis, & tertiò denuntietur Ecclesiæ siue prælatis, qui cũ maiori authoritate illum corripiant.

51 Sed obijcet aliquis: Videtur esse contra legem naturæ, quod quis adhibeat vnũ aut alterum dum corripit fratrem super crimine occulto, & quod ad superiorem deferat, si non fuerit emendatus: quia id videtur esse proximum infamare, dum peccatum eius occultum, alijs publicat: Deinde non apparet quo bono fine & fructu possint eiusmodi testes adhiberi, qui non sunt conscij criminis. Ob hoc argumentum Durandus in 4. dist. 19. quæst. 4. existi-

existimat in primo gradu esse sistendum, quando non sunt alij qui peccatum norũt; Adrian. autem in 4. tract. de Corrept. vtitur distinctione, videlicet, si peccatum sit transactum, neque continuetur actu, vt v. g. alienæ rei detentione: neq; putetur iterandum, quòd tunc, vt vult Durand. in primo gradũ sit sistendum: si verò vnum ex istis subsit, quòd tunc testibus & prælato iuxta ordinem præscriptum, possit aperiri. Sed absolutè dicendum est, siue illa subsint, siue non, modò constet quod proximus se non emendauerit per pœnitentiam, debere illum corripi secundum ordinem Euangelicum, etsi tibi soli cognitum crimen fuerit: vt docet Soto supra de tegendo secreto membro 2. qu. 1. Mald. hic, & alij communiter.

52 Vnde ad argumentũ Respondetur Neg. Assumpt: neq; enim hoc est infamare fratrem, sed cum aliquo detrimẽto in minori bono, vt est famæ, maius eius bonum vt est animæ, curare: quomodo medicus pro conseruatione totius corporis abscindit membrum minus necessarium: prout D. Tho. hac qu. diuersis locis subindicat. Accedit quod vix debeat reputari detrimentum, quia apud prudentes, quales adhibendi sunt, poterit tantundem ferè recuperare pœnitendo, quantum amisit peccati sui apud eos manifestatione.

Ad alterum respondetur, quod diuersi 53
sint boni fines & fructus adiunctionis testium: primò, vt ipsi conformiter iudicent esse peccatum quod frater admisit, si forsitan id minus viuaciter apprehenderet: Deinde, vt Ecclesiæ possit constare de proteruiã correpti, si nec sic monitus coram alijs se emendet, ac simul pateat eum qui corripit, fecisse officium, neque ipsum esse in causa, quo minus saluã famã secretiùs emendatus fuerit, si fortassis ob perseuerantem contumaciam cogatur denuntiare Ecclesiæ: quam rationem attingit Chrys. Tertiò, adhibentur, vt simul exhortentur ad resipiscentiam, vt videlicet plurium authoritate & respectu moueatur, & pudore salutari iniecto ad saniorem mentem conuertatur: Ita Hier. videturque hæc pene probabilior ratio: vnde non tanta vis in proprietate nominis testium erit facienda: sed dici potest, sumi generaliter quasi pro arbitris qui rei magis vtiliter gerendæ simul adhibeãtur: quamuis iuxta primam & secundam rationem etiam proprio officio testium fungantur, licet iuxta primam nõ sint tam testes facti quam iuris.

QVÆSTIO XXXIV.

De Odio,

In sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm quis poßit Deum odio habere?

1 INCIPIT modò D. Thomas tractare de vitijs cheritati oppositis, ac imprimis de odio: quia verò odium est motus potentię appetitiuæ, quę non mouetur nisi ab aliquo apprehenso, hinc priusquam ad articulum respondeat, præmittit Deum dupliciter ab homine apprehendi: vno modo secundum seipsum sicuti est: vt quando clarè videtur per essentiam: alio modo per effectus suos, cum scilicet inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellectu conspiciuntur.

2 Notandum præterea est, duplex odium à DD. distingui, scilicet odium abominationis, & odium inimicitiæ: prius dicitur illud, quo fugimus & auersamur aliquid vt malum siue nobis, siue alteri quem diligimus: posterius autem dicitur, quo volumus personæ malum vt illi malè sit. Nunc sit

CONCLVSIO Prima: Impossibile est 3
quod aliquis clarè videns Deum per essentiam, eum odio habeat. Est D. Thomæ & communis. Patet, quia Deus per essentiam est ipsa bonitas: quando igitur clarè videtur sicuti est, fieri nequit vt odio habeatur, quia totum quod videtur est obiectum amoris: est enim plenitudo omnis boni, vnde nihil mali apprehendi in eo potest, quia malum est defectus boni.

CONCLVSIO Secunda: Similiter 4
Deus odio haberi non potest, vt cognoscitur in creaturis, & consideratur secundum illos effectus qui nullo modo possunt humanę voluntati displicere & ingrati esse: sed potest odiò haberi ab improbis, vt est author eorum effectuum, qui peruersæ & inordinatæ voluntati displicere & mo-

& molesti esse solent. Est quoque D Thomæ, & declaratur; quia secundum quod Deus cognoscitur dare nobis Esse, Viuere, & Intelligere, non possum illum vt præcisè authorem horum effectuum refugere & auersari; aut ei malè velle; quia sunt effectus omnibus appetibiles & amabiles: nam & boni sunt, & nihil molestiæ adferunt, neque voluptatem impediunt quantum ex ipsis est: sed quatenus Deus author est legis prohibentis facere ea in quæ natura corrupta hominis est procliuis; & vt vindex transgressionum contra legem, pœnas debitas reddit, sic à perditis quibusdam & desperatis odio habetur; iuxta illud Psal. 73. *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper:* & Ioan. 15. *Nunc autem oderunt & me & patrem meum.* Quod igitur mali Deum oderint, non fit quod in Deo aliquid mali reperiatur, sed quia ipsi mali sunt; quibus bonus Deus bene est contrarius coërcendo & iustè puniendo.

5 Cæterum quæ in vtrâque Conclusione dicta sunt, locum habent tam in odio inimicitiæ, quàm abominationis: neque enim Deo clarè viso secundum essentiam suam possumus malè velle, neque illum tanquã malum refugere & auersari: sicut nec ea contra illum præstare possumus vt authorem effectuum qui omnibus simpliciter secundum se amabiles sunt: sed vtroque odio potest impius odisse Deum, vt authorem aliorum effectuum: potest enim auersari ac detestari tanquam mala ac sibi contraria ea quę voluptates desideratas excludunt, & magis pœnas quæ eâ de causâ instigantur, & proinde etiam authorem eorundem, vt authorẽ talium: & quia Deus est eorum author, fit quod etiam contra ipsum Deum maligno affectu inardescant, eique pessimè velint desiderando quòd omni perfectione & virtute, ac ipso suo Esse destitueretur, atque adeo non esset. Solet enim odiũ inimicitiæ nasci ex odio abominationis: quandò enim aliquem tanquam nobis grauem & contrarium, aut vt molestias inferentem auersamur, solet tunc accedere; vt etiam odio inimicitiæ in personam incipiamus commoueri, & illi malè velle.

ARTICVLVS II.

Vtrùm odium Dei sit maximum peccatum?

6 CONCLVSIO D. Thomæ est: Odiũ Dei inter alia peccata est grauius. Probatur Primò: Quia ratio culpæ consistit in voluntaria auersione à Deo; atqui hæc auersio à Deo per se importatur in odio Dei: in alijs autem peccatis quasi participatiuè, & secundum aliud, sicut enim voluntas per se inhæret ei quod amat, ita per se refugit id quod odit. Vnde quando Deum quis odit, voluntas eius secundum se, & per se à Deo auertitur; sed quando alio peccati genere peccat, vt quando fornicatur, non auertitur secundum se, inquit D. Tho. sed solum secundum aliud, in quantum appetit inordinatam dilectionem quę habet annexam auersionem, quatenus scilicet est contra diuinum præceptum; quod per transgressionem contemnitur. In odio itaque Dei per se & directè auertit se peccator à Deo, dum auersatur eum, eique malè vult: in alijs peccatis autem interpretatiuè & indirectè auertit se, dum facit eà cum quibus non potest stare mutua conuersio, scilicet ipsius hominis ad Deum, & Dei ad ipsum. Quòd autem per se est tale aut tale in quolibet genere est potius, quã quod tantum secundum aliud, & quasi participatiuè est tale; ergò &c.

Probatur Secundò, quia charitas est maxima virtus cui odium oppinitur; ergo odium est maximum peccatum: quando enim vnum oppositum secundum se euertit substantiam & formalem rationem optimæ virtutis, non potest non illud esse vitium pessimum: peius namque est quàm amare rem summo odio habendam; quia in omni re odibili quæ diligitur, inuenitur adhuc aliquid boni, quia malum per se non subsistit: in re autem summè diligendâ, vt in Deo, nihil omnino mali reperitur; ergo cum omne peccatum sit odisse diligenda, vel amare odienda, consequens est, odium Dei omnium peccatorum esse pessimum. 7

Notandum tamen est, odium Dei aliud alio posse esse grauius: quia odium inimicitiæ est grauius odio abominationis: & inter odia siue abominationis, siue inimicitiæ, possunt etiam esse gradus secundum quod sunt magis deliberata, aut magis cõtinuata, aut secundum alias circumstantias. Dicitur itaque odium Dei esse peccatum grauissimum, scilicet ex genere suo, ita vt cæteris paribus hoc ex propriâ suâ ratione grauius sit quolibet peccato alterius rationis. 8

ARTICVLVS III.

Vtrùm omne odium proximi sit peccatum?

CONCLVSIO D. Thomæ est: Simpliciter accipiendo odiũ fratris, puta secun- 9

secundum id quod à Deo est, siue quoad naturam, siue quoad gratiam) sic semper est cum peccato. Declaratur quia odium opponitur amori quem proximo debemus, eumque per se excludit; ergò &c. Quod itaque dicitur Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, &c. non potest meus esse discipulus*, hoc intelligendũ est, non quod parentes sint odio habendi secundum naturam, vel affinitatem quâ nobis coniunguntur (sic enim amandi & honorandi sunt) sed secundum affectus inordinatos, quibus præstant nobis impedimẽtum progressus in iustitia & virtutibus. Sic etiam dixit Psaltes: *Perfecto odio oderam illos*, scilicet peccatores: quia oderat in ipsis peccatum, quod non est à Deo, sed ab homine & diabolo: idq; volebat destructum & annullatum, vt bene esset illis secundum ea quæ à Deo habent: hoc autẽ simpliciter spectat ad amorem fratris, atque adeò etiã ipsius Dei, velle malum culpæ destructum & abolitum, quod Deo displicet & bonum fratris impedit. Vnde eiusmodi odium non est simpliciter odium proximi: imò nec odium proximi dicendum, sed magis amor, & beneuolentia.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm odium proximi sit grauissimum peccatorum quæ in proximum committuntur?

10 RESpondetur cum D. Thoma: Odium proximi esse peccatorum grauissimũ quæ committuntur in proximum, quantum est ex parte deordinationis ipsius peccantis: atque ita fit, quod simpliciter inter illa peccata sit grauissimum in ratione culpæ ex genere suo: sed quantum ad nocumentum quod proximo infertur, exteriora contra proximum, esse peiora siue magis noxia. Patet, quia omnia externa peccata in proximum eatenus peccata sunt, quatenus ab aliquâ malignâ voluntate cõtra proximum procedunt, & sunt veluti participatum quoddam & limitatum odiũ: vt v. g. fur malè vult proximo quoad res eius exteriores, quibus eum exuit, sed non quoad vitam, & sic de alijs: qui autem proximum odit, cupit eum omni bono destitui, vt illi malè sit: atque ita in ratione culpæ, odium proximi est cæteris grauius. Interim hæc maligna voluntas interna non adfert proximo tanta mala, & incommoda, quàm actus iniuriosi exteriores, vt per se manifestum est.

ARTICVLVS V.

Vtrùm odium sit vitium capitale?

CONCLVSIO D. Thomæ est negatiua. Et ratio est, quia capitale vitiũ dicitur ex quo vt plurimũ nascantur alia peccata, ita vt sit principium in destructione virtutis, quæ fit per vitia; odium autem non est initium eiusmodi destructionis, sed potius consummatio & complementum. 11

ARTICVLVS VI.

Vtrùm odium oriatur ex inuidiâ?

CONCLVSIO D. Thomæ est affirmatiua. Et probatur, quia sicuti mouemur ad amandum ea quę nos delectant, in quantum ex hoc ipso accipiunt & induunt quandam rationem boni (nam & ipsa delectabilitas & delectatio sunt bonum quoddam) ita mouemur quoque ad odiendum illa, quæ nos affligunt & contristant, in quantum ex hoc ipso accipiuntur sub ratione mali: atqui inuidia facit nos contristari & affligi ex bono & prosperitate proximie, aque apprehendi sub ratione mali, & sic consequenter facit nos moueri tum ad illa, tum ad proximũ odio habendum, quia nos contristant in quantum sunt bona illius; ergo odium ex inuidia causatur. Addit D. Thomas in resp. ad 3. odium etiam posse ex irâ causari, sed minus directè: in quantum scilicet per iram appetimus ab initio malum proximi secundum quandam mensuram, prout scilicet habet rationem vindictæ; sed postmodum per continuitatem eò dilabimur & transferimur, vt malum proximi desideremus absolutè, quod pertinet ad rationem odij. 12

QVÆST.

QVÆSTIO XXXV.

De Acedia.

1 DE Acedia proponit D. Thomas quatuor articulos, scilicet vtrùm sit peccatum? an speciale? an mortale? & an capitale? Respondetur autem ad omnes affirmatiuè. Pro intellectu autem horum

Notandum Primò cum D. Thoma hîc artic. 1. ex Damasceno, Acediam generaliter esse tristitiam quãdam aggrauantem, quæ sic deprimit hominis animum, vt nihil agere libeat: sed à Theologis communiter accipi pro eiusmodi tristitia circa spirituale bonum; quæ si sit circa actus necessarios, siue ex præcepto, siue ex voto, semper est mala: & quidem si inualescat vt causet operis omissionem, vel animum paratum ad omittendum, erit mortale si materia grauis sit.

2 Notandum Secundò, tristitiam hanc non constituere speciale peccatum, quatenus consideratur esse circa spirituale bonum in communi, siue circa operationes cuiuslibet virtutis: quia vitium quodlibet oppositum cuiusque particularis virtutis natum est generare talem tristitiam aggrauantem hominem circa actus virtutis.

3 Addit autem D. Thomas, neque habere rationem specialis peccati in quantum refugit spirituale bonum prout laboriosum aut molestum corpori, vel delectationis eius impeditiuum: quia (inquit) hoc etiam non separat acediam à cæteris vitijs carnalibus, quibus aliquis quietem & delectationes corporis quærit: sed esse peccatũ speciale, quatenus est tristitia quædam de diuino bono, quæ scilicet opponitur gaudio, quod suprà diximus profluere à charitate; quæ quia Deum tanquam amicum dignissimum habet, procreat gaudium de omnibus eius bonis, & perfectionibus: sed non sicuti gaudium illud effectus est, & quasi secundarius actus charitatis, ita acedia ista erit effectus odij: quin magis videtur ipsa esse quædã origo & causa odij: quando enim quis concipit tristitiam quæ animum eius grauat de bono Dei, eiusque perfectionibus, vt de eius omnipotentiâ, scientiâ, iustitiâ, quia eius virtutes & perfectiones non lubet imitari & pro modulo nostro assequi, tunc sequi solet inde odiũ contra Deum, eiusque bona. Ex quibus patet etiam, quomodo acedia vt speciale vitiũ ex genere suo sit quoq; peccatũ mortale; quia de se, secundum propriam rationem, contrariatur charitati saltem secundũ charitatis effectum, qui est de diuino bono tanquam de bono amici gaudere.

Rectè autem docet D. Thomas art. 1. ad 3. Acediam esse vincendam resistendo: è contra autem luxuriam esse vincendam fugiendo: quod etiam docet Bern. serm. 3. de Ascensione: tunc enim oportet fugiendo superare, quando vitium est tale, vt assidua cogitatio materiæ augeat incentiuum peccati, prout contingit in carnalibus: sed resistendo oportet vincere, quando vitium est tale, vt oriatur ex non satis seriâ & maturâ apprehensione materiæ, ita vt assidua eius cogitatio minuat, vel tollat incentiuum peccati, prout in acedia fit: quia quo quis magis grauiter & maturè considerat diuinum bonum, & diuinas perfectiones, eò amplius excitatur ad earum amorem, & ex amore sequitur gaudium, quod tristitiam aggrauantem animum depellit. 4

Denique docet D. Thomas ex S. Gregorio lib. 31. Moral. c. 31. acediam esse vitium capitale, vtpote ex quo nata sunt sequi plura alia vitia, quæ cit. loco D. Gregorius sex numero ponit: scilicet Desperationem, Pusillanimitatem, Torporem, Rancorem, Malitiam, & Euagationem circa illicita: quia acedia vt est tristitia quædam & vult fugere contristantia, & illa quoque impugnare. Vt itaque vult ista fugere, causat desperationem quâ fugit bonum diuinum, à quo tanquam causâ tristitiæ abhorret, ad quod nos aliàs spes ducit: Similiter pusillanimitatẽ & torporẽ: quia non tantũ ipsum bonum diuinum vt contristans fugit, sed & illa quæ ad ipsum habent ordinem, & sic pusillanimitate abijcit bona ardua ad Deum tendentia, vt quæ sunt consilij: & torpore refugit illa quæ faciunt ad communem iustitiam, vt quæ sunt præcepti. Quatenus autem impugnat contristantia, sic causat rancorem, quo auersatur & indignatur cõtrà eos qui bonis diuinis & spiritualibus insistunt & ijs gaudent: Item malitiam, quâ in detestationem bonorum spiritualium abripitur: pro tali enim animi affectione hic accipitur, non in communi, vt est genus vitiorum, vt notat D. Tho. Vltimò euagationem circa illicita, quâ amplexatur exteriora delectabilia, & fugat spiritualia ex quibus ipsa acedia tristitiam sumit. 5

QVÆST.

QVÆSTIO XXXVI.

De Inuidiâ.

1 PROPONIT D. Thomas similiter quatuor articulos de inuidiâ, scilicet an inuidia sit tristitia? an peccatum? an mortale? an capitale? & respondet quoque ad singulos affirmatiuè. Pro intellectu pleniori

Notandum est, Inuidiam propriè esse tristitiam de bono proximi vt hoc consideratur tanquam malum quoddam nostrum, quatenus scilicet apprehenditur tãquam diminutiuum nostræ æstimationis, aut excellentiæ, dum cupimus alios in eo superare, aut æquari: atque ita manifestum est, quod aduersetur charitati quæ gaudet de bono proximi tãquam de suo: & proinde ex genere suo esse peccatum mortale cum contrarietur charitati, quæ est vita animæ.

2 Cæterùm, quia inuidiâ tristatur de bono alterius, vel gloriâ, quatenus obscurat nostram virtutem in quâ cupimus ei æquari, aut excellere, hinc fit vt inuidia non soleat esse nisi circa eos, qui sunt aliquo modò similes, aut æquales nobis: nullus enim nisi insanus studet se extollere, aut æquare ijs qui sine omni comparatione sunt ipso superiores. Vnde non solet esse inuidia plebei contra Regem, nec Regis contra plebeios.

3 Oritur autem hoc vitium partim ex superbia, partim ex pusillanimitate, vt indicat D. Tho. art. 1. ad 3. superbia enim facit, vt inordinatè appetatur propria excellentia, aut æstimatio apud alios: pusillanimitas autem facit, vt alterius gloria & excellentia appareat nobis valde magna, & offuscare nostram.

4 Differt verò inuidia à zelo, & alijs quibusdam vitijs affinibus, vt odio, & indignatione, siue Nemesi vt vocatur à Philosopho: à zelo quidem, quod hic doleat de bono alterius, non quia proximus illud habet, sed quia à nobis non habetur: potestque proinde zelus esse bonus: nunquam autem potest bona esse inuidia, teste D. Hieronymo in cap. 5. ad Gal. æmulari enim spiritualia bona, laudabile est, iuxta illud Apostoli 1 ad Cor. 12. *Æmulamini autem charismata meliora:* vnde quando zelus excitat ad comparandas easdem virtutes bono & recto fine, quas in proximo contemplamur, tunc honestus erit: In temporalibus autem frequenter eiusmodi tristitia solet esse mala, videlicet dum inordinatè quis dolet, quod bonis temporalibus non affluat, sicuti alterum affluere videt: quæ inordinatio non sic habet locum in bonis spiritualibus, quæ nos meliores efficiunt: nemo enim potest nimis humilitatem, & alias veras virtutes appetere, sicuti contingit excedere in appetitione inordinatâ & nimiâ bonorum temporalium, ex quâ nascitur inordinata tristitia ob eorundem carentiam.

Ab odio autẽ differt, quod hoc sit propriè quædam nolitio boni quatenus proximo bonum est, & affectus perditionis ac interitus proximi & bonorum eius, vt ipsi malè sit: sed inuidia est tristitia de bono proximi quatenus illud apprehẽditur malum nostrum sub ea ratione, qua putatur nos diminuere aut obscurare, vt dictum est. 5

Ab indignatione denique siue Nemesi differt, quod hæc sit dolor quidẽ de bonis & prosperitate aliorum eâ de causâ, quod talibus bonis reputentur indigni: cuiusmodi motum videtur passus ille qui dixit: *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.* Hæc autem Christianis etiam in vitiò est, quando deliberatè admittitur, quamuis non fuerit à philosophis pro vitio habita, qui non audierant hanc lectionem Spirtus Sancti Ps. 36. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris super facientes iniquitatem:* & iterum *Noli æmulari in eo, qui prosperatur in viâ suâ: in homine facientе iniustitias,* id est, nolite cruciari, & affligi prosperitate malignorum, vt exponit S. Augustinus. 6

Et ratio est, quia non est inordinatum, quod improbi temporalibus bonis ex diuinâ permissione, aut concessione affluant, & abundent: inprimis quia hæc sunt quædam bona infima, & quæ pro veris bonis non reputantur, iuxta illud Christi apud Lucam cap. 16. *Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis: quod verum est, quis credet vobis?* vnde etiam Psaltes postquam dixerat: *Noli æmulari in malignantibus* posteà addit: *Quoniam tanquam fœnum velociter arescent: & quemadmodum olera herbarum citò decident.* Deinde quia ille est ordo diuinæ prouidentiæ, quòd vel pro quibusdam steriliter bonis operibus, quæ mali etiam aliquando exercent, terrenam accipiant mercedem, vel quòd in grauius iudicium ijs obuenire sinantur, 7

finantur, iustū tamen, quibus ipsi suâ malâ voluntate noscuntur abusuri: sic vt inde grauiores pœnas suo tēpore luāt. Quare super istis non debemus indignari: sed Dei diuinæ prouidentiæ, & occulto iudicio cū modestiâ animi relinquenda sunt.

8 Aduertendum tamen est hos animi motus etsi aliquo modo contra charitatem proximi sint, rarò tamen esse peccata mortalia, nisi ita increscerent; vt homo insurgat cōtra diuinam prouidentiam, aut inducatur ad deserendum studium virtutum, & pietatis, vbi se videt multa aduersa, aut incommoda pati, & impios in via sua prospere agere; ideoque sinat se pertrahi ad amplectendam viam impiorum: quâ tentatione etiā iusti aliquando pulsantur, in quorum persona videtur dixisse Psaltes ea quæ allegauimus ex Psal. 72. *Mei autem pene moti sunt pedes*, &c. Vt autem contra eiusmodi tentationem se muniant, attendere debent quod sequitur circa medium eiusdem Ps. *Veruntamen propter dolos posuisti eis: deiecisti eos dū alleuarentur. Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt: pereunt propter iniquitatem suam*, &c. Non habet autem eiusmodi indignatio locum in spiritualibus: quia bona spiritualia, vel sunt virtutes, vel scientiæ, quæ sunt dotes voluntatis, vel intellectus: si enim virtutes sint, faciunt hominem se dignū eo ipso quo habentur; scientiæ autem non ita per se faciunt hominem dignum, sed labor & studium quibus sunt comparatæ.

9 Denique hic quoque articulo 4. docet D. Tho. de Inuidiâ, sicuti antea de Acediâ ex D. Greg. quod sit vitium capitale, quia scilicet in promptu est, vt ex illa oriantur alia vitia, quæ loco supra citato ponit hæc esse: scilicet Odium, susurrationem, detractionem, exultationem in aduersis proximi, & afflictionem in prosperis eius: quæ hac ratione ex inuidia nasci ostendit D. Tho. in resp. ad 3. Quia in conatu seu studio ipsius inuidiæ est aliquid se habens vt principium, aliquid vt medium, aliquid vt terminus. Principium autem est, vt quis diminuat gloriam alterius, idq; vel in occulto, & sic nascitur susurratio, vel in manifesto, & sic committitur detractio. Medij locum tenent exultatio de aduersis, & afflictio de prosperis: quādo enim inuidus intendens diminuere bonum proximi, idipsum assequitur, tunc exultat de illâ diminutione: si autem non valeat assequi, tunc affligitur. Terminus autem est in ipso odio, quia sicut bonum delectans causat amorem, ita tristitia causat odium, quando amouere nō potest illud vnde ipsa oritur.

Notat autem D. Tho. afflictionem de bonis proximi dupliciter posse nasci: vno modo, vt quis tristetur de bonis proximi quatenus hæc sunt causa gloriæ & æstimationis eius, & sic non differt ab inuidiâ: alio autem modo, vt quis tristetur de illis, quatenus ea eueniunt contra conatum ipsius inuidentis, quo nititur ea impedire; & sic est filia inuidiæ. 10

QVÆSTIO XXXVII.

De Discordia.

1 PROPONIT D. Thomas hac de re duos art. scilicet, Vtrū discordia sit peccatum? & an sit filia inanis gloriæ? Pro explicatione

Notandum est, discordiam generaliter esse voluntatum, aut iudiciorum dissensionē: quæ oriri potest ex diuersis principijs vel causis: & secundum hoc posse aliquādo esse iustam, & actum virtutis: aliquando iniustam & peccatū. Iusta enim est discordia, quâ quis ab altero dissentit in hæresi, aut falsâ doctrinâ cōtra bonos mores, aut non consentit alteri in proposito, aut voluntate malè faciendi. E contrà, discordia alicuius qui ex proteruia dissentit ab eo qui sanam doctrinam tū fidei, tum morum tradit, aut tenet. & qui cupit in omnibus honorem Dei, & proximi bonum promouere, est iniqua, & peccatum: & qui huiusmodi fouet, is propriè dicitur causa discordiæ, & peccati quod secundum communem apprehensionem, nomen discordiæ importat.

Respondet itaque D. Tho. discordiam, quæ aduersatur concordiæ quam generat charitas, quatenus hæc multorū corda ad idem sapiendum, & idem volendum secundū Deū pro diuini amoris promotione, & proximi bono, in vnum coniungit & vnit, esse peccatum: & quidem ex genere suo mortale, quando quis scienter & ex intentione dissentit proximo, sic vt velit, aut teneat contra illum quæ sunt contra bonū diuinum, aut contra proximi salutē: hoc enim manifestè contrariatur charitati, quæ adunat corda diuersorum ad idem in talibus sentiendum, & volendum: Licet (inquit) primi motus huius discordiæ propter imperfectionem actus, sint peccata venialia. 2

6 Notat autem, aliquando Concordiam eiusmodi tolli per accidens, vt quando intentio diuersorum tendit nimirùm sincerè ad bonum quod pertinet ad honorem Dei, vel vtilitatem proximi: sed vnus existimat hoc esse bonum: alius autem habet contrariam opinionem: vbi ex alterutrâ parte poterit esse discordia contra bonum Dei, vel proximi; sed per accidens, vt patet propter aliquam scilicet ignorantiam: & talem discordiam dicit non esse peccatum, neque repugnare charitati: quia videlicet vtraque pars putat bonâ fide se pro charitate agere: & sic est consensio voluntatum circa finem, quamuis sit diuersitas opinionum circa media.

4 Addit tamen D. Thomas exceptionem: nisi eiusmodi discordia esset cum errore circa ea quæ sunt de necessitate salutis, aut qui aliàs sit culpabilis, vel nisi fiat cum indebitâ pertinaciâ. Cæterùm poterit etiam discordia esse contra alias virtutes, prout diuersæ virtutes possunt nos obligare ad consentiendũ alteri: vnde vitium illud nõ semper tantum modò est contra charitatẽ: quando enim quis discordat à voluntate superioris cui ex obedientia tenetur consentire, erit discordia eius contra obedientiam. Item quando quis discordat à voluntate creditoris exigentis debitum, vbi & quando debet illi satisfieri, erit discordia illius contra iustitiam. Sed D. Thomas tractat hic specialiter de discordia, vt modo explicato aduersatur charitati, & prout videtur statuere speciale peccatum.

Quomodo autem discordia sit filia inanis gloriæ sic demonstrari potest: quia discordia ex eo nasci solet, quod aliquis inordinatè inhæreat suo affectui, vel opinioni: quod autẽ quis ita insistat proprijs, vt nolit cedere meliùs sentientibus, aut operantibus, causatur ex superbia, quâ refugit videri inferior alijs in scientiâ aut virtute; ergò &c. Vide D. Tho. hic art. 2. 5

QVÆSTIO XXXVIII.

De Contentione.

1 PROPONIT D. Thomas hac quæstione duos articulos: scilicet, vtrũ Contentio sit peccatum mortale? Et, an filia inanis gloriæ? Pro explicatione

Notandum est, Contentionem generaliter esse pugnam verborum: importat enim contrarietatem quandam in sermonibus, sicut discordia in voluntatibus. Est autem duplex Contentio: vna quâ veritas oppugnatur; & definitur à D. Amb. esse impugnatio veritatis cum confidentia clamoris: & hæc est peccatum mortale, quando de industriâ & ex animo oppugnatur veritas pertinens ad fidem, vel bonos mores: secus est si ex probabili ignorantiâ, aut exercitij gratiâ id fiat.

2 Altera est, quâ oppugnatur falsitas: & hæc non est peccatum, sicut nec illa quâ tantum exercitij causâ, veritas impugnatur, vt diximus: nisi tamen esset excessus, v. g. in clamore incondito, in gestibus incompositis, in præcipitatione, in animositate, vel in alijs similibus: qualia adhiberi solent sæpius ad ostentationem magis, quã ad instructionem auditorij: quę tamen per se non tam contra charitatem sunt, quàm virtutem modestiæ: nec sunt peccata mortalia, nisi fortassis interuenirent grauiores iniuriæ, aut scandala. Quando autem veritas defenditur, aut falsitas oppugnatur absque omni excessu, tunc potiùs eiusmodi disputatio, dicenda erit defensio veritatis, quàm contentio quæ secundum communẽ apprehensionem videtur semper importare aliquid vitij. Vnde Ambr. non sine ratione addidit in eius descriptione, cum confidentiâ clamoris: quod etiam potest habere locum, quando falsitas impugnatur, aut veritas defenditur.

Oritur autem hoc vitium proximè ex discordiâ, vt ex dictis tum quæst. præced. tum hâc, satis potest intelligi. Et mediatè ex appetitu vanæ gloriæ. Vide D. Thom. artic. 2. & D. Aug. lib. pene toto contra Cresconium grammaticum. 3

QVÆST.

QVÆSTIO XXXIX.

De Schismate.

In quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum schisma sit peccatum speciale?

1 NOTANDVM est, schisma generatim significare scissionem, seu diuisionem: ex vsu autem SS. PP. ac DD. hoc nomen accommodatum esse ad peculiariter designandam Ecclesiæ diuisionem, seu rupturam: iuxta quam acceptionem describi potest: Quod sit dissessus quo quis ex intentione se separat ab Ecclesiæ vnitate, interim tamen retentâ Christiani nominis professione. Colligitur hæc descriptio ex D. Tho. hîc in Corpore. Quamuis itaq; omnis hæresis habeat coniunctum schisma, non tamen omne schisma habet necessariò coniunctam semper hæresim: sicut enim ad Ecclesię vnitatem non tantum requiritur fides, sed etiã fidelium tanquam membrorum vnius corporis vnio & communicatio, tum inter se, tum cum superioribus in Dei cultu, Sacramẽtis & sacrificijs, ita ab hâc vnitate receditur, non tantùm per infidelitatem; sed etiam per substractionem, quâ quis se separat à communicatione in rebus diuinis cum alijs Ecclesiæ membris.

2 Vnde Diuus Augustinus lib. de Fide & Symbolo cap. 10. Schismatici (inquit) discissionibus iniquis à fraterna charitate dissiliunt, quãuis ea credunt quæ credimus. Tale schisma fecerunt Chore, Dathan, & Abyron Num. 16. quando cõtra Moysen, & Aaron, Sacerdotiũ inuadere voluerunt. Hinc ab aliquibus diuiditur schisma in illud quod est cum hæresi coniunctũ, & in illud quod est absq; hæresi seiunctũ. Hoc interim verè docent D. Hier. in c. 3. ad Tit. & D. Aug. l. 2. contra Cresconium, pene semper schisma continuatũ abire in hęresim.

3 Addidi in descriptione, Retenta Christiani nominis professione, quia si quis trãseat ad Iudaismum vel paganismum nõ solet dici schismaticus, sed Iudæus aut Paganus. Si quis etiã contra hæreticum velit omnino schismaticum distinguere, addat: & Catholicâ doctrinâ retentâ: quod & nomen Schisma secundũ notionẽ à DD. ei accommodatã, videtur satis requirere: ingerit enim audientibus apprehensionem: quod facientes schisma constituant aliquã partem eiusdẽ rationis suo modo cum ijs à quibus se separãt: quod perfectius cõuenit illis schismaticis, qui eandem adhuc tenent doctrinam cum Ecclesia, quã hæreticis: licet etiã de his id suo modo propter nominis Christiani professionẽ possit dici. Vnde Aug. loco cit. in principio capitis ita scribit: Credimus & S. Ecclesiam, vtique (inquit) Catholicam: nam & hæretici & schismatici cõgregationes suas Ecclesias vocãt.

Aliter etiam diuidi solet schisma in illud, quo receditur à summo Pontifice: & in illud quo immediatè receditur à Pastoribus, siue Episcopis inferioribus: & consequenter ab alijs qui communionem cum istis retinere volunt: quemodo schisma fecerunt Donatistę qui se primò segregarunt à cõmunione Cæciliani Episcopi Carthaginensis obijcientes ei crimina nõ probata, inquit Aug. lib. de Hæresibus, hæresi. 69. & appellantes pro suo Maiorino (quem in cathedrã volebant intrudere) ad Melchiadem Romanũ Pontificẽ: sed post causam corã eo dictam atque finitam, falsitatis rei deprehensi pertinaci dissensione firmatã, in hæresim schisma verterunt; tanquam Ecclesia Christi propter crimina Cęciliani, de toto terrarum orbe perierit, atque in Africâ tantùm in parte Donati remanserit: in alijs autem terrarum partibus quasi cõtagione communionis, inquit Aug. (scilicet cum Cæciliano, & ei adhærentibus) fuerit exstincta. His præmissis 4

Respondetur cum D. Thoma, Schisma esse peccatum speciale contra charitatem: Declaratur, quia pluribus modis aduersatur charitati: ac inprimis proximi, dicit enim D. Greg. lib. 18. Moral. cap. 5. de illo, qui de Deo rectè sentiens à S. Ecclesię vnitate diuisus est, constare quia proximũ non amat, quem habere socium recusat: & D. Augustinus de fide & symbolo cap. 10. docet, quod schismaticus non pertineat ad Ecclesiam, quoniam Ecclesia diligit proximum: schismatici autem à fraternã charitate iniquis discissionibus dissiliunt: Deinde aduersatur schisma sicut & hæresis etiam charitati Dei, cuius tunicam puta Ecclesiam lacerant & discindunt: 5

Vt constat ex vitâ S. Petri Episcopi Alexandrini vbi legitur, quod Deprecatoribus pro Arrio à fidelium communione seiuncto, responderit: noctu sibi apparuisse IESVM veste discissâ, causamque rei sciscitanti dixisse: Arrius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilacerauit. Tertiò etiam charitati propriæ siue erga seipsum: quia omnibus fraternæ charitatis, & communionis emolumentis se priuant, qui ab Ecclesiæ vnitate recedunt: & omnia bona spiritualia quæ alioquin haberẽt, sibi reddũt inutilia, vtpote quorum nec martyriũ habeat præmium; sed pœna est supplicij, vt docet August. lib. 1. contra Donatistas cap. 9. Quod etiam tradit D. Chrys. hom. 11. in epistolam ad Ephes.

6 Cęterùm proprijssimè intelligitur schisma esse peccatum speciale contra charitatem; quatenus corpus Christi, quod est Ecclesia, lacerat & diuidit, cuius vnitati & integritati affectu & opere inhæret & incumbit Charitas.

ARTICVLVS II.

Vtrùm schisma sit peccatum grauius infidelitate?

7 CONCLVSIO D. Thomæ est: Infidelitas ex obiecto suo est peccatum grauius, quàm sit schisma. Probatur, quia infidelitas est peccatum cõtra ipsum Deũ, quatenus est prima veritas: schisma autem est contra Ecclesiasticam vnitatem, quam sollicitè procurat & amat charitas: quæ vnitas est quoddam bonum participatum, inquit S. Thomas, & minus quam sit ipse Deus; ergo infidelitas est peccatũ grauius ex obiecto, ac proinde simpliciter loquendo, dicendum est esse grauius.

Ex diuersis tamen circumstantijs fit,
8 quod schisma frequenter sit grauius: vt propter maiorem contemptum, propter maiora pericula & incommoda grauiora coniuncta. Vnde illud exaggerat valdè August. lib. 2. contra Donatistas cap. 6. vbi notat Idololatriam in veteri Testamento fuisse punitam gladio; schisma autem hiatu terræ, & cœlesti igne. Similiter de illo loquitur D. Chrys. loco antè cit. vbi schismaticos æquiparat crucifixoribus Christi, & vult non esse peccatum minus hæresi: Eius autem originem rectè docet esse ambitionem, & affectum gerendi imperij siue magistratus, vt possint esse dominantes in Clero.

ARTICVLVS III.

Vtrùm schismatici habeãt aliquam potestatem?

RESpondetur: non amittunt schismatici potestatem Ordinis, si quam prius 9
habuerint: quâ tamen non possunt licitè vti: perdunt verò potestatem Iurisdictionis: vnde non possunt (inquit D. Thomas) neque absoluere, neque excommunicare, nec indulgẽtias facere, aut aliud huiusmodi; quod scil. à iurisdictione necessariò est dependens: Omnem enim potestatem talem censetur Ecclesia ab illis auferre, quãdo se manifestè ab Ecclesia separant.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm schisma sufficiat ad excommunicandum?

CONCLVSIO est affirmatiua, & probari potest primò ex Scripturis: Lib. 10
Numeror. enim cap. 16. mandat Dominus filijs Israel, quatenus recedant à tabernaculis impiorum, qui schisma fecerant, & ne tangant ea quæ ad illos pertinent; ergò Ecclesia meritò etiam excludit illos à societate, & communione fidelium, qui Ecclesiam discindunt.

Probatur Secundò: Quia iustissima pœna est, vt quis in eo puniatur in quo delinquit, vt significatur Sap. cap. 11. atqui schismatici delinquunt in eo, quod separent se ab Ecclesiâ; ergo iustissimè agit Ecclesia, quando in punitionem illius ipsa rescindit eos à corpore suo, & priuat omni communione cum fidelibus suis: atque adeo vt illi, qui Ecclesiæ subdi nolunt, nec eius spirituali potestate corrigi & emendari, coërceantur potestate sæculari. Vide dicta supra de hæreticis.

QVÆSTIO XL.

De Bello.

In quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm bellare semper sit peccatum?

1 RESPONDETVR & sit Conclusio vnica: Bellum non semper est peccatum: sed aliquando licitum est, etiã tempore noui Testamenti Christianis: quando scil. hæ tres conditiones concurrunt: quod nimirum indicatur ab eo, qui habet authoritatem: Deinde, quod iusta adsit causa: Tertiò, quod rectâ intentione geratur. Ita ferè D. Tho. hic: Estque conclusio de fide certa, contra Manichæos inprimis, qui absolutè bellum dãnabant, tanquam ex naturâ suâ & obiecto ita malum, vt nunquam licitè possit, aut potuerit geri aut suscipi. Vnde teste D. August. lib. 22. contra Faustum cap. 74. & seqq. reprehendebant grauiter Sanctos illos veteris Testamenti, qui leguntur fuisse fortes in bello, & castra vertisse exterorũ, vt loquitur Apostolus ad Hebr. c. 11. Deinde etiam est contra quosdam hæreticos nostri temporis, qui volunt nullo modo licitum esse bellum tempore noui Testamenti, quamuis antiquis fuerit permissum, sicuti multi sentiunt de libello repudij, cum quibus videtur sentire Erasmus in annotat. ad c. 3. & 22. Lucæ & alibi. Sed

2 Probatur Conclusio Primò ex Scripturis: Abraham Genes. 14. expeditis vernaculis suis trecentis decem & octo gessit bellum, & persecutus est quatuor Reges qui tulerant Loth filium fratris eius cum omni substantiâ suâ, & percussit eos. Dum autem à cæde rediret, benedictionem à Melchisedech Sacerdote Dei altissimi meruit accipere: *Benedictus Abraham* (inquit) *Deo excelso, qui creauit cœlum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.* Iudic. c. 3. dicitur: *Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israel, & omnes qui non nouerãt bella Chananæorum: & postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.* 1. Reg. 15. ita loquitur Samuel ad Saülem: *Hæc dicit Dominus exercituum* &c. *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius: non parcas ei,* &c. Quæ itaque commendantur in Abrahamo: & quę Dominus voluit filios Israel addiscere, quæque mandauit Saüli Regi vt faceret, non possunt dici ex se mala esse, & illicita; ergò &c.

Deinde probatur ex nouo Testamento: 3
Luc. 3. Militibus rogantibus quid facerent, vt effugerent venturam iram, quam Ioannes peccatoribus intentabat, non mãdauit ille militiam deserere: sed docuit eà benè vti, dicens: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendijs vestris:* atque ita militiam tacitè approbabat. Ad quem locum respiciens D. August. epist. 5. ad Marcellinum scribit: Si Christiana disciplina omnia bella culparet, potius militibus consilium petentibus in Euangelio diceretur, vt abijcerent arma, seseque militiæ omnino subtraherent: dictum est autem; *Neminem concutiatis,* &c. Deinde addit: Quibus proprium stipendium sufficere præcepit, militare vtique non prohibuit. Matth. 8. à Christo commendatur fides Centurionis, qui & ipse habebat milites sub se: neque in eo reprehenditur. Similiter Act. cap. 10. à religione & timore Domini laudatur Cornelius Centurio cohortis quæ dicitur Italica; ergò &c.

Probatur Secundò ex Patribus, qui 4
idem docuerunt: D. Ambrosius lib. 1. de Officijs cap. 40. & in 3. cap. Lucæ ad illa verba: *Contenti estote stipendijs vestris.* D. Chrysost. hom. 21. in Acta. D. August. locis antè citatis: & epistola 50. ad Bonifacium Comitem. D. Gregor. lib. 1. epistola 72. & D. Bernard. serm. ad milites templi cap. 3. Si percutere, inquit, in gladio omnino fas non est Christiano, cur ergo præco saluatoris contentos fore suis stipendijs militibus indixit: & non potius omnem militiam interdixit.

Probatur Tertiò ratione: quia bellum 5
duplex est, vt DD. illud distinguere solent: scilicet defensiuum, & offensiuum siue aggressiuum: manifestum autem est inprimis de bello defensiuo, quod licitum sit: quia etiam priuato vim vi repellere licet: hoc enim omnia iura permittunt, vt habet Regula Iuris: quam docet Cicerò

12 Respondetur Neg. Conseq. quod enim attinet ad Concil. Nicæn. respicit illud ad militiam repetitam sub tyrannide Lycinij cum implicitâ quâdam negatione fidei: illi enim de quibus ibi agitur deposuerant militiæ cingulum propter fidem Christianam: vnde illud resumentes censebantur iam parati fidem negare. D. Leo autem agit de ijs qui iam experti erant se in militiâ viuere non posse absque euidenti periculo peccandi, vt explicat Glossa in Capitulum Si quis: Distinct. 50. talibus enim qui peccatum de quo pœnitebat, commiserant in militia, solet iniungi, ne ad militiam redirent, scilicet propter periculum recidiui: vt patet Capitulo Falsis: de pœnitentiâ Dist. 5. quare licet prædictis casibus meritò ijs prohiberetur militia, nō tamen inde efficitur bellum esse in se illicitū. D. Basil. quoq; non damnat bellum, quod inter mala pœnæ hominis. Quod Deus non est author malorum, reponit: iustâ tamen ratione potuit constituisse, vt aliquamdiu à cōmunione abstinerent, qui humani sanguinis effusione, minùs apti diuinis mysterijs essent effecti. Sicuti & Dauid eâ de causâ à templi ædificatione fuit à Deo prohibitus.

13 Solent etiam quædā obijci ex Tertull. lib. de Idololatria cap. 19. & de Corona militis cap. 11. Sed dicendum est, quod reprehendat eos qui militiæ Christi per baptismum erant adscripti, & dabant nomen militiæ sæculari sub ducibus Idololatris cum periculo animæ suæ, & committendi multa illicita: quod vehementiùs ipse apprehendens videtur studio dissuadendæ militiæ in verbis aliquantulum excessisse.

14 Obijcitur denique: bellum plurima mala adfert, etiam innoxijs: estque occasio multorum peccatorum; ergò &c.

Respondetur, inde rectè quidem sequi bellum nunquam esse suscipiendum, nisi ex maximis causis, & in magnâ necessitate, quando nullum aliud superest medium, quo Resp. possit damna & iniurias sibi illatas curare compensari, & restaurari: non autem sequi bellum per se esse illicitum: quia per accidens mala illa & incommoda ex bello sequuntur, sicuti & ex alijs quæ in se licita sunt, possunt sequi mala. Præterea bellum per se intendit commoda & bona: nam vt docet August. in epistola ad Bonif. bellum geritur vt pax acquiratur. Vnde addit: Esto ergo bellando pacificus, vt eos quos expugnas ad pacis vtilitatem vincendo perducas. Sed vt perfectiùs & pleniùs censere ac iudicare possimus in particulari: quodnam bellum licitum sit, sunt hîc quædam circa conditiones ad hoc requisitas, mouenda & explicanda dubia.

DVBIVM I.

Pœnes quem sit legittima authoritas indicendi bellum, quam in Conclusione diximus esse necessariam, vt bellum sit licitum?

Respondetur: Est illa authoritas apud omnem Rempubl. perfectam, quæ in temporalibus non agnoscit Superiorem. Deinde apud omnem principem ius simile habentem: non autem apud Principes inferiores, aut Resp. imperfectas. Ita communiter sentiunt Theologi & Iurisperiti: D. Thomas hîc cum suis Commentatoribus: Syluest. Verbo Bellum 1. quæst. 1. Molina De Iustitia Tom. 1. tract. 2. Disp. 100. Couarr. ad Regulam peccatum, 2. p. §. 9. Nauarrus in Rubric. de Iudicijs. num. 104. Petrus Nauarra lib. 2. cap. 3. num. 269. Turrecremata ad cap. Quid culpatur. 23. quæst. 1. & alij. 15

Notandum itaque est, Remp. aliam esse perfectam, videlicet eam, quæ non est pars alterius: vt Regnum Hispaniæ: Regnū Galliæ, Ducatus Brabantiæ: Aliam imperfectam, vt Bruxella, Louanium: pertinent enim ad vnum Ducatum. Rursum inter Resp. perfectas, aliam habere Superiorem in quem suam authoritatem, quam ad se regendam iure naturæ habet, transtulit: sicuti Gallia, Brabantia: aliam autem non habere eiusmodi Superiorem aliquem, sed sibi retinere suam authoritatem, qualis est Venetorum, Heluetiorum, & similes. Similiter principes esse alios qui agnoscunt Superiorem in temporalibus, vt Comites & Duces qui subsunt regibus; alios autem non agnoscere Superiorem aliquem in temporalibus. His sic explicatis 16

Probatur Conclusio Primò ex D. Aug. lib. 22. contra Faustum cap. 75. vbi ita scribit: Ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, inquit, vt suscipiendi belli authoritas, atque consilium pœnes Principem sit. Quibus indicat iure quidem naturæ illam authoritatem principi competere, scilicet qui temporalibus superiorem non habet. Quæ autem est ratio principis, eadem est Reip. perfectæ superiorem non habentis. 17

Probatur Secundò ratione: quia eius est indicere bellum, cui ex officio incumbit tueri & defendere Remp. contra iniurias & damna, illiusque bonum procurare: atqui hoc est Principis supremi, & Reip. non agnoscentis Superiorem: Magistratuum verò inferiorum tantummodo est ex commissione & authoritate supremi Principis, 18

aut Magistratus. Quod itaque inferior Princeps aut Magistratus bellum indicere non possit, patet, tum quia si quis fecerit his iniuriam, poterunt recurrere ad authoritatem, vel iudicium superioris; qui eis ius dicat, aut iniuriam vindicet: tum etiam, quia bellum indicendo inferent ipsi iniuriam superiori suo Principi, quia vsurparent sibi ius alterius.

19 Petes, An etiam ad bellum defensiuum opus sit illa authoritate Principali?

Respondetur non opus esse: Ius enim se defendendi contra inuasores habet etiã quisque particularis: multo magis Respublica quamuis imperfecta, eiusque Magistratus: sed actus supremæ iustitiæ vindicatiuæ, qualis est belli offensiui indictio conuenit supremæ potestati, nisi quatenus fortassis contingeret offensiuum necessarium esse iustæ defensioni: quod fieri potest, vt si hostis inuasor certo loco quiescat, vbi percuti possit: non autem supersit cõtra eum defensio, si permittatur vlterius progredi: vel quando Princeps notabiliter negligens est in damnis & iniurijs Reip. vindicandis, ita vt inde grauissima incommoda patiatur: tunc enim ipsa posset suas iniurias bello vindicare: semper enim hanc potestatem tanquam necessariã ad sui corporis conseruationem censetur apud se retinere, quamuis sibi Superiorem constituat. Denique poterit Princeps inferior bellum indicere, si antiquissima cõsuetudine illud ius possideat, vt tradit à Victoria Relect. de iure belli: & insinuat hic Caiet. vt si Dux aliquis vel Comes in alijs omnibus subditus Regi, solitus fuerit iam inde ab omni memoria bellum indicere, censeretur præscriptione hoc ius obtinuisse Superiore dissimulante, aut tacitè consentiente.

20 Quod tamen intelligendum est de bello contra exteros, non autem contra alios eiusdem Superioris subditos: hoc enim à lege naturæ alienum est, inferre bellum, vbi accedendo ad Superioris Tribunal queas ius tuum obtinere: quando autem vtraq; pars habet communem superiorem, tunc ita per accessum ad Superiorem potes curare resarciri iniurias vel damna tibi illata; ergò &c.

21 Dices, quid si Princeps supremus sit negligens in vindicandâ iniuriâ, aut procurandâ alicui satisfactione à parte noxiâ, quæ illi quoque est subiecta?

Respondetur etiam tum licitum non esse: quia partes sunt instar priuatorum qui communem habent superiorem: atqui priuatus quamuis superior ei ius dicere negligeret, non tamẽ potest ipse sibi ius dicere; ergo neque vi apertâ resarcire damna, inuadendo alterum qui est in pacificâ possessione tali vt nimirũ non censeatur nunc aggressor amplius, multoq; minus vlcisci potest iniurias illatas. Confirmari hæc possunt: quia alioqui omnia plena essent seditionibus & tumultibus: quare in tali casu tenentur subditi potius patienter sustinere incommoda, quæ aliter subterfugere non possunt. Potest tamen Resp. imperfecta, vindicare iniuriam sibi, vel suis illatam, si malefactorem deprehendat intra limites suæ iurisdictionis: illud enim censetur concessum à summis Principibus ad commodiorem Reip. administrationẽ: estque quasi iure gentium vsurpatum: nam ratione delicti sortitur quis forum, & efficitur subditus. Non tamen potest ei vim inferre extra limites suę iurisdictionis absque consensu Magistratus illius loci. Sed contra dicta

Obijcitur: Omnes Principes Christiani habent superiorem Pontificem; ergo sine eius consensu nullus poterit bellum indicere, saltem alteri Christiano. 22

Respondetur ob hoc argumentũ Dom. Soto in cap. 12. ad Rom. existimare videtur, bella inter Christianos Principes rarò esse iusta, cum habeant aliam viam expeditiorem terminandi suas controuersias, recurrendo ad Tribunal communis superioris Pontificis. Ast dicendum tamen est, Principes Christianos absolutè non teneri, saltem ex iustitia ad Pontificis iudicium, causas suas referre, quamdiu ipse non interposuerit authoritatem suam exigente hoc spirituali bono fidelium & Ecclesiæ: non enim directè in temporalibus vel in temporalium administratione aut gubernatione subduntur Pontifici: sed tantùm indirectè, quatenus id necessarium est ad spirituale bonum Ecclesiæ, & ad fidei ac religionis cõseruationem: Quod si in vim indirectæ huius potestatis Pontifex ex iustâ consideratione malorum quæ in spiritualibus impendent Ecclesiæ & fidelibus, interponat sese, & causam ad se reuocet inhibendo bellum, tenebuntur partes audire & obedire: alioquin non tantùm peccabunt, sed etiã iniustè bellabunt aggressores qui noluerint acquiescere: atq; adeo ad reparationem damnorum quę ex bello sequutura sunt, obligabuntur. Vt docet Suarez de triplici virtute Theologica disput. 13. sect. 2. num. 5. & 7. & colligitur ex Maldero in 2. 2. quæst. 40. art. 1. dub. 1. & Molina tom. 1. de Iustitia: tract. 2. disp. 100. & 111. Panormitano ad cap. Sicut: de Iureiurando. Ratio est, quia tunc se habent ad instar priuatorum, qui per se vindicant se de iniurijs sibi illatis, inferendo alijs damna & nocumenta; ergò &c.

Fieri

Fieri etiam poteſt, vt contra charitatem peccent non referendo cauſam antequam bellum indicant, ad Sanctam Sedem, quamuis hæc non ſe interpoſuerit per authoritatem: puta ſi probabile foret controuerſiam poſſe illius iudicio decidi & ſopiri ſeruatâ tranquillitate publicâ: nam recurrere ad medium pro ſui iuris reparatione, vnde tot mala & incommoda nata ſunt occaſionaliter ſequi, prætermiſſo altero iſtis malis non obnoxio, quo probabiliter idem finis poſſet obtineri, planè charitati aduerſatur, vt per ſe euidens eſt.

23 Petes, Vtrum ad reſtitutionem teneantur qui bellum intulerint ſine legittimâ authoritate: ſed alioquin iuſtum?

Reſpondetur certū inprimis eſſe, quod ſic inferendo peccent. Addo etiam teneri illos ad reſtitutionem damnorum illatorum, vt docet Nauarr. ſupra ad rubricam de iudicijs num. 165. non tamen teneri ad reſtitutionem quatenus res ſuas priùs ſibi ablatas recuperauerint. Imò ſi adfuerit præſumpta principis voluntas, non obligabuntur ad reſtitutionem, quatenus illa adfuit: de quò licet videre plura apud Molinam de Iuſt. & Iure tomo 1. tract. 2. diſp. 111.

DVBIVM II.

Quæ ſit iuſta cauſa belli indicendi?

24 RESpondetur: Iuſtà & ſufficiens eius rei cauſa eſt, iniuria grauis illata Reipub. cuius alia ratione debita ſatisfactio ac reparatio haberi non poteſt. Ita communiter DD. Et ſumitur inprimis ex Capitulo Cuius: cauſa 23. quæſt. 2. & ex D. Auguſt. quæſt. 10. ſuper Ioſue: vbi ita ſcribit: Iuſta autem bella de finiri ſolent, quæ vlciſcuntur iniurias, ſi qua gens vel ciuitas quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere quod per iniuriam ablatum eſt. Et probatur ratione: quia ideo bellū licitum eſt, vt Reſpubl. quælibet poſſit eſſe tuta, & ſeruari indemnis contra nocumenta & iniurias aliorum; ergo dum hæ ſubſunt, nec aliter poſſunt reparari aut vindicari, niſi per bellum, iuſta erit tum ratio ſuſcipiendi.

25 Dixi in concl. Non ſimpliciter iniuria, ſed iniuria grauis: quia contra rationem eſſet velle exigui damni aut leuis alicuius iniuriæ reparationem curare tali medio, quod tam extrema mala adducit aduerſæ parti ſeu alteri Reip. ſolent enim bello homines ſpoliari bonis ſuis, & libertate & frequenter vitâ. Quinimo & ipſius Reip. ſubditis quæ bellum ſuſcipit, aut aggreditur, ſolent bella adducere multa grauamina, & incommoda: quare iniuria ob quam bellum ſuſcipitur debet eſſe talis, vt iudicari poſſit ad ſui punitionem, aut reparationem mereri tale remedium & tollerantiam ſeu permiſſionem tantorum malorum.

Eadem de cauſâ additur: Si aliter haberi non poſſit eius debita ſatisfactio: ſi 26 enim alia ratione haberi poteſt, vt v. g. ſi putetur, quod Princeps aliorum qui iniuriam intulerunt, monitus aut requiſitus per ſe vindicabit, & reparari curabit, non licebit inferre bellum.

Notandum tamen eſt Primò: poſſe aliquando iniuriam apparere leuem quæ ni- 27 hilominus attentis omnibus poſſit eſſe iuſta cauſa belli: vt ſi incurſiones aliquæ fiant ab exteris in partem aliquam prouinciæ: vel exigua aliqua loca ab eis occupentur: quamuis enim hæc in ſe poſſint cenſeri parua, tamen propter ſequelam quia timendum eſt, ne paulatim plura attentent, & audaciores fiant, ſi non reprimantur, & debita exigatur ſatisfactio, hinc poterit etiam eiuſmodi iniuria eſſe ſufficiens cauſa belli, præſertim ſi Princeps aliorum, aut Magiſtratus admonitus contemnat facere reparationem.

Notandum Secundò, varias eſſe iniu- 28 riandi rationes, quæ iuſtam belli præbeant cauſam: & ad tria poſſunt reuocari capita: quorum primum ſit: ſi Princeps vel Reſpublica vna occupauerit & detineat res vel bona alterius, & requiſita non velit dimittere & reſtituere: quò etiam reduci poteſt, quando ſubditi contra Principem ſeditionem mouent, & negant obedientiam: quâ de cauſa mouit bellum Dauid 2. Regum cap. 20. contra Seba filium Bochri, qui cecinerat buccinâ, & dixerat: *Non eſt nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Iſai.* Eodem pertinere poteſt, ſi fœdus initum violetur: ex quo bellum mouetur 4. Reg. 3. Alterum, ſi quis princeps aut populus neget communia iura gentium, vt tranſitum innoxium viarum, commune commercium, & ſimilia: ſic Num. 21. filij Iſraël bellum geſſerunt contra Sehon Regem Amorrhæorum qui innoxium tranſitum eis negabat. Tertium eſt grauis contumelia, aut læſio in famâ aut honore: ſic Dauid 2. Reg. 10. mouit bellum contra Hanon Regem filiorum Amnon, ob inſignem contumeliam, quâ ex conſilio ſuorum principum affecerat ſeruos Dauid, quos ad eum deſtinauerat, vt illum ſuper morte patris ſolarentur.

Peret aliquis: In quem vel quos debeat 29 eſſe iniuria commiſſa, vt poſſit Princeps iuſtè mouere bellum?

Reſpon-

Respondetur satis esse inprimis, quod vel in Principem, vel in subditos eius sit commissa: nam ipse est constitutus custos Reip. & subditorum, ac vindex iniuriarum, si quæ illis inferantur. Deinde etiam sufficere, quod in eos qui protectioni Principis se commiserunt, vel eius sunt amici, & cum eo confœderati, vt constat exemplo Abrahæ Gen. 14. Et ratio reddi potest, quia amicus est alter ego, vt habet Philosophus 9. Ethic. cap. 4. & 9. Id tamen intellige dummodo amicus, aut confœderatus habeat ipse ius ad tale bellum: & adsit eius voluntas explicita vel implicita: nam alioquin iniuria alteri ad meam curam non pertinenti illata, non mihi ius tribuit ad illam vindicandam, nisi quando ipsi licet iustè sese vindicare, idque à me rogat aut petit fieri: eo enim posito auxiliũ meum est cooperatio cum altero ad debitam & iustam vindictam, siue executio bonæ & iustæ voluntatis alterius. Seclusâ autem illâ voluntate eius qui iniuriam passus est, non potest quiuis alius se intromittere ad vindicandum: quandoquidem is qui iniuriam fecit, non cuilibet factus sit subditus ratione illius, sed tantùm læso. Sed contra dicta

30 Obijcitur: Si propter iniuriam sibi vel suæ Reip. illatam possit Princeps indicere bellum, consequitur quod idem erit Actor & Iudex in eadem causa: quod apparet iniquũ, & contra naturalem rationem. Probatur sequela, quia idem Princeps offensus in se vel in suis subditis assumit officiũ actoris & iudicis alios aggrediendo, & pręmendo per bellum ad satisfactionem. Neque hîc refert, vt apparet, quod per alium non possit vindicare iniurias: quia etsi quispiam non posset vindicare suas iniurias per iudicem, eò quod sit iniquus, aut inuoluntarius, non tamen poterit idcirco priuatus sibi ius vsurpare, & sua authoritate se vindicare de illo qui iniuriam intulit; ergò &c.

31 Respondetur admittendo quod in casu belli eadem persona subeat quodammodo munus actoris, & iudicis: quod etiam in Deo conspicimus, quando peccatores punit: cui in eo suprema publica potestas quasi similis est: Neque id mirum debet videri, multoque minus iniquum, aut contra rationem naturalem: quin potius æquũ & secundum rationem: nam hic actus iustitiæ vindicatiuæ, quo iniuriæ ab exteris illatæ vindicentur, & cohibeantur, planè fuit necessarius humano generi ad tranquillam vitam degendã, vti per se euidens est: quando enim offendens perseuerat contumax & satisfactionem recusat, non suppetit tum alia via commoda & sufficiens, nisi vt tali modo se vindicet Respublica.

Ad id ergo, quod adducitur de homine priuato qui suas iniurias vindicare nõ potest, quamuis Iudex id non præstet, dicendum est, hoc quidem verum esse, non idcirco esse licitum priuato suâ authoritate sumere vindictam: sed non eandem esse rationem de Rep. supremâ, & de homine priuato: oportet enim in his negotijs attendere ea quæ per se sunt, & ea quæ per accidens tantùm eueniunt: iam verò personæ priuatæ habent expeditam & ordinariam per se viam, vt scilicet per authoritatem superiorum curent puniri delicta contra se commissa: quod autem id obtinere non possint, omnino per accidens est, & propterea tolerandum, ne maior in Repub. & in humano genere perturbatio & confusio sequantur: at verò necessitas se vindicandi inter duas Resp. supremas, dũ altera alteri infert iniuriã, & abnuit reparationem, omnino per se est: neque datur aliquod aliud ordinarium medium, quo valeat Resp. lęsa reparationem iniurię obtinere, nisi quod ipsa agat causam suam, & se de altera vindicet. 32

Huc accedit, quod dũ huiusmodi actus vindicatiuę iustitię ex parte supremi principis, aut magistratus contra aliam Remp. exercetur, rem non geri tunc proprio aut priuato alicuius consilio, sed communi & publico: neque pro particulari & proprio alicuius bono, sed pro bono communi & salute Reip. Vnde fit quod hic non sit tantum periculum alicuius excessus ex propriâ passione, sicuti foret si quilibet priuatus suo consilio & pro sua libidine posset se vindicare de altero, qui iniuriam intulit quando ex accidente fieret, quod Iudex non vindicaret. 33

Petes Secundò: Vtrum sint alij aliqui tituli iusti belli: qui Principibus Christianis sint proprij? 34

Respondetur: Hostiensis, Panormitanus, & alij nonnulli Canonistæ Capitulo super his: De voto: quos refert Couarr. ad Reg. peccatum §. 10. & quidam etiam Scholastici vt Gabr. in 4. d. 15. quæst. 4. tenent affirmatiuam partem. Diuersi autem videntur diuersos eiusmodi titulos assignare. Alij ponunt infidelitatem eorum qui veram nolunt recipere Religionem. Alij ponunt Idololatriam & vitia contra naturam ab aliqua gente frequentata, vt Deus ab iniurijs, quę contra eum committuntur, vindicetur: alij ponunt brutalitaté, seu hebetudiné quasi brutalem mentis, quę in quibusdam barbaris videtur reperiri, vt minus videantur apti vt se gubernent & regant in politica & ciuili vita.

Sed

35 Sed reuera tituli illi simpliciter per se nō subsistūt, vt partim ex ijs quæ de infidelitate dicta sunt q. 10.a.8.& 10.& partim ex alijs quæ alibi tradūtur, potest satis cōstare, nisi quatenus haberent adiunctā iniuriā contra ius Ecclesię, quo potest vti & apud omnes Euangelium prædicare, vel quatenus continerent quandam oppressionem innocentum: vt si Princeps cogeret ad Idololatriam, aut non fineret eos amplecti religionem Christianam quam amplecti sunt parati, vel gens aliqua suis Idolis immolaret infantes, pro quorum defensione potest Princeps suscipere, non quidem vt iniurias istis illatas vindicet, sed vt ne vlterius inferantur, impediat. Sub titulo autem hebetudinis brutalis bellum inferre, esset sub prętextu charitatis exercere tyrannidem. Quid enim est aliud (inquit Malderus) quàm multos occidere, vt reliquos erudias? & quàm facere malum, vt eueniat bonum? prædicare tamen licebit eis legem Euangelicam: & qui prędicationem impediunt, poterunt armis compesci.

36 Diuus autem August. nihilominus qu. 10. ante citatā super Iosue aliam indicat causam & veram, scilicet diuinum præceptum, cùm ita scribit. Sed etiam hoc genus belli sine dubitatione iustum est, quod Deus imperat, apud quem non est iniquitas: & nouit quid cuique fieri debeat: in quo (inquit) bello, exercitus vel ipse populus non tam author belli, quam minister iudicandus est. Vnde eo titulo iustificat lib. 22. contra Faustum cap. 74. bella quæ gessit Moyses. Nec bella, inquit, per Moysen gesta miretur, aut horreat: quia & in illis diuina sequutus imperia, non sæuiens, sed obediens fuit: nec Deus cum iubebat, sæuiebat; sed digna dignis retribuebat. Et in principio capitis sequētis addit: Bellum autem quod gerendum Deo authore suscipitur, rectè suscipi dubitare fas non est, ad terrendam, vel obterendam, vel subiugandam mortalium superbiam.

37 Duplex itaque his locis à D. Augustino insinuatur causa, cur Deus iubeat bellum aliquando inferre: vna scilicet vt digna dignis retribuantur, quando per bellum condignè peccatores pro suis iniquitatibus puniuntur: Altera, vt superbi qui ponunt brachium fortitudinem suam, humilientur, & Dei virtutem in suâ vltione recognoscant.

38 Multùm verò aberrarunt gentiles qui existimarunt iura regnorum posita in armis, ac licere bellum intentare pro gloria, & nominis celebritate: siue pro imperij ac ditionum ampliatione: quæ S. Aug. lib. citato contra Faustum c. 74. reprehendit in bellis tanquam secundum naturalem rationem absurda. Neque enim debent inprimis ista tantis impendijs, & dispendijs propriorum subditorum Principes procurare, quanta solet bellum requirere. Deinde non possunt ista fieri absque manifestâ & atrocissimâ iniuriâ partis quæ inuaditur, quando hæc læsionem nullam intulit.

DVBIVM III.

Quâ certitudine de iustitia causæ constare debeat cuique Bellantium, vt iustè bellum moueat, aut promoueat, siue cooperetur?

OBseruandum est, triplex posse considerari hominum genus quod ad militiam concurrit, scilicet Principem supremum, siue supremum Magistratum: Deinde Principes & Duces inferiores: ac tertiò communes siue gregarios milites. 39

Respondeo itaque & Dico Primò: Indubitatum est, in omnibus illis requiri certitudinem quandam practicam de iustitiâ belli, quod gerunt, aut gerere intendunt: quæ consistit in eo, quod quilibet eorum, prudenter iudicet sibi bellum istud esse licitum. Patet ex ijs quæ dicta sunt 1. 2. de conscientiâ, quâ quisque debet operari. 40

Dicò Secundò: Supremus Princeps, si iustitia causæ non sit omnino euidens, debet ipse diligenter examinare, & perquirere, vtrum causâ sit iusta? & eo facto, si certò deprehendatur iustitia causæ, iam indubitatè poterit iustè bellum indicere, si pars aduersa requisita nō velit satisfacere. Vbi obseruādum, quòd sub iustitiâ causæ etiam comprehendamus, quòd sit sufficiens & satis magni ponderis & incommodis belli proportionata, ita vt bellum mereatur iuxta prius dicta. 41

Probatur itaq; prior pars: quia bellum est res grauissima propter multa quæ secum adducere solet, incommoda: naturalis autē ratio postulat, vt in quouis negotio aliquatenus dubio adhibeantur cōsultationes, & examina qualitati eius & magnitudini accommodata; ergò &c. Deinde Princeps supremus hic agit simul partes iudicis, dum bellum indicit, vt supra n. 31. indicatum est: atqui iudex in quolibet negotio, etiam priuatorum, debet adhibere diligentiam debitam in examinanda iustitia causæ, antequam ius pro vnâ parte dicat, & alteram condemnet; ergo vel maximè id debet circa bellum indicendum obseruare Princeps.

Posterior pars per se satis euidens est, præsup-

præsupposito quod bellum ex naturâ suâ non sit res mala (prout non esse antè ostédimus) quia quisque potest ius suum prosequi licito medio contra alium ; quamuis illi sit graue & incommodum, quando saltem monitus suâ sponte non vult satisfacere. Quod addo, quia priusquam bellum suscipiatur, videtur necessarium, vt prius satisfactio requiratur, vt colligi potest ex illo Deuter. 2. *Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem:* & ex D. August. epistola ad Bonifacium, vbi docet, quod pacem habere debeat voluntas: bellum necessitas.

42 Dico Tertiò: si post diligens examen causa inueniatur dubij iuris, & ius vtriusque partis æqualiter probabile, aut æquè dubium, vndecumque id oriatur, & alter sit in bonæ fidei possessione, non poterit tunc illi bellum moueri. Ratio est, quia cæteris paribus melior est conditio possidentis. Vnde si bellum illi moueatur, poterit ipse bonę fidei possessor existēs cum iure probabili, licitè bellum defensiuum sustinere, alter autem inferet iniquè.

43 Quod si nullus possideat, & dubium, aut probabilitas vtrimq; sint æqualia, tum vt refert Suarez disp. 13. de bello sect. 6. ex communiori sententia, habebit eorum quilibet ius ad primò occupandum: quia in simili casu Iudex posset adiudicare rem suo arbitratu cui vellet partium litigantium. Ipse Suarez tamen ab hac sententia recedit, negatque etiam iudicem eo casu posse pro suo arbitratu rem totam vni parti adiudicare: sed vult eum obligatum, vt rem inter partes diuidat, aut si diuidi nequeat, tunc per compensationē, aut alio modo curet vtrique parti satisfieri: atque ita vult quoque Principes in talibus casibus debere diuidere, aut sorte dirimere, vel alio modo componere. Quod si verò tentaret vnus rem totam occupare & aliū excludere, hoc ipso censebitur inferre alteri iniuriam: quam proinde hic posset etiam bello reprimere.

44 Quod si denique Princeps per examen inueniat ius suum magis probabile, magisque fundatum quàm aduersæ partis, poterit iustè illud prosequi, inquit Suarez: quia in sententijs ferendis tenet ipse, semper à Iudice esse sequendam partem probabiliorem; & proinde Princeps, quatenus sustinet partes Iudicis, iustè poterit sibi adiudicare, & prosequi: non tamen ad id obligabitur, sicut Iudex in causis aliorum: quia potest ipse iuri suo cedere, si velit, nisi fortassis suorum subditorum interesset, qui inde paterentur grauiora incommoda.

45 Dico Quartò: Duces, & alij Principes regni inferiores, quoties ad consilium vocantur, vt de bello inchoando sententiam dicant, tenentur diligenter quoque statum rei, & veritatem causæ perquirere, & examinare: non vocati autem non obligantur magis, quàm alij cōmunes milites.

Prior pars patet, quia à domino suo ad consilium adhibiti in re tam graui obligantur prudens quantum possunt, & iustum consilium dare: alioquin illis imputari poterit, si sit iniustitia in bello: ergo tenentur diligenter negotium examinare. Patet etiam pars posterior, quia non vocati neque rogati ad consilium & sententiam dicendam, iam se habent tanquam priuati milites, ac solùm à Principe mouentur, non autem ipsi sunt simul causa mouens.

Dico Quintò: Communes milites, qui sunt subditi Principis indicentis, aut sustinentis bellum, nullam tenentur adhibere diligentiam in examinandâ iustitia: sed à Principe vocati ad bellum, ire possunt resoluentes se in iudicium sui supremi Magistratus, siue Principis; dummodo non constet illis esse iniustum: aut non adsint tanta indicia iniustitiæ, vt non possint nisi affectatè, aut crassè ignorare illam iniustitiam. 46

Probatur ex D. August. lib. 22. contra Faustum cap. 75. vbi scribit, quòd vir iustus, si fortè sub rege homine etiam sacrilego militet, rectè possit illo iubēte bellare ciuicæ pacis ordinem seruans: cui, quod iubetur, vel non esse contra Dei pręceptum, certum est: vel vtrum sit, certum non est: ita vt fortassè reum regem faciat iniquitas Imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi. Ex quo tanquam antecedente tunc infert, quòd magis innocenter proinde, in administratione belli diuersatur, qui Deo iubente belligerat, vt Moyses bellauit scilicet.

Et confirmatur Primò, quia minister iudicis potest exequi sententiā nullo præmisso examine, dummodò non constet ei esse iniustam. Confirmatur Secundò, quia in dubijs tenētur subditi obtemperare suis superioribus, & ex eorum authoritate, ac mandato facere sibi iudicium practicum certum, quo iudicent simpliciter sibi licitum esse hic & nunc, quod iubetur: quia in dubijs melior est conditio possidentis: est autem Princeps in possessione subditis imperandi, quare tenentur tunc obedire: alioquin enim maxima mala sunt sequi in Rep. incommoda, & seditiones, vt per se satis est euidens. Estque hæc communis doctrina: Caietani in summa: V. bellum Dominici à Soto de Iustitia & Iure lib. 4. quæst. 7. artic. 2. Syl. V. bellum 1. quæst. 9. à Victoria relect. de Iure belli. Driedo- 47

Driedonis lib. 1. c. 2. de Libert. Christiana, & aliorum.

48 Dico Sextò: Plerique D D. sentiunt eos qui Principis non sunt subditi, teneri ad examinandam iustitiam, priusquam dent nomen militiæ, si illa euidens non sit. Fundamentum potest sumi ex regula iuris 9. in 6. & 38. in ff. quæ habet, quod non sit ille sine culpa qui rebus, quæ ad ipsum non spectant, se immiscet cum periculo alterius: & ex Capitulo: Denique causa 14. quæst. 5. vbi generaliter dicitur, Neminem debere cum discrimine alterius iuuare alterum: quod desumptum est ex D. Ambrosio lib. 3. Officior. cap. 9. atqui ista locum habebunt in eiusmodi militibus externis, dum ad bellum vadunt de cuius iustitiâ dubitatur; ergò &c.

49 Eadem aliquibus videtur esse ratio de subditis qui absq; coactiuo mandato Principis, sed suâ voluntate & pro stipendio militant: nam alios videtur tantùm excusare obedientia. Verùm potest hic aliqua diuersitatis ratio assignari inter exteros & inter subditos etiam mandato non coactos: quia iura Principis, eorumque conseruatio etiam suo modo, pertinent ad subditos, & ad ipsorum bene esse: non ita se habent ad externos: ac proinde non militant contra illos regulæ iuris & canones suprà allegati, sicuti contra extraneos. Neque sola obedientia (quamuis illa plurimùm valeat, & valde ab antiquis vrgeatur) censeri debet concurrere vt subditus possit iuuare Principem suum, licet ipse speculatiuè dubitet, modò practicè vti dictum est, iudicium certum formet.

50 Suarez verò sect. 6. suprà citatâ, tenet probabilius esse, in dubio externos quoque posse ire ad bellum nullo examine facto: sed onere in Principem reiecto, modò hic sit probæ existimationis, & dubium ipsorum sit merè negatiuum, scilicet quod nec habeant rationes cõtra iustitiam istius belli, nec etiam pro illâ, quod dicit etiam apertè docere à Victoria. Et potest confirmari à simili, quia cuique licet elocare operam suam mercatori ad cooperandum contractibus eius, quos ipse non nouerit esse iniustos, nec probabilem habet rationem dubitandi de iustitiâ: neque enim tenetur alioquin singulorum iustitiam examinare.

51 Quare pro his ad fundamentũ alterius opinionis, poterit responderi: quod etiam externorum quodammodo intersit, quatenus exinde habent occasionem locandi operas suas, & lucrandi stipendium, & victum. Si tamen dubium esset positiuum, & vtrimque rationes occurrant probabiles, tunc meritò vult eos obligatos ad inquirendam veritatem, quam si non possint assequi, si militare velint, debebunt sequi eius partes cuius ius est probabilius: quod si æquè probabile iudicetur, tunc, inquit, dubium perinde erit, ac si foret merè negatiuum.

DVBIVM IV.

Quis belli finis debeat esse in intentione; vt ea sit recta prout requiri diximus, vt bellum licitè geratur?

Contingit nõ infrequenter bella alioqui iusta, malè geri: quia ob indebitos fines geruntur. Vnde inquit August. lib. 22. contra Faustum cap. 74. In bello culpantur nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & alia similia. Quare Respondeo & 52

Dico Primò: Nihil istorum, aut similium potest esse in intentione tanquã finis, aut motiuum belli. Est per se euidens.

Dico Secundò: Tres præcipui sunt fines, quos in bello licet spectare: qui sunt stabilimentum quietis & pacis Reipub. bonorum iniquè ablatorum recuperatio: & iniuriæ illatæ competens vindicatio. Ita tradunt communiter D D. vbi postremum siue tertium de quo principaliter posset suboriri aliqua dubitatio, satis apertè nobis indicat August. loco iam citato: quando post allegata subiungit: quæ (inquit) vt iure puniantur siue Deo, siue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis. 53

Id verò hic obseruandum, satis in eo conuenire D D. quando aliàs iustum est bellum, etsi non sine peccato geratur propter indebitas intentiones, non tamen induci idcirco obligationes restitutionis, sicuti quando causa est iniusta, aut deficit legitima authoritas. Posset tamen Princeps, si immoderatius se habeat, & improuidè bellum aggrediendo, causet magna incommoda Reipub. suæ propriæ, quæ euitasset se rectò ordine & fine processisset, incurrere obligationem restitutionis faciendæ subditis suis, qui propter immoderatas eius passiones damna perpessi sunt. 54

DVBIVM V.

Quis modus in belli executione, progressu, & victoriâ seruandus: tum à Principe erga suos milites, & à militibus erga Principem: tum ab his vtrisque tam erga hostes, quam erga amicos & alios qui non sunt hostes?

55 RESpondeo & Dico Primò: Ex iustitiâ obligatur Princeps suis militibus dare debita stipendia terminis elapsis. Patet, quia intercedit inter illos legitimus contractus conducti & locati. Vnde sequitur teneri Principem ad reparationem damnorum, quæ milites postquam ex suâ parte impleuerunt contractum, ob defectum solutionis inferunt Reipubl. ex iustâ necessitate inopiæ: secus de ijs damnis dicendum est, quę suâ malitiâ aut petulantiâ occasione deficientis stipendij superaddunt, vt solent in suis seditionibus facere: ad hęc enim non in totum tenetur Princeps, sed pro latitudine culpæ.

56 Dico Secundò: Milites è contra obligantur pactam operam, etiam cum vitæ periculo, præstare. Vnde non licet illis stationem deserere, sed fortiter debent suum officium obire, quamuis etiam his in particulari, certò mors immineat, quamdiu spes est, quòd pugnando poterit exercitus præualere, aut subsistere, vel ciuitas contra hostium impetum defendi: si contrà fecerint, peccabunt mortaliter cum obligatione restituendi damna, quæ ob eiusmodi fugam obueniunt Principi, aut Reip. & iustè poterunt capite plecti, vt patet ex legibus ciuilibus: ff. de re militari. Eadem est ratio de præfectis arcium, quas nullo metu tradere possunt, quamdiu spes est eas conseruandi: quia ad eiusmodi præstanda se licito & honesto contractu obligarunt. Addo, quamdiu spes est, &c. aliquando enim cedere loco seu recedere, potest etiam esse actus fortitudinis, quatenus hæc temeritatem reuocat ad medium rationis.

57 Dico Tertiò: Tenentur præfecti & duces belli curare, vt habeant sub suis vexillis plenum numerum militum prout illa sunt constituta, & pro quo numero Princeps, aut Respub. soluit stipendia. Quare qui in delectu alios supponunt, & plures repręsentant, quàm habeant, valde grauiter delinquunt. Primò, quia iniustitiam committunt contra Principem, cuius pecunias suffurantur. Deinde, quia inde fit, quod ciuitates, aut prouinciæ aliquando perdantur, vel exponantur maximis periculis, dum putantur adesse sufficientes milites illis custodiendis, aut hostibus resistendis, qui tamen eiusmodi fraudibus imminuti, non sufficiunt. Vnde etiam ad restitutionem damnorum quæ ex tali occasione Princeps aut Respublica patitur ipsi obligati existunt. Quare & hâc de causâ illicitum planè medium est ad faciendam compensationem occultam, si forsitan aliqua ipsis Princeps debeat, quorum nequeant obtinere solutionem: quod valde contra quorundam doctorum virorum nimiam indulgentiam est notandum. Eiusdem criminis & obligationis quoque rei sunt, qui à Principe constituti, vt præsint delectui, scienter conniuent, & dissimulant eiusmodi defectus & fraudes.

Dico Quartò: Tam præfecti, quàm milites tenentur contenti esse stipendijs suis, sic vt neminem concutiant, neque calumniam faciant, quærendo scilicet qualemcumque prætextum sub quo spoliare & opprimere innocentes possint. Constat ex doctrinâ Ioannis Baptistæ cap. 3. Lucæ. Et ratio est per se manifesta: constat enim de apertis iniurijs, si aliter faciant. Quare cum obligatione restituendi delinquunt illi, qui à suis hospitibus plus extorquent, quàm sit eis constitutum, licet præfecti dissimulent: vt docent Caiet. V. bellum, & Driedo lib. 1. de Libertate Christiana cap. 2. Quod tamen intellige, nisi aliqua duntaxat acciperent, vt suæ necessitati extremæ, aut quasi extremæ satisfacerent: & non vltra. Similiter quoque delinquunt qui plures pagos, aut domos sibi ad hospitandum designari curant, & ab ijs quos prætereunt, pecunias accipiunt. Ista enim & similia ad cōcussionē notoriè pertinent. 58

Dico Quintò: Mobilia in iusto bello capta ab hostibus iure gentium fiunt capientium, etsi excederent compensationem damnorum, aut iustam vindictam. Sunt autem ista secundum peculiares leges, ac consuetudines cuiusque nationis & populi diuidenda siue Principi, siue ducibus, siue militibus. Addo, quod iure gentium, quia stando in terminis omnino iuris naturæ, non posset amplius ex rebus hostium, siue mobilibus, siue immobilibus occupari, quàm satis esset ad iustam damnorum, ac expensarum compensationem, aut illatæ iniuriæ vindictam. 59

Dico Sextò: Pro hostibus autem habendi non sunt quoad bonorum direptionem, peregrini, mercatores, exteri hospites, & quicumque non sunt partes Reip. hostilis, quamuis in terrâ illius inueniantur. Ita docet à Victoria Relect. de Iure belli: num. 36. & patet ex Capitulo, Innouamus: De Treuga & pace: vbi idem docet Panormit. Cum istis autem meritò censendi sunt Ecclesiastici, qui verè etiam

non

non sunt pars populi hostilis, vt docet hic Caietanus.

61 Dico Septimò: Si hostis prædas egerit, & mobilia abstulerit, ab aduersis partibus, easque ad loca tuta asportarit, iure & consuetudine efficiuntur hoc militũ ea recuperantiũ; exceptis tamen ijs quæ habent ius postliminij: de quibus videre licet l. 2. ff. de Captiuis & l. Hostes ibidem. Non censentur autem tuto loco, quamdiu dominus prosequitur, aut prosequi curat: alioquin terrà prædantes censentur ad loca tuta asportasse, quando illa nocte vnâ absque prosequutione habuerint. Si autem milites recuperent priusquam tuto loco fuerint (ad quod allaborare tenentur ex officio) debebunt gratis restituere dominis à quibus ablata erant.

62 Dixi, si à partibus aduersis hostis abstulerit prędas &c. nam quod attinet ad bona neutralium direpta, non tenentur inprimis milites ad ea recuperanda laborare; si verò recuperauerint etiã postquàm censebantur ad loca tuta asportata, debebunt tamen ea dominis restitui: non enim ius & consuetudo aliter de his disposuerunt. Poterunt nihilominus milites aliquid pro suis operis exigere, vtpote qui habebunt actionem negotiorum gestoris, siue negotij bene gesti: Neque fuit aliqua æquitatis ratio aliter disponendi de bonis exterorum; siue neutralium: non enim ita potest Princeps, aut Respublica transferre dominia quoad bona exterorum, pro necessitate vel vtilitate suæ communitatis, sicuti potest priuare suos subditos ex iustis causis, & transferre bona illorum in alios.

63 Dico Octauo: Non licet vnquam innocentes, etsi pars sint Reipub. hostilis, ex intentione occidere, etsi quoque hostis aliquos ex iustè bellantibus occidisset; vel ipsi innocentes relicti fuissent in obsides, & hostis interim fidem falleret: fieri tamen potest, quod per accidens occidantur innocentes absque peccato, puta quando aliter ciuitas capi non potest, aut hostis vinci, nisi cum accidentariâ internecione innocentum: Ita communiter DD. estque doctrina indubitata.

Præsumuntur autem quoad bellum innocentes, inprimis Ecclesiastici: tum quia arma, aut consilia belli tractare non solent, tum quia non sunt pars populi, quemadmodum neque peregrini, & similes: ex ipso autem populo innocentes sunt pueri, & mulieres, cum quibus etiam censentur agricolæ ruri scilicet degentes, & quicumque viri togati & pacifici: vt habet à Victoria supra num. 36. nisi contrarium constiterit.

Probatur prior pars, quia occidere innocentem est intrinsecè malum; nunquam ergo poterit Princeps curare innocentes occidi.

Dices; Antecedens verum est quando fit priuatâ authoritate, & sine causa iusta; hic autem fiet authoritate publicâ, & ex iusta causa, scilicet propter delictumReip. cuius pars sunt.

Respondetur, Antecedens semper verum esse, quando fit ab eo, qui non habet absolutum dominium vitæ & mortis in hominem, & citra huius mandatum: quod quidem aliquando Deus dedit filijsIsraël: vt patet Iosue 6. & 1. Reg. 10. idque ad terrorem illarum gentium, & propter multiplices earum iniquitates: vt colligi potest ex Deutero. cap. 9. alioquin sine tali mandato, nulla causa potest hic sufficere, aut iusta censeri: propter solam enim culpam propriam concessit Deus gladio puniri, & è medio tolli hominem authoritate legitimi Magistratus. Quare etiam nullâ lege occiditur filius propter peccatum patris. Imo Deut. 24. expressè dicitur, *Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro parentibus, sed vnusquisque pro peccato suo morietur*: & Exod. 23. *Insontem & iustum non occides.* 64

Probatur Secundò: Ex gestis S. Ambrosij, qui grauiter reprehendit, & excommunicauit Theodosium propter similes cædes innocentum: vt habetur cap. Apud Tessalonicam causa 11.

Probatur pars posterior, quia eo casu illi qui impugnant hostem aut ciuitatem, censentur moraliter se habere tantùm permissiuè ad mortem innocentum: non enim intendunt illos occidere, sed tantùm adhibent media necessaria vt hostem superent, aut ciuitatem occupent, ad quæ adhibenda ius habent: neque tenentur aliorum incommoda vitare cum tanto suo præiudicio. Quare si contingat simul innocentes occumbere, hoc debet imputari vel illis qui eos detinent inter nocentes, vel ipsorum imprudentiæ, aut quasi miseriæ, quod nocentibus sint permixti, vel in ijsdem cum ipsis locis se reperiant. 65

Confirmatur, quia alioquin impossibile foret bellum vnquam perficere: posset enim hostis contra omnem impetum semper exponere, & obijcere innocentes.

Dico Nonò: si necessarium fuerit ad plenam satisfactionem Reip. læsæ, licebit innocentes spoliare suis bonis, etiam libertate: Probatur, quia sunt partes vnius Reip. iniquæ: propter delictum autem totius potest pars, etiam quæ ad delictum non concurrit, puniri in omnibus ijs quæ subiacent potestati & dominio ipsius Reipub. 66

pub. Quandoquidem enim Resp. ex iustis causis potest etiam citra delictum, à priuato auferre bona eius propter publicam necessitatem, hinc mirum videri non debet, quod ipsa possit quoque in illis bonis puniri, sic vt Aduersarius cui illa facta est obnoxia, possit tam ipsam, quàm priuatos exuere dominio, quod in illa bona habebant. Confirmatur, quia hoc titulo solent paruuli Saracenorum effici serui Christianorum: vt notat Suarez sectione 7. ergò &c.

67 Obseruandum est tamen, inter Christianos quasi iure gentium esse receptum, vt capti bello non efficiantur mancipia, quãuis possint iustè detineri, vt puniantur si nocentes sint, vel pretio seu litro rediman-tur. Priuilegio autem hoc ex consuetudine fruuntur etiam hæretici, quia saltem aliquo modo Christum & libertatem per eum nobis donatam profitentur: non sic verò fruuntur illi apostatæ, qui recedunt omnino à professione Christiani nominis, sed ex consuetudine tales bello capti aut superati, etiam in seruitutem rediguntur.

Obseruandum præterea, inter Christianos quoque introductum esse, vt bona Ecclesiastica & personæ sint immunes, tum ob reuerentiam ministerij & Ecclesiæ, tum quia hæ personę constituunt quasi Rempub. spiritualem distinctam à temporali.

68 Dico Decimò: Immobilia hostibus deuictis aut pulsis non fiunt militis occupantis; sed principi reseruanda sunt: in cuius erit arbitrio, vbi publica vtilitas postulauerit, etiam arces hostiles demoliri, aut ciuitates euertere.

Petes, an possit loca hostibus erepta iure belli sibi in perpetuum retinere?

Respondetur, si hostes sint Christiani non continuo possunt eorum prouinciæ, aut regna in perpetuum à victore retineri; sed post satisfactionem, & iustæ vindictæ modum, erunt restituenda principibus, aut eorum hæredibus, nisi forsitan propter iniuriæ atrocitatem, vel damnorum & expensarum magnitudinem aliter iusta vindicta aut compensatio haberi non possit. Dixi, si hostes sint Christiani, quia quoad Turcas attinet, qui sunt perpetui hostes Christiani nominis, semper possunt loca ab ipsis recuperata, detineri à Christianis, quia nunquam sufficienter possunt satisfacere de iniurijs illatis: vt habet à Victoria num. 42.

69 Dico Vndecimò: Princeps victor non potest semper in bello progredi, nisi vsque ad iustam suorum damnorum & expensarum recuperationem, aut iniuriæ sibi illatæ debitam vindicationem: quibus obtentis tenebitur ab vlteriori bello inferendo supersedere.

Colligitur ex antè dictis, quia omnis iusta causa belli reducitur ad iniuriam acceptam: vbi igitur hæc fuerit sufficienter reparata & compensata, non licebit vlterius mouere bellum. Quibus tamen addo, quod possit Princeps victor, qui iustè militauit, facere omnia illa circa hostem, & bona vel terras eius, saluâ vitâ, quod necessarium est ad tranquillam pacẽ Reip. suæ in futurum conseruandam. Vnde si necesse foret, poterit hoc titulo etiam occupare & retinere arces & ciuitates hostium ad id opportunas: quæ tamen etiam simul in compensationem computandæ erunt, quatenus opus fuerit. Ita communiter tradunt DD. & ratio sumitur ex fine honesti belli: nam hoc maximè geritur, vt sit quasi via ad tranquillam pacem, quã turbant illi contra quos bellum suscipitur.

Sed petes, Quid si pars aduersa, contra quam iustum bellum geritur, post illud inchoatum, offerat damnorum & expensarum reparationem, aut iniuriæ illatæ vindictam?

Respondetur, Principem debere acceptare satisfactionem, modò iusta & æquiualens sit: nec posse progredi in bello cœpto: sed in satisfactione iustâ includi inprimis, quod restituantur omnia iniquè ablata cum toto interesse: Deinde vt sumptus facti in apparatu belli, recompensentur. Tertiò, vt iniuria illata ac ipsa contumacia vindicentur: Quartò, quod etiam pars aduersa præstet ea, quæ videbuntur necessaria pro quiete & securâ tranquillitate in futurum: quia hic principalis est finis belli, vt diximus, statuere & firmare pacem in futurum pro Repub. Illa quoque satisfactio debebit offerri extra tempus pugnæ, quia in feruore pugnæ non est tempus examinandi satisfactionẽ quam hostis præsentat, & si à pugnâ supersedeatur, vt illa examinetur, interea fortassis certa spes victoriæ, quæ ad manum erat, præteruolabit, & satisfactio oblata fortè non iudicabitur nec erit sufficiens, neque volet tum hostis eam augere, vel perficere. 71

DVBIVM VI.

An detur bellum vtrimque iustum?

Respondetur breuiter: Nunquam potest bellum esse vtrimq; iustum materialiter & formaliter: potest tamen ex vtrâque parte aliquando dici iustum formaliter, id est, Nonquam potest bellum esse 72

eſſe vtrimq; iuſtū à parte rei; poteſt tamē fieri, quod vtrimq; partes licitè & ſine peccato bellum gerant. Probatur prior pars, quia veritas iuſtitiæ nō poteſt in re ipſa ſtare niſi ab vna parte inter ſe contradictoriū.

73 Probatur pars poſterior; quia vel ſententia de iure probabilis, vel aliqua ignorātia inuincibilis efficere poteſt, quod vtraque pars bonâ fide & bonâ conſcientiâ, & ſine peccato bellum ſuſtineat. Oritur itaq; illud ſemper ex aliquâ ignorantiâ, quia ſcilicet neſcitur à cuius parte, re ipſa ſit iuſtitia. Sic communiter tradunt DD. Couar. ad regulam, Peccatum parte 2. §. 10. nu. vlt. à Victoria de iure belli n. 32. Molina diſp. 103. & alij ſuis locis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Clericis & Epiſcopis ſit licitum pugnare?

74 CONCLVSIO D. Thomæ eſt negatiua. Eſtque communis & certa. Colligitur inprimis ex illo Apoſt. 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus*; ergò multo minus bellicis.

Probatur Secùndò, quia diuerſi Canones ita ſtatuerunt: vt videre licet Cauſa 23. quæſt. 8. & diſt. 36. Cap. Si quis.

Probatur Tertiò ratione, quam indicat D. Thomas: ſi enim qui Imperatori homini militant, prohibeantur negotiari, ne in militiâ ſuâ ſæculari impediantur, quanto magis qui imperatori Deo militant, ſæculo militare non debent? quia ſæcularis militia non tantùm inquietat & diſtrahit perſonas Eccleſiaſticas in ſuis officijs; ſed etiam repugnat lenitati quam poſtulat altaris miniſterium, in quo recolitur Paſſio Dom. noſtri IESV Chriſti, qui pro inimicis mortuus eſt. Hinc meritò miniſtri illius debent potius eſſe candidati patientiæ ad martyriū, & ad propriū ſanguinē profundendū, quàm initiati militiæ ad effundendū alienū: ideoq; non potuit Dauid ædificare templum, quia multum ſanguinem fuderat. Accedit quod occidere hominem iuſtè quamuis ſed in templo ſit ſacrilegiū propter indecentiam loci; ergo bellare, quamuis in bello iuſto erit ſacrilegium Sacerdoti. Vnde Clericus bellator, non tantùm ſit irregularis, ſed pro ipſo mortuo in bello interdicūtur oblationes, orationesq; vt patet Capitulo Quicumque Clericus: qu. 8. C. 23. Idem tradunt paſſim SS. PP. Naz. Oratione 2. de pace: Ambroſius Oratione in Auxentium, quæ exſtat lib. 5. epiſtolarū: Arma Epiſcopi ſunt, inquit, lachrimæ, & orationes. Chryſ. epiſtola ad Innoc. & Bern. lib. 4. ad Eugenium.

Sed tamen hic quoqua ſunt obſeruanda: ac primò quidem Clericis eſſe licitū hortari Laicos ad bellū pro defenſione oppreſſorum, & Eccleſiæ. Colligitur ex D. Bernardo loco citato, vbi dicit. Sacerdotis nutu, non manu materialē gladiū eſſe exerendum: & patet ex Cap. Omni timore, Quicūq; ex Clericis & Cap. Hortatu: q. 8. C. 23. & ex D. Aug. epiſt. 50. ad Bonif. Comitem. Poterunt itaque in genere hortari milites ad fortiter pugnandum, ſicut in veteri lege Sacerdotes buccinis ſacris incitabant filios Iſraël ad pugnandum bellum Domini; idque non tantum antè prælium; ſed etiam in prælio: non tamen eis licet in particulari hortari ad occidendum vel mutilandum. 75

Obſeruandum Secùndò: Clericos poſſe intereſſe bello de conſenſu Superiorum, vt milites rectè inſtruant, exhortentur, & Sacramenta pro oportunitate, vel neceſſitate eis adminiſtrent: ſi autem adſint, vt ipſi pugnent, peccare mortaliter, exceptis certis caſibus, de quibus ſtatim infrà; non tamen incurrere irregularitatē, ſi neminē ſuâ manu occidant, aut mutilent, vel ſuo hortatu in particulari faciant occidi, aut mutilari. 76

Obſeruandum Tertiò: Clericos qui dominium temporale habēt cum authoritate indicendi bellum, poſſe non tantùm indicere bellum, ſed etiam ad illud gerendum ſub nomine aduocare & conſtituere Duce: vt DD. colligunt communiter à ſimili: quia Capitulo Epiſcopus: ne Clerici vel Monachi in 6. declaratur, Clericos ſine irregularitatis metu, poſſe cauſas ſanguinis alijs delegare: non tamen poſſunt ipſi eſſe duces belli, quamuis perſonaliter non ſint pugnatori. 77

Obſeruandum Quartò: Certis caſibus licitum eſſe Clericis in bello iuſto pugnare: vt inprimis ſi Papa diſpenſet, & eis facultatem pugnandi faciat. Neque enim verum eſt, quod Gratianus circa initium qu. 8. cauſa 23. dicit, Clericos ſcilicet, nequidem Papæ authoritate poſſe arma capere: nam licet rationi & ſtatui Clericorum ſit valde congruum ab armis abſtinere, tamen ſimpliciter per ſe malum vel illicitum non eſt, niſi quatenus iure poſitiuo eſt prohibitum: Quidam autem Gratianum explicant, quod tantùm voluerit ſignificare; nō hoc ipſo quo Papa præbet Clerico conſenſum ad mouendum alicui bellum, poſſe idcirco propriâ manu pugnare, nec eiuſmodi facultatem datam debere intelligi. 78

Alter caſus eſt, quando Clerici non poſſent aliter vitam tueri, quam proprijs manibus pugnando.

Tertius, si cum subsidio Clericorum simul pugnantium ciuitas sit liberanda ab hostium expugnatione, quæ alioquin iminet: quo casu putat Caiet. Clericos teneri ad pugnandū. Illius autem rei exstat exemplum Eunomij Episcopi apud Theodoret. lib. 5. Histor. cap. 37. Eadem & maior erit ratio, si communis salus Reip. pendet à pugna Clericorum.

Quartus casus, si Clericus pugnando posset innocentem, qui eius opem implorat, eripere ab iniqua occisione.

79 Sed petet aliquis: quinam intelligantur per Clericos, quando bellum dicitur illis esse interdictum?

Respondetur, omnes omnino qui vel primam tantùm tonsuram habent, vt tradit Sylu. Verbo: Clericus 1: non peccabit tamen is mortaliter qui nondum est initiatus sacris Ordinibus, nec habet beneficium Ecclesiasticū ratione cuius teneatur vitare irregularitatem: peccabit nihilominus venialiter quamdiu gaudet priuilegio fori, etiam absq; beneficio Ecclesiastico: si autem nec beneficio fori quidem gaudeat, non erit modò propter consuetudinem introductam, peccatum vllum, si ad iustum bellum vadat: vt tradit Couarr. ad Clementinam, Si furiosus parte 2. §. 2.

ARTICVLVS III.

Vtrùm licitum sit in bello vti insidijs?

80 Conclvsio D. Thomæ est affirmatiua, modò tamen id fiat absque mendacio, & sine violatione fidei, si quæ sit hosti data. Constat ex cap. 8. Iosue, vbi filij Israel instruuntur, & mandatur eis vti insidijs contra ciuitatem Hai. Vnde D. August. quæst. 10. supra Iosue scribit, Cum iustum bellum quis susceperit, vtrū apertâ pugnâ, vtrum insidijs vincat ad causæ iustitiam non facere. Idem docet Hieron. in c. 2. ad Galat. & ratio est euidens: non enim tenetur Princeps indicare hosti consilia & media quibus intendat eum aggredi & debellare: vnde potest diuersa præseferre, vt dum hostis contra vnum se munit, possit facilius per aliud inuadere.

81 Addidi, Modò tamen fiat absque mendacio, quia illud nunquam est licitum: vt docet ex proposito D. August. lib. contra Mendacium: similiter addidi, Et sine violatione fidei datæ, quia etiam hosti fides seruanda est, vt habetur Capitulo: Noli quæst. 1. causa 23. quod desumptum est ex D. August. epistola 205. vnde & domus Saül 2. Reg. cap. 21. legitur punita, quia non seruasset fidem datam Gabaonitis: si tamen hostis prior violaret fidem, tunc quoq; data non esset ei seruanda, vt omnes fatentur: quia hæc conditio censetur inesse, si alter vicissim fidem seruet. Vti colligi potest ex Capitulo Peruenit 2. de Iureiurando, quod sic habet: Nec tu ei, etsi promissum tuum iuramento, vel fidei obligatione, nterpositâ conditione firmasses, aliquatenus teneris, si constat eum conditioni minimè paruisse.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm liceat diebus festis bellare?

Conclvsio D. Thomæ est: Pro tuitione Reip. fidelium est licitum 82
iusta bella exercere diebus festis, si tamen necessitas hoc exposcat. Probatur, quia præceptum de obseruandis festis non impedit ea quæ sunt necessaria ad salutem corporalem, etiam priuatorum. Vnde cum increpatione ad Pharisæos loquitur & dicit Christus Ioan. 7. *Mihi indignamini quia totum hominem saluum feci in sabatho:* vnde & medici possunt adhibere necessaria ad curandum hominem in die sabathi; ergo multo magis adhibere licet ea, quæ sunt necessaria ad cōseruandam salutem totius Reip. siue populi. Imo id prætermittere & à bello velle tunc cessare, esset tentare Deum: vt hic notat D. Tho. Ex quo rectè infertur, non tantùm esse licitum si hostis ingruat, sed etiam esse præceptu bellare & se defendere: quando autem necessitas non est: siue necessitate cessante, iuxta S. Tho. licitum non est illis diebus bellare. Circa quod tamen

Notandum est, quod oblata occasio 83
oportuna cædendi hostē, quæ forte transitura est, & sic liberandi Remp. à periculis hostium, vel hostem domandi, meritò sufficiens censeatur necessitas, vt pugnare liceat: quia belli onus, magna quędam est necessitas: quando ergo oportunitas adest sese ab illo onere expediendi, aut subleuandi, non erit contra præceptum de festis obseruandis, tunc præliando Remp. ab illa necessitate saluare. Confirmatur ex Capitulo Licet, de Ferijs: ex quo generaliter constat, ea seruilia diebus festis esse licita, quibus incumbitur rei tempore perituræ, siue quæ temporis moram non patitur absque periculo perditionis vel interitus.

Posset autem hic opponi Capitulum Treugis: de Treuga & pace, vbi dicitur, Treu-

tur, Treugas esse seruandas ab occasu solis feriæ quartæ vsque ortum solis feriæ secundæ, & quibusdam alijs temporibus. Sed breuiter respondetur cum Glossa, Capitulum illud non esse vsu receptum. Deinde dici potest vetari prælium aggressiuum absque omni necessitate, ita vt alio quocumque tempore æquè commodè & pari profectu fieri possit.

QVÆSTIO XLI.

De Rixa.

In duos Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Rixa sit semper peccatum?

1 NOTANDVM hic cum D. Thoma, quod sicut contentio importat quandam cōtradictionem verborum, ita rixam importare quandam contradictionē in factis: vnde Glossa in cap. 5, ad Galat dicit, Rixas esse quando ex ira se inuicem percutiunt. Ex quibus D. Thomas deducit huiusmodi rixæ descriptionem, scilicet quod sit priuatum quoddam bellum, siue pugna quæ inter priuatas personas agitur, non ex aliqua publica authoritate, sed magis ex inordinata voluntate: & proinde concludit, rixā semper importare peccatum, quod euidenter ex dicta definitione patet, & quidem ex parte inuasoris ex genere suo est mortale: quia bellum offensiuum absque publica potestate est cōtra iustitiā. Quandoquidem verò ad bellum iustum defensiuum non sit opus publicâ authoritate, vt suprà dictum est; hinc contingit eum qui in rixa se defendit, id facere aliquando sine peccato, quando nimirum seruat moderamen inculpatæ tutelæ: aliquando tamen peccare venialiter, si aliquantulum excedat: aliquando etiam mortaliter, si ex odio vel ardore vindictæ procedat, & magis cogitet se vindicare quàm defendere, vel iniurias duntaxat auertere. Quia autem rixæ affine admodum est duellum: hinc solent DD. hic de illo quoque disputare.

DVBIVM VNICVM.

Vtrùm duellum aliquo casu sit licitum?

2 VBi obseruandum inprimis, rixam & duellum in eo conuenire, quod vtrumque sit quædam pugna paucorum inter se, differre autem in duobus: Primò, quod rixa fiat subitò ex iracundiâ vel simili passione; duellum autem ex condicto & pacto vtriusque partis ad certum diem & locum, idque aliquando cum diuersis alijs solemnitatibus: & hoc dicitur solemne & publicum: aliquando absque istis solemnitatibus: & dicitur priuatum. Deinde, quod rixa semper fiat priuatâ authoritate; duellum autem generaliter loquendo, fiat aliquando authoritate publicâ.

Obseruandum Secundò: Plures posse occurrere causas ex quibus contingit duellum suscipi, quarum hæ sunt præcipuæ: scilicet pro ostentatione, pro voluptate spectaculi, pro vindictâ, pro defēsione honoris, pro obiecti criminis purgatione, pro defensione bonorum temporalium, pro euadenda morte alioqui certò imminente: Denique pro dirimendo bello quod alioquin inter Principes & Resp. intercedit. His præmissis Respondeo & 3

Dico Primò: Duellum, quod suscipitur pro solâ ostentatione virium aut artis, vel pro spectaculi voluptate, aut vindictâ est semper illicitum, etsi fieret ex consensu vel mandato publicæ potestatis. 4

Probatur, quia vtraque pars exponit se periculo occidendi innocentem, aut saltem nondum condemnatum: quod nec propriâ authoritate, nec mandato potestatis publicæ licitè quis potest facere, etsi quoque alter, siue vterque faceret alteri eiusmodi occidendi facultatem: quia nec dare potest, nec alter vti. Deinde vterque absque necessitate prodigè exponit vitam suam, quod iterum illicitum est, & contra charitatem propriam.

Dices: Potest Magistratus condemnare iniuriantem, & constituere eum, qui iniuriam passus est, executorem suæ sententiæ; ergo publicæ potestatis mandato poterit aliquis suscipere duellum pro vindictâ. 5

Respondetur Neg. Conseq. quia inprimis Magistratui non licet tali modo curare exequi suam sententiam: quamuis enim nocens possit iuste occidi, & etiam mandari exequutionem illi qui iniuriam passus (quamuis id minus conueniat) tamen non potest id facere cū euidenti periculo vitæ ipsius innocentis; cui eam exponit, quando committit ei duellum pro vindicta suæ iniuriæ. Deinde, non licet etiam innocenti sic vitam suam prodigere. Quare & propter periculum, quod illi ex duello immineret, redditur ei illicitum, cum iniuria alijs modis possit vindicari, & non tanti quoque sit facienda ista vindicta iniuriæ, vt pro eā debeat quis subire periculum recipiendi longè grauius malum, quàm fuerit prior iniuria.

6 Dico Secundò; Similiter illicitum est duellum quod suscipitur causa defendendi honoris, puta quia scilicet apprehendit quispiam se fore infamem, si prouocatus duellum non acceptet. Est Caiet. infrà qu. 95. artic. 8. & in summa V. duellum. Tostati ad cap. 17. lib. 1. Reg. quæst. vlt. Dom. Soto lib. 5. de Iustitia quæst. 1. art. 8. Nauarri. c. 15. nu. 28. Suarez disp. 13. sect. vlt. & aliorum communiter.

Probari potest Primò ex bulla Pij IV. in qua subijcit excommunicationi reseruatæ illos, qui ex quacumque causa, etiam à legibus non improbatā quocumque prętextu duellum admittunt; ergo neque pro honoris defensione licet.

Confirmatur, quia iudicio cuiuscumq; viri prudentis contra rectam rationē censebitur vterque illorum tunc eligere, aliū inuadere, aut percutere: tum quia non contrahitur aliqua vera infamia ex recusatione duelli tanquam rei illicitæ, quamuis imperitum vulgus stolidè aliter apprehendat, tum quia illa acceptatio non est defensio, sed aggressio: defensio enim tantum habet locum vbi vis vi repellitur: hic autem nulla vis intercedit. Vnde neque eadē videtur esse ratio huius sic acceptantis duellum, quæ est alicuius viri nobilis aut militaris percutientis pro honoris sui defensione illum, qui ignominiosè eum inuadit & percutit, quamuis illam percussionem potuisset fugiendo euadere. Sed de hoc casu infra latius De homicid.

7 Dico Tertiò: Illicitum quoque omnino est duellum quod spontaneè suscipitur siue ad probandum crimen quod quis alteri obijcit, siue ad purgandum quod alicui obijcitur: idque tam offerenti, quàm acceptanti illicitum est. Ita communiter DD. & constat ex Canonibus: vt Cap. 1. extra. de purgat. vulgari, & Capitulo Monomachiam Causa 2. quæst. 4. & Cap. Henricus Præsbiter: de Clericis pugnantibus in duello. Et probatur ratione, quia duellum reuera nullum est medium, siue ad probandum veritatem criminis, siue ad innocentiam declarandā, cum & iniusti accusatores, & innocentes soleant indifferenter in duello occumbere. Deinde, quod quispiam accuset alterum criminis, esto etiam iniustè, non est sufficiens ratio ob quam possit eum occidere; ergo neque vt possit in duello, quamuis prouocatus, eum aggredi, & ad eius occisionem conari. Præterea militat contra charitatem propriam: nam licet sit iustus accusator, aut innocens accusatus, tamē exponūt se periculo mortis dum pro sua volūtate duellum suscipiūt: si autē sint nocentes, quia scil. vel iniustè accusant, vel iustè accusati sunt, magis delinquunt, volentes superstitioso modo, aut crimen confictum probare, vel verum crimen negare, & à se auertere. Quare etiam, quocumque modo id fiat, tentatur in eo Deus, dum per medium indebitum præsumunt ab eo sperare auxilium, prout saltem præseferunt.

Sed difficultas est. Vtrum innocens iniustè accusatus, & certò damnandus ad mortem per iudicem, nisi acceptet duellum quod accusator præsentat, possit acceptare, præsertim approbante principe, vel etiam mandante: Quod antiquitùs fieri frequentius solet, vt colligitur ex citato Capitulo Monomachiam: quod planè reijcit omne duellum: & ex Cap. Henricus Presbyter, quod damnat eum homicidij, qui in duello ad probandum crimen eius, alium occiderat. 8

Multi sunt qui affirmatiuam partē tuentur: sic Lyranus ad caput 17. lib. 1. Reg. Caiet. locis supra citatis. Nau. c. 15. n. 9. cum Petro de Nauarra lib. 2. de Restitur. cap. 3. num. 289. Fundamentum horum esse videtur, quia huiusmodi acceptatio duelli, siue ipsum duellum est quædam necessaria, & vt apparet, iusta defensio vitæ suę, quam alio medio, aut modo conseruare non potest. Confirmatur, quia talis accusator aggreditur hunc innocentē gladio Iudicis, sicuti in Scripturis Dauid dicitur Vriam Hethæum occidisse gladio filiorum Ammon; ergo licebit illi se defendere, & per consequens adhibere medium quod vnicum superest, quo se contra illam aggressionem possit à morte saluare. 9

Negatiuam tamen partem docent Sylvester V. Duellum. Tostatus sup. Antoninus parte 3. tit. 4. §. 3. Soto lib. 5. de Iustitia & Iure qu. 1. art. 8. Mald. q. 41. cum alijs quos citat & sequitur Suarez loco antè citato; & hæc sententia videtur verior, & magis amplectenda. 10

Probatur

Probatur Primò: Si seponatur Iudicis authoritas vel voluntas (quam quidam in hoc casu non videntur etiam requirere) quia tum apparet omnino euidens, quod non sit hîc iusta defensio, sed priuata aggressio: defensio enim locum non habet, vbi ab actuali aggressore non infertur vis: atqui iste accusator iniquus reuera non infert vim, quia non cogit ad pugnam, sed inuitat: nec aliâ vi externâ aggreditur, sed tantùm obruit calumnijs: calumnia autem non debet vi, sed veritatis manifestatione propulsari: quod si hæc tibi possibilis non sit, non idcirco tamen licet ad media inordinata progredi, quæ verè non sunt media: sed adhibenda necessariò est patientia: quemadmodum si innocens à latronibus detineatur, cumque occisuri sint, nisi ipse alterum innocentem occidat, non poterit id facere, nec adhibere tanquam medium defensionis vitæ suæ.

11 Confirmatur, quia si acceptatio duelli tunc liceret ratione iustæ defensionis vitæ, eodem casu liceret etiam oblatio duelli, etsi accusator illud non offerret: quia etiam huiusmodi oblatio foret simili ratione necessaria & iusta defensio contra vim quam accusator ei infert imminenti gladio iudicis, atque ita licitè posset accusatorem prouocare ad duellum, quod tamen alterius sententiæ authores non admittunt.

12 Deinde sequeretur, quod sic iniquè accusato, & condemnando liceret occultè occidere accusatorem suum, si inde speraret fore quod sic mortem euaderet, à qua non possit alio modo se liberare: imo sequeretur, vt apparet, quod simili ratione, quis poterit occultè occidere actorem qui per Iudicem exuiturus eum est iniquè omnibus suis bonis fortunæ, aut maximâ eorum parte. Probatur, quia pro defensione horum licet occidere inuasorem, siue raptorem aut furem, quando aliter repelli non potest: atqui si aggressio quæ fit in iudicio per calumnias, debeat censeri aggressio violenta quæ vi externâ possit repelli, iam hic actor per vim inuadere dicetur omnia mea bona, quæ conseruare non possum contra talem inuasorem, nisi illum occidam: ergo ista occisio erit iusta defensio, & conseruatio bonorum meorum: sicuti occisio accusatoris in duello esset defensio vitæ innocentis. Quæ quidem sunt absurda, & seminaria plurimarũ cædium & aliorum malorum tendentium ad perniciem & summam confusionem Reip. vel cuiuscumque communitatis.

13 Sed neque in casu proposito redderur licita acceptatio duelli propter accedentem Principis aut Iudicis authoritatem, vel voluntatem, quia nõ potest iustè Princeps dare eiusmodi facultatem, multo minus velle, siue mandare: Confirmatur: quia secundum allegata & probata vel ipsi cõstat accusatum esse innocentem, vel constat esse nocentem, vel neutrum ex illis constat: si primum detur, euidens est quod teneatur illum absoluere, neque possit iustâ vel honestâ ratione illum periculo duelli committere. Idem dicendum est, si tertium ponatur: quia iura & ratio iustitiæ postulant, vt accusatore non probante absoluatur reus; & in dubijs similiter secundum iura, reo est fauendum: si autem secundum supponatur, tunc obligatur Iudex secundum ordinarium ius illum condemnare.

Dices: Iudex qui est supremus Princeps potest ex plenitudine potestatis, etiam cõuictum, aliquando absoluere; ergo potest etiam huic facere gratiam pro aliqua parte offerendo illi medium euadendi mortem per duellum, quod accusator præsentat, si forsitan ibi superet. 14

Respondetur Neg. Conseq. quia inprimis eiusmodi factum Principis parùm foret Christianum: esset enim exponere vtrumque periculo salutis animæ; quia inter accusatum, & accusatorem vix potest committi talis pugna absque odijs & affectibus priuatæ vindictæ, cum quibus natum est sequi, quod alteruter occumbet. Deinde non potest publica potestas exponere innocentem periculo vitæ absque iustâ ratione, nec ei facere licentiam vt ipse suâ voluntate id faciat, vnde si fiat, & magistratus & ipse peccabunt: ferendo autem eiusmodi sententiam exponeret accusatorem qui legitimè iuxta ordinem iuris probauit crimen alterius, periculo vitæ.

Dices iterum: potest fieri quod priuatâ scientiâ Iudex cognoscat innocentiam ipsius conuicti de crimine, & per calumniam tantummodo fuisse accusatum, & probatum reum; ergo tum saltem poterit Iudex ita ordinare, quia non fiet iniuria accusatori, vt apparet: est enim ipse reuera nocens, & dignus morte. 15

Respondetur Neg. Conseq. quia non potest Iudex morte aliquem afficere quãuis priuatim sciat illum esse reum, priusquàm sit conuictus de crimine secundum formam iuris, & proinde neque dare licentiam occidendi illum propter talem calumniam, quamdiu de illâ non fuerit conuictus. Neque refert, quod accusator offerat duellum; quamuis enim per hoc possit Iudex excusari ab iniuria in hanc particularem personam, non tamen idcirco ei licet hoc concedere: sicuti non potest id concedere duobus suâ sponte volentibus duellare, & quamuis consentiret

aut concederet, non tamen idcirco duellum esset licitum: alijs itaque modis debet Iudex adlaborare, vt in tali casu innocens liberetur, vt infra latius dicetur de Officio Iudicis.

16 Petes: An si duo essent iustè condemnati ad mortem, & Iudex illis demandaret, vt per duellum alter in alterum conaretur exequi sententiã eâ conditione, vt victor donetur vitâ, vtrùm ipsi possint duellum illud suscipere?

Respondetur videri quod ita: quia vterque habet ius occidendi alterum tanquam executor sententiæ iustæ, quâ vterque ad mortem est condemnatus ad id à publicâ potestate constitutus, quare ad id poterit vterque conari. Neque dum se defendunt, debent censeri lædere iustitiam publicam, quasi illi per vim resisterent, tum quia quilibet eorum non tam ex intentione agit defensiuè, quàm aggressiuè ad explendam sententiam iustitiæ, tum etiam quia publica potestas dum eis hoc committeret, censetur vtrique dare quoq; ius se defendendi contra talem ministrum iustitiæ, qui ex alio capite est reus, & legittime condemnatus. Non tamen huiusmodi Rei obligabuntur tale duellum, & exequutionem suscipere, quamuis Iudex illis demandaret. Neque enim sine peccato, & fortassis non absque periculo censurarum posset eis demandare talem exequutionem, quando iam morituri sunt, aut euidens mortis periculum subituri: quia tunc occupare illos eiusmodi concertationibus, vnde indebiti, & maligni motus facilè oriuntur, apparet præsertim inter Christianos, valde inordinatum. Quare & multo grauius delinquerent Iudices, & qui eiusmodi duellum committerent partibus quarum vel neutra, vel saltem altera nondum est conuicta & damnata, prout ex dictis facilè potest intelligi.

17 Dico Quartò: Videtur licitum fore duellum pro vitæ defensione si quis iniuste inuasus ab altero, non posset alio modo mortem euadere nisi acceptet duellum quod inuasor ei præsentat. Ita ad hanc quæstionẽ Mald. & probatur quia ex parte inuasi est pura defensio inculpata, neque propriè ex condicto, sed ex necessitate suscipit pugnam, & tantùm quasi consentit sibi dari arma quibus vim alterius iam contra se paratam conetur propellere & sic se saluare; non tamen illi liceret pascisci de duello committendo alio tempore ad certum locum & diem postquam libertati suæ esset restitutus, quia pactum illud esset de re illicita: postquam enim in sua est libertate extra potestatẽ & vim alterius, certum est, quod non illi liceat accedere vt cum ipso duellum ineat: quare si promisisset, aut iurasset non tamen liceret adimplere.

Dico Quintò: In simili casu non improbabiliter existimant quidam posse etiam acceptari duellum pro defensione bonorum temporalium quando scilicet illa essent magni momenti, & acceptans duellum commensurando vires cum viribus alterius, iudicaret quod nõ subiret nisi commune periculum, sicuti quilibet subit qui inuasorem bonorum suorũ facientem etiam resistentiam aggreditur armis vt sua bona saluet. Declaratur, quia hæc oblatio duelli, magis est quædam permissio vt accipiat alter arma quibus possit res suas defendere, quàm duelli propriè omninò dicti. Addo autem, si commensurando vires suas &c. quia si obseruaret, quòd euidenti mortis periculo se exponeret, videretur tunc peccare contra charitatem propriam quæ dictat vitam esse præponendam bonis fortunæ. 18

Dico Sextò: Non peccabit Princeps qui iustum bellum gerit, si totũ belli pondus reuocet ad duellum, siue ad pugnam inter paucos, modò tamen id faciendo non deducat victoriam ad statum magis dubium, quàm foret si bellum generale intertaneatur. 19

Probatur, quia potest Princeps qui iustum bellum gerit, condescendere aut ordinare, vt prælium vniuersale condicto loco & tempore fiat, quando prudenter sic sperat victoriam, vt eâ ratione ad belli finem perueniat, & multa mala, quæ sequuntur ex belli diuturnitate, euitentur; ergo poterit similiter condescendere, vt pauci aliqui prȩlientur, quãdo adest ȩqualis aut maior spes victoriæ, quàm sit in prȩlio vniuersali, & sic bellum terminetur. Confirmatur, quia non apparet cur prælium generale potius esset licitum, quàm pugna paucorum quando fit ex eadem authoritate publicâ ob eosdem fines cum spe paris, aut maioris profectus quoad victoriam, & consequutionem pacis: sola enim differentia multitudinis personarum non variat honestatem vel iustitiam pugnæ.

Addidi in Conclusione: Modo tamen non ad statũ magis dubiũ &c. quia alioqui Princeps tunc peccaret cõtra ius debitum suæ Reip. cui ex officio tenetur omni securiori modo prouidere, ac consulere. Huc accedit, quod etiam videretur iniquior contra istos suos subditos qui imprudenter, & sine iustâ causâ exponerentur periculo in tali pugnâ. Imo Caiet. locis sup. cit. existimat tunc demum posse Principem mutare belli pondus in duellum, quando videt se aliter inferiorem, & succum- 20

succumbere: quod tamen non videtur absolutè necessarium: quando enim spes victoriæ non minuitur, nec minus certa redditur ex eiusmodi mutatione, sanè non apparet tunc cuique adduci incommodum, aut fieri iniuriam: interim verò euitantur cædes plurimæ etiam subditorum innocentium. Sed quoniam conueniens & vtilis mutatio eiusmodi belli fortassis rariùs accidit, ideo opus erit magnâ prudentiâ, & circumspectione: nec facilè nisi in aliqua necessitate videtur eò deueniendum.

21 Dico Septimò & vltimò: Possunt milites, qui iustum bellum sequuntur, de licentiâ Principis suscipere duellum, quo recusato exercitus hostilis fieret animosior, & suo modo fortior: è contra autem exercitus proprius timidior, & sic infirmior. Ita ex Nauar. cap. 15. circa finem docent Mald. & Suarez locis antè citatis.

Probatur, quia est quoddam partiale bellum habens iustitiam causæ eandem cum toto bello, & tendit ad eundem finem scilicet ad deijciendos hostes, & ad victoriam consequendam, ad quam est veluti quædam præparatio & introductio. Vnde hoc modo iustificari potest duellum Dauidis contra Goliath: quamuis alioquin non indigeat hac excusatione, quia ex diuino instinctu fuit Dauid illud aggressus, & ex diuinâ reuelatione cognouit quod gigantem illum deijceret, & superaret. De pœnis autem quas incurrunt tum ipsi illicitè duellantes, tum alij qui ad id auxilio vel consilio vel alijs modis cooperantur, videre licet Conc. Trid. Sess. 25. de reform. cap. 19. de quibus etiam agi solet in Tract. de Censuris.

ARTICVLVS II.

Vtrùm rixa sit filia iræ?

CONCLVSIO D. Thomæ est affirmatiua. Declaratur: quia rixa importat contradictionem quâ deuenitur ad verbera, & intéditur læsio alterius scientis & reluctantis: hoc autem prouenire solet ab animo irato, cui etiam non satis esset alterum occultè læsisse, vel nocuisse: sed vult apertè & non latenter alterum lædere: in quo differt ira ab odio, quod etiam vergit & intendit ad malum alterius: sed huic satis est, quòd alter mala patiatur, nec desiderat alium cognoscere, vnde mala illi proueniant. 22

QVÆSTIO XLII.

De Seditione.

1 DOCET hâc quæst. D. Thomas inprimis Seditionem esse peccatum speciale: quia speciali bono vnitatis & pacis multitudinis, siue communitatis est opposita. Deinde docet esse ex genere suo peccatum mortale: quia est iniquus tumultus tendens ad pugnam contra commune bonum pacis, & vnitatis Reip. siue Communitatis: quæ licebit videre latius hic explicata apud D. Thomã,

QVÆSTIO XLIII.

De Scandalo.

In octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm scandalum conuenienter definiatur, quòd sit dictum, vel factum minus rectum præbens occasionem ruinæ?

1 OBSERVANDVM hic est primò, Scandalum esse dictionem Græcam, & significare generaliter offendiculum in via, ad quod impingens quispiam offendit se & cadit. Vnde translatum est ad offendicula spiritualia, quorum occasione animus inducitur in peccatum, siue ad spiritualem ruinam.

Obseruandum Secundò, quod sicut in alijs contingit effectum nomine causæ, & causam nomine effectus compellari, ita etiam hic euenire: nam & ipsa scandali actiua obiectio, & ipse incursus siue impactio in offendiculum obiectum, ac ipsa ruina nomen scandali admiserunt: quod subindicat etiam D. Hier. in cap. 15. Matth. 2

dum

dum scribit: quod Græcè scandalum dicitur, nos offensionem vel ruinam, aut impactionem pedis possumus dicere.

3 Vnde scandalum, sic de illo latè loquẽdo, diuidi solet in scandalum actiuum, & passiuum: vt scilicet actiuum intelligatur in eo qui ponit alteri offendiculum: passiuum autem in eo qui in offendiculum impingit & labitur. Prius potest subdiuidi in scandalum formale, quo explicitè scilicet intenditur ruina proximi, & in interpretatiuum, quando non quidem expressè intenditur ruina proximi, sed tale opus fit coram pusillis, quod natum est inducere illos ad lapsum. Posterius diuiditur in scandalum acceptum, & in scandalum datum: Acceptum passiuum tunc est, quando quis ex dicto aut facto alterius captat occasionem peccati ex propriâ malitiâ: nõ autem quod intentio facientis, vel opus ex sua conditione tale sit, vt pusillos inducere natum sit ad ruinam: & istud vocatur communiter scandalum pharisaicũ, sic dictum, quia Pharisæi ex Christi doctrinâ & miraculis ita malitiosè accipiebant frequentius occasionem grauius peccandi, vt ex Euangelijs constat. Passiuum autem datum tunc est, quando quis ad peccatũ inducitur ex opere alterius quod vel ex ipsius intentione, aut suo modo ex conditione operis natum est alios, in quorum conspectu fit, vel ad quorum deuenit notitiam, mouere ad peccandum.

4 Notandum itaque tertiò: hic quæstionem esse potissimùm, non de scandalo passiuo, nec de ruinâ succumbentis: sed de scandalo actiuo cui correspõdet passiuum datum, sicuti illud iam explicuimus. His præmissis respondetur & sit

5 Conclusio Vnica: Scandalum ita sumptum rectè definitur, esse dictum vel factum minùs rectum præbens alteri occasionem ruinæ. Ita hic D. Thomas ex S. Hier. in cap. 15. Matth. Non additur, vel Concupitum, sicuti in definitione peccati apud Augustinum: quia licet solo actu interno frequenter peccetur, non tamen solus actus internus potest esse causa, siue occasio ruinæ proximi, quandoquidem ei non innotescat. Porrò quemadmodum in definitione peccati, sub dicto & facto subintelliguntur etiam dicti aut facti debiti negationes siue priuationes, ita etiam hic intelligendæ sunt: quia etiam omissiones tam dicti, quàm facti possunt ponere alijs offendiculum. Dicitur autem potius in definitione, minùs rectum, quam malum: quia frequenter committitur actiuũ scandalum, etiam vbi vnius circumstantiæ defectu actio est minùs recta, vel vbi tantùm habet speciem mali: eoque nomine pro tempore & loco illicita. Vnde Apostolus 1. ad Tessal. cap. 5. vult nos ab omni specie mali abstinere, & ad Rom. 12. vult nos prouidere bona, non tantùm coram Deo: sed etiam coram hominibus.

Additur præbens occasionem ruinæ, scilicet siue ex intentione expressâ, siue interpretatiua facientis modo suprà explicato. Hoc itaque est quod per modum differentiæ, constituit actum in ratione scandali, de quo agimus. Dicitur verò prębens occasionem ruinæ, non autem dicitur, efficaciter inducens: Primò, quia potest actus habere malitiam scandali actiui, etsi proximus de facto exinde in peccatum non cadat, modò ipse ex intentione facientis, vel ex operis conditione sit inductiuus modo quo dictum est. Quare respondet illi scandalum passiuum vt natum est ex illo sequi, siue de facto sequatur, siue non. Deinde, quia efficax causa ruinæ est propriè ipsa voluntas eius qui peccat. Inductiua itaque ratio ad ruinam sequitur ex imperfectione aliquâ rectitudinis actus, puta quia licet fortassis in se malus non sit ipse actus, tamen non sit cum omnibus debitis circumstantijs in ordine ad loca & personas, vbi & coram quibus fit. Conformiter penè definit Tertull. scandalum lib. de Velandis virginibus cap. 3. quando dicit, esse malæ rei exemplum ædificans ad delictum: bonæ enim res, inquit, (quæ scilicet omni ex parte bonę sunt) neminem scandalizant, nisi malam mentem. 6

ARTICVLVS II. III. & IV.

Vtrùm scandalum sit peccatũ? Vtrùm speciale? Et, vtrùm mortale?

Conclusio Prima: Scandalum est peccatum: & quidem ex genere suo mortale, quatenus contrariatur nimirum charitati proximi & misericordiæ, vt hæc inclinat ad correctionem fraternam. Colligitur ex Script. ad Rom. 14. *Si enim propter cibum frater tuus contristatur: iam non secundum charitatem ambulas*, id est, contra charitatem: actus autem qui per se sunt contra charitatem, sunt ex genere peccata mortalia 1. ad Cor. 8 *Percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis*, & Matth. 18. de illo qui alios scandalizat dicitur, melius fore illi, si mola asinaria ad collum eius suppendatur, & demergatur in profundum. Quo peccati huius grauitas multum exaggeratur, sicuti & per illud quod Apostolus dicat eos in Christum peccare, 7

peccare,

peccare, qui percutiunt infirmã conſcientiam fratris. Huc etiam facit quod apud Matth. ſequitur, *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit*: quando enim in Scripturis propter aliquid fit comminatio, *Væ*, ſignificari ſolet illud eſſe peccatum graue & mortale.

8 Probatur Secundò ratione, quia ſicuti corripiendo quis fratrem lapſum lucratur, ita offendiculum ponendo perdit illũ pro quo Chriſtus mortuus eſt, dum ſtantem & in via Dei ambulantem propellit in ruinam & mortem ſpirituale; ergò &c. Confirmatur, nã mortaliter peccat qui proximum corporaliter occidit, ergo magis qui cauſa eſt mortis animæ. Cæterum tunc ſcandalũ certò mortale ſemper erit, quando intenditur ruina proximi in peccatum mortale; veniale autem ordinariè quando per actum indifferentem, aut qui veniale peccatum tantummodo eſt, intenditur expreſſè aut interpretatiuè lapſus proximi in aliquod veniale. Quamuis enim ſcandalum ex genere ſit mortale, tamen ratione paruitatis materiæ contingit etiam eſſe veniale, quemadmodum aliquando etiã fieri poſſet ob defectum plenæ aduertentiæ.

9 Contingit autem committi ſcandalum duobus modis: vno quaſi viã exempli ad ſimile peccatum perpetrandum: ſicuti Ieroboam & alij in libris Regũ dicuntur feciſſe peccare Iſraël, quando Idola erigendo vel ijs immolando induxerunt populum Iſraëliticum ad Idololatriã. Alio modo, quaſi viã alienationis à bono: ſicuti filij Heli ſcandalizabant populum Iſrael, quando per ſuos ſacrilegos abuſus circa ſacrificia alienabant illũ à cultu & ſacrificijs Domini; cuiuſmodi ſcandalum nimis etiã modò eſſe in Eccleſia Chriſti frequens timendum eſt, dum propter ambitionẽ, auaritiam, & alia vitia ſuperiorum Eccleſiæ & Sacerdotum, multi ad hæreſes aut liberiorem vitã inducuntur, vel in ijs obdurãtur.

10 CONCLVSIO Tertia: Scandalum habet rationẽ ſpecialis peccati, vbi de actiuo eſt ſermo, ſicut prius indicauimus. Eſt D. Tho. & communis aliorũ ſic indefinitè loquendo de ſcandalo. Et declaratur breuiter, quia opponitur ſpeciali bono, ſcilicet charitatis & miſericordiæ ſpiritualis erga proximum, quia tendit ad ſpiritualem eius ruinam, quam charitas & miſericordia ex ſuo munere ſtudent præcauere & auertere vel reſtaurare.

11 Dixi quod Concluſio ſit communis ſic indefinitè loquendo: quia inter DD. multũm controuertitur, an actiuum ſcandalum formale ſolum habeat rationem ſpecialis peccati, an etiam illud, per quod diximus interpretatiuè intendi ruinam proximi. Nã multi exiſtimant ſolum formale, quo expreſſè intenditur ruina proximi, habere rationẽ ſpecialis peccati, non ſic alterum. Ita docent hic Caiet. a. 3. & in Summa V. ſcandalũ. Palud. & Durand. in 4. diſt. 38. Bannez hîc art. 4. Alij vero contrarium ſuſtinent. Syl. V. ſcandalum q. 2. Antoninus 2. parte tit. 7. §. 4. Nauar. cap. 6. num. 19. à Valentia & Malderus hîc, quorum ſententia videtur verior.

Probatur Primò, quia in alijs peccatis ſufficit interpretatiua voluntas, ſiue intẽtio mali affectus, aut finis, vt actus ab eo contrahat ſpecialem malitiam, & diſtinctam: v. g. ſi quis tantùm intendens ſuæ libidini ſatisfacere, fornicetur cum ſanctimoniali, vel in loco ſacro, accedit ſpecies ſacrilegij; ergo ſimiliter quando quis corã alijs peccatum committit, aut eiuſmodi actũ exercet, vnde natũ eſt ſequi quod illi ædificabuntur ad peccatum, contrahet actus ille ſpecialem inde malitiam quæ erit propria peccato ſcandali, quamuis non explicitè intendat mittere proximum in ruinam. 12

Probatur Secundò: quia Apoſtolus ad Rom. 14. & 1. ad Cor. 8. clarè docet, eos grauiter peccare, qui opus alioquin in ſe licitum, faciebant, ſed tale quod corã alijs factum vel ab alijs cognitum cauſabat eis ruinam. Neq; vrget quòd explicitè intenderent cauſare ruinam fratrũ, ſed ſimpliciter quod dum illi tale quid facerent, alij ædificarentur ad lapſum, & peccatum; ergo opus ſcandaloſum, quo licet quis non explicitã, ſed tantùm interpretatiuã volũtate intendit ruinam ſpiritualem proximi, habet ſpecialem rationem peccati. Patet conſequẽtia: quia illa de quibus Apoſtolus agit, non habebant ex ſe aliam malitiam, & tamẽ grauiter eos reprehendit qui iſta coram alijs facerent; vt ex verbis eius cõſtat. Ad Rom. loco cit. ſic loquitur: *Scio & confido in Domino* IESV, *quia nihil cõmune per ipſum, niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi cõmune eſt:* & tum addit: *Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur: iam non ſecundum charitatem ambulas.* Vbi agnoſcit malitiam ſcandali in illa comeſtione cibi per ſe alioquin liciti: illud enim: *Non ſecundum charitatem*, idẽ eſt quod contra charitatem: vt conſtat ex eo quod ſequitur: *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Chriſtus mortuus eſt:* & infrà addit: *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. Omnia quidẽ ſunt munda: ſed malum eſt homini qui per offendiculũ manducat:* & loco cit. ad Cor. *Videte autem ne fortè hæc licentia veſtra* (quia ſcilicet liberã conſcientiã comeditis Idolotytha, ſiue idolis immolata perinde vt alios cibos, quia ſcitis idolum nihil eſſe, & ita in tali comeſtione nihil ei venerationis defertis) *offendiculum fiat infirmis*: & paulo poſt: 13

Et peribit infirmus in tuâ scientiâ frater: & in fine capitis: *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

14 Ex quibus satis constat ad peculiarem malitiam scandali contrahendam, sufficere quod actio ipsa sit talis, vt dum tali loco & tempore coram his personis exercetur, nata sit eos inducere in ruinam: quam proinde operans interpretatiuè censeatur intendere, quamuis expressè siue explicitè minimè intendat istam ruinam. Pro quo etiam facit, quod Christus Matth 18. simpliciter dicat: *Væ homini illi per quem scandalum venit:* non autem, qui de industriâ fratrem ad peccandum inducit: quod notauit quoque Antoninus loco supra cit.

15 Probatur Tertiò: Quia alioquin rarissimum foret scandali peccatum, & dæmonibus penè proprium: quia rariùs agunt homines sua ex proposito, vt proximum in ruinam spiritualem pertrahant: sed alios habere solent sibi fines propositos; quod nihilominus vitium illud sit magis commune & obuium satis indicāt verba Christi: *Væ mundo à scandalis. Necesse est enim vt veniant scandala: veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit;* ergò &c.

16 Sed contra Obijciunt alij primò, quod hinc sequatur actum externum semper adijcere interno nouam & distinctam malitiam, cuius contrarium tradi solet in 1. 2 ergò &c.

Respondetur negando id sequi, quia multa possunt inprimis committi peccata externa, quorum alij non sint conscij: deinde non quorumlibet hominum quælibet peccata solent ædificare alios ad ruinam etsi illa cognouerint, & fortassis scandalum paterentur si ab alijs fierent. Accedit quod non in omnes, coram quibus potest cōtingere peccatum committi, cadat scandalum: vt infrà dicetur: quod autem peccatum scandali frequenter sit adiunctum externis peccatis non negamus.

17 Obijcitur Secundò saltem fornicatio semper erit duplex peccatū propter scandalum complicis: præter intemperantiam enim erit spirituale homicidium quoddam proximi, qui inducitur ad peccandū, quod tamen non videtur debere dici. Hoc argumento potissimùm nititur Caietanus.

Respondetur autem negando assumptum, quia inprimis ante actualem congressum fornicationis, iam altera pars cōsentit, & sic hæc fornicatio non causat illi spiritualem ruinam, neque illius fornicationem, quam nunc prius admittere cum illo constituit.

18 Dices, sed fornicator hic suis lenocinijs aut blanditijs alteram partem induxit in consensum quæ de incontinentia committenda non cogitabat, forsitan minus autem consentiebat.

Respondetur id fieri posse, & fortassis frequenter fieri, sed dubium non videri, quin illa inductio alterius ad secum fornicandum sit speciale peccatum contra charitatem & meritò cum scandalo annumerandum quotiescumq; ita fit; An verò debeat specialiter in confessione exprimi, noua est quæstio: quidam existimant viros non debere id exprimere, eo quod soleat hoc esse commune quod viri pelliceant fæminas, & propterea sine expressione id à confessarijs satis intelligi, fæminas verò, si virum induxerint, debere hoc exprimere, quia præsumūtur alioquin inductę, non induxisse: Existimo tamen etiam viros debere exprimere, quando virgines aut mulieres, alioquin castas, induxerunt ad eiusmodi lapsum & spiritualem ruinam, tum quod etiam de hoc peccato debeant se accusare, tum quod ex eo quod iuuenis dicat simpliciter se commisisse fornicationem, non satis alterum percipiatur, nisi saltē addat cum muliere aut puella aliàs pudica & casta: nā multę possunt fieri fornicationes cū illis, quæ noscuntur aut satis obseruātur appetere, aut satis paratæ esse absq; aliqua inductione ad consensum extorquendum.

Tertiò potest obijci authoritas D. Tho. qui videtur aliter sentire: nam hic art. 3. 19 distinguit scandalum actiuū in illud, quod est per se, & in illud quod est per accidens: explicat autem scandalū per accidens sic, vt sit illud, quod est præter intentionem, vt puta, inquit, cum aliquis facto suo vel verbo inordinato non intendit alteri dare occasionem ruinæ, sed solum suæ satisfacere voluntati, & sic scandalum actiuum, addit, non est speciele peccatum, sed quod per se est, illud vult esse peccatū speciale: tunc verò dicit per se esse, quando aliquis suo inordinato dicto vel facto intendit alium trahere ad peccandum; ergo ad specialem malitiam scandali videtur necessaria expressa intentio ruinæ proximi ex mente D. Tho.

Respondetur, quamuis illa sic nudè cōsiderata videantur satis fauere alteri opinioni, tamen collata cum illis quæ habet a. 1. ad 4. manifestum euadit, quod nobiscum sentiat: ibi enim scribit, dictum vel factum alterius posse dupliciter alteri esse causam ruinæ, per se scilicet, & per accidens: tunc autem docet per se esse generaliter, quādo quis suo modo vel intendit verbo vel facto alium ad peccandum inducere, vel etsi hoc non intendat, tamen ipsum factum est tale, quod de sui ratione habet quod sit inductiuum ad peccandū: vnde addit: Et tunc ille,

ille, qui huiusmodi actum facit, propriè dat occasionem ruinæ, ex quo manifestè consequens est, quod contrahat etiam propriam malitiam scandali: per accidens autē tunc vult esse alteri causam ruinæ, quādo & præter intentionem, & præter conditionem operis quispiam malè dispositus ex opere tali inducitur ad peccandum: vt dum ex bonis factis alicuius alter inducitur ad inuidiam: Articulo etiam 6. in Corpore dicit, scandalum actiuū propriè esse, cum aliquis tale quid dicit vel facit, quod de se tale est, vt alterum natum sit inducere ad ruinam.

20 Ex quibus simul collatis facilè obseruatur, quomodo intelligēda sint quæ scribit art. 3. & hîc obijciuntur, scilicet quod tum D. Tho. intelligat quempiam intendere dare alteri occasionem ruinæ, quādo eam vel expressā voluntate intendit, vel interpretatiuā propter operis conditionem taliter coram alijs facti censetur illam velle: quod confirmatur ex adiunctis: ibidem addit enim furtum esse speciale, propter speciale nocumentum proximi quod intēditur; cum tamen fures non soleant expressè intendere proximo nocere, nisi fortassis aliquando particulare habeant odiū, sed tantùm sibi bona acquirere vt inde viuant in otijs, vel cum luxu consumant; veruntamen ex conditione operis sequitur speciale nocumentum proximi: id igitur sufficit, vt dicatur fur intendere.

Confirmatur Secundò, quia in actibus malis ad contrahendam malitiam alicuius peccati non est necesse, quod malitia illa per se intendatur, sicuti requiritur vt bonitas sit per se intenta ad constituendum actū in tali vel tali specie virtutis, sed sufficit quod per modum circumstantiæ sit coniuncta illi, quod hic & nunc per se intenditur, prout in 1. 2. tradi solet.

21 In actu itaque scandali considerari possunt tres defectus:

Vnus est, qui ipsi operi quasi intrinsecus est, quatenus est malum aut habens speciē mali, vnde non debet hic & nunc fieri.

Alter est, quem participat ex parte peccati quod committit scandalizatus: qui enim suā inordinatā vitā vel indiscreto vsu potestatis suę inducunt pusillos ad peccata, efficiuntur quoque istorum peccatorum participes: vt patet ex Capitulo 1. Hi quoscumq; Dist. 1. ex D. Hier. in cap. 3. Micheę desumpto vbi dicitur, illos qui promouent malæ vitę Sacerdotes, esse infidelitatis eorum reos qui inde scandalizantur.

22 Tertius est proprius ipsius scandali, vt speciale peccatum est, & consistit in eo, quod hoc dictum aut factum propriè præbeat proximo occasionem ruinę spiritualis quæ ex charitate debebat caueri. Non itaque ratione primi aut secundi defectus habet rationem specialis peccati, quia hi possunt ad varia peccata pertinere, sed tātùm ratione tertij. Quare scandalum passiuum nō est etiā speciale peccatū: vt notat D. Tho. quia ex opere alterius minus recto contingit alios in diuersa induci peccata, & sic spiritualiter labi: est tamen semper peccatum, quamuis non semper mortale, nam etiam veniale peccatum est quidā lapsus spiritualis. Ex quibus etiā intelligitur impropriè eos loqui qui dicunt se scandalizari ex facto alterius, ea de causa, quod iusta indignatione cōtra eiusmodi factum commoueantur, sed in peccatum aliquod non inducuntur. Quomodo autem semper sit peccatum scandali aut illicitum petere aliquid ab altero quod non putatur præstiturus sine peccato, dum tamen potest, ex alijs locis, vt ex Tract. de vsura & de scripturis satis intelligi potest, quare illud hîc prætermittimus.

ARTICVLVS V. & VI.

Vtrùm scandalum, siue actiuum, siue passiuum cadat in viros perfectos?

23 CONCLVSIO Prima: Scandalū passiuum nō cadit in viros perfectos. Ita S. Tho. Probatur, quia perfecti sunt qui Deo perfectè inhærent per dilectionem quæ fortis dicitur vt mors; non ergo subiacent scandalo passiuo: sicuti enim Deo fortiter inhęrent, non propter homines, ita neque propter facta hominum ab eo recedunt. Idem colligitur ex Scripturis quę de illis, qui scandalizantur, loquuntur tanquam de paruulis qui nondū creuerunt in scientia & rerum diuinarum: vt Matth. 18. *Qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis, qui in me credunt*, & Ps. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam: & non est illis scandalum*, ergo &c.

25 CONCLVSIO Secunda: Similiter scādalum actiuum locum non habet in perfectis, qui scilicet pro modulo vitæ huius reijciunt omnia impedimenta perfectæ charitatis. Declaratur, quia dum sibi inuigilāt vt omnia sua secundum legē Dei & rectæ rationis ordinem faciant, etiā ne alijs sint offendiculo proinde cauent. Neque obstat quod perfecti etiam peccatis, saltem venialibus, subiaceant, quia solent hæc ferè ex aliqua obreptione aut inaduertētia ab illis committi, & minora esse vt aliquis capiat inde occasionem offendiculi.

25 Debent tamen intelligi duæ istæ conclusiones de eo quod ordinariè fit; nam

ſicuti contingit perfectos aliquando dæmonis ſuggeſtionibus ac tentationibus cadere, ita poteſt contingere quod idem fiat concurrente etiam peccato alicuius alterius, & ſic patiantur ſcandalum paſſiuum, cum quo iterum poteſt eſſe coniunctum, quòd illo ſuo peccato inducant alios ad lapſum & ſpiritualem ruinam, atque ita committunt ſcandalum actiuum.

ARTICVLVS VII.

Vtrum bona ſpiritualia ſint propter ſcandalum dimittenda?

26 CONCLVSIO Prima: Spiritualia bona, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, non ſunt propter ſcandalum prætermittenda. Eſt D.Tho. & communis ac certa. Sic v.g. non poteſt quiſquam prætermittere obſeruationem præceptorum legis naturæ ſub prætextu vitandi ſcandali. Ratio eſt manifeſta, quia non poteſt quis peccare vt alterum à peccato impediat: nam ſecundum ordinem charitatis debet quiſque magis velle ipſe inhærere Deo per amorem, quàm proximum, & magis cauere ne ipſe Deum offendat aut illi diſpliceat, quàm ne alius quiſpiam. Quare ne venialiter quidem mentiendum eſt ad ſcandalum aliorum vitandum: quia quæ intrinſecè mala ſunt, non ſunt media eligibilia ad bonum finem: vt hîc docet D. Tho. ad vltimum. Simili modo non poterit quis prætermittere ea quæ ex neceſſitate ſalutis tenetur hîc & nunc facere, quamuis alij ſint inde ſcandalizandi: vt paſtor non poteſt omittere baptizare infantem iam iam moritu um, quamuis adſint qui inde capient occaſionem blaſphemandi ſacramentum & religionem Chriſtianam: ſic etiã in articulo pro quo obligat præceptum confeſſionis fidei, non licet eam omittere propter ſcandalum Tyranni, & miniſtrorum eius, qui accepturi inde ſunt occaſionem diuerſorum peccatorum: ſcandalum enim iſtud paſſiuum in talibus caſibus non cenſetur datum, ſed acceptum.

27 CONCLVSIO Secunda: Bona ſpiritualia, quæ neque abſolutè, neque hîc & nunc ſunt neceſſaria ad ſalutem, aut ad vitandã Dei offenſam, aliquando ſunt differenda, aliquando prætermittenda ad vitãdum ſcandalum puſillorũ qui ex ignorantiâ aut aliquâ humanâ infirmitate inde fierent deteriores: ſic opera diuini præcepti affirmatiui, quod non pro ſemper obligat, debent aliquando differri pro aliquo tempore quando cauſarent puſillis ſcandalũ, donec illi ſint melius inſtructi, aut circumſtantiæ illius ſcandali ſint mutatæ: ita vt contingat præceptum affirmatiuum etiam iuris quaſi naturalis, aliquãdo hîc & nunc non obligare propter concurſum negatiui præcepti de non ponendo offendiculo puſillis. Ita docet Adrian. Quodlibeto 1. non longè à fine: à Valentia hic pun. 4. & alij.

Poteſt autem colligi ex Capitulo: Duo mala, & altero ſeq. Diſt. 13. Ex quibus etiam hoc habetur, quòd eo caſu conſiderandum ſit, ex quâ parte maius malum immineat, & quòd ſecundum rationis diſcretionem, minus ſit amplectendum. Ita quoque bona ſpiritualia, quæ tantùm ſunt in conſilio, differenda ſubinde ſunt propter eandem cauſam: vt ingreſſus religionis, ſi obſeruentur parentes ſic diſpoſiti, quòd inde peccandi occaſionem apprehenderent ex aliquâ ignorantiâ aut infirmitate: vt quòd & filium, & ipſum Ordinẽ odio proſequerentur, aut damnis afficerent, vel inſtitutum religionis blaſphemarent. Poſtquàm tamen modeſtè & leniter deſuper fuerint moniti & inſtructi, neque appareat ſpes quod aliter ſeſe habebunt, non tenebitur filius ab ingreſſu religionis ſimpliciter abſtinere, præſertim quando id cederet in detrimentum ſalutis, aut in notabile damnum ſpiritualis profectus: quia tunc paſſiuum parentum ſcandalum erit pharisaicum acceptum, non datum à filio. 28

Sic frequenter omittenda veniunt quæ legibus humanis ſunt conſtituta, vt colligitur ex Capitulo de Syracuſanæ vrbis Antiſtite: diſt. 28. & Capitulo Aliquantos: diſt. 5. Vnde & Auguſt. lib. 3. contra epiſtolam Parmeniani cap. 2. docet, abſtinendum eſſe ab excommunicatione, quando timetur inde ſeditio, aut ſchiſma in Eccleſia. Propter ſcandalum autẽ phariſaicum nunquam ſunt omittenda ſpiritualia bona, quãdo iuſta cauſa ſubeſt illa faciendi, Colligitur ex verbis Chriſti Matt. 15. vbi poſtquam Apoſtoli dixerunt ei, *Scis quia Phariſæi audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt*. reſpondit: *Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum*, &c. Addo, quando iuſta cauſa ſubeſt, ſicuti dum Chriſtus populum doceret veritatem euangelicam, & myſteria fidei explicare, quæ omittere non debebat propter malitiam Phariſæorum: nam alioqui ſi cauſa non ſubeſſet, prohiberet charitas, etiam ex malitiâ peccaturo, offerre peccandi occaſionem: abhorret enim illa ab omni eo quod Deum offendit; licet quaſi cogatur ex neceſſitate, aut alijs iuſtis rationibus id aliquando cũ gemitu tolerare, quando aliter impedire non poteſt. 29

ARTIC.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm propter scandalum sint temporalia bona dimittenda?

1 CONCLVSIO Prima D. Thomæ est: Quæ non sunt bona nostra, sed tantùm curæ nostræ commissa, sicuti bona Ecclesiæ sunt commissa prælatis, & bona pauperum magistris & tutoribus, non sunt dimittenda propter scandalum.

Ratio reddi potest, quia dum illa ex officio seruamus ijs quorum sunt, non potest quis inde scandalizari, nisi ex malitiâ captet occasionem peccandi: quandoquidem ex præcepto obligemur illa non dimittere alijs.

2 CONCLVSIO Secunda est: Quoad nostra bona temporalia, aliquando hæc sunt dimittenda si penes nos sint, vel relinquenda si apud alium, ad vitandum scandalum pusillorum, idque vel simpliciter, vel ad tempus donec pusilli sint aliter instructi, & constet eis, quàm meritò & iustis ex causis detineamus, aut repetamus nostra: quod si vlterius inde scandalizentur, iam ruina illa non ex infirmitate, sed ex malitiâ eorum censebitur propriè prouenire. Vnde addit D. Tho. quod aliquando propter scandalum, quando scilicet illud est pharisaicum, non sint temporalia nostra dimittenda, imò aliquando suadet & requirit contrarium charitas: vt si propter nostram facilitatem homines nequam euaderent audaciores ad aliena inuadenda & occupanda, vel si eis sic occasionem daremus, vt in suis iniustitijs amplius perseuerarent: tunc enim ex charitate, pro bono animæ ipsorum, est illis resistendum, non acquiescendum.

QVÆSTIO XLIV.

De Præceptis charitatis.

Octo habens Articulos.

PRAESVPPOSITIS ijs, quæ hactenus de charitate, & ad eam pertinentibus diximus, supersunt aliquot dubitationes breuiter examinandæ hic circa materiam huius quæstionis.

DVBIVM I.

Vtrùm sit aliquod præceptum speciale de actu dilectionis, distinctum à præceptis aliarum virtutum?

1 Sunt nonnulli Scriptores qui id videtur negare, eò quod ad legem charitatis spectet obseruantia omnium mandatorum Dei, juxta illud Christi Ioann. cap. 14. *Si diligitis me, mandata mea seruate:* ergò non videtur admittendum speciale præceptum de charitate, sed ad eam tantũ requiritur, vt alia præcepta omnium virtutum obseruentur.

2 Dicendum nihilominus est, omninò de charitate, ac dilectione extare speciale præceptum, idque duplex scilicet de diligendo Deo, & de diligẽdo proximo. Cõstat clarissimè ex doctrina Christi Matth. cap. 22. Vbi à legis Doctore interrogatus: *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* Respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tuâ. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* 3

Et probatur ratione: quia charitas est virtus specialis: vt ex suprà dictis constat: proindeque habet actum specialem, qui est debitus seu necessarius tanquam finis vitæ spiritualis: qui consistit in vnione cum Deo quæ fit per dilectionem: In quantum autem aliquid habet rationem debiti, in tantum cadit sub præcepto, vt habet hic D. Tho. art. 1. quod & satis patet de actu dilectionis ex Scriptura iam allegata: ergo admittendum est speciale quoque mandatum de charitate, siue de eius actu. 4

Ad argumentum itaq; in contrariũ Respondetur Neg. Conseq. nam illa bene cõsistunt, quòd charitas habeat proprium suum actum, qui in affectu dilectionis consistit, sitque in præcepto: & quod ipsa simul curet in omnibus alijs obseruari voluntatem sui dilecti: Hæc enim ratio amicitiæ postulat, vt quis amet amicum, & præcaueat ne offẽdat, aut ne faciat ea quibus nouit amicum offendi; & qui ista negligit, conuincitur amicum non amare. Neque refert, quod in Decalogo non po-

 natur

natur speciale præceptũ dilectionis: quia vt bene docet D.Tho. hic art. 1. ad 3. omnia præcepta Decalogi ordinãtur ad dilectionem Dei & proximi, *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bonâ, & fide non ficta*, vt dicit Apostolus 1. ad Timoth. cap. 1. & ideo præcepta charitatis non fuerunt connumeranda inter præcepta Decalogi: sed hæc veluti principia per se nota supponuntur, & in ordine ad ea assequenda seu adimplenda, præscribuntur expressius ista alia tanquam quædam conclusiones practicæ ex vniuersalioribus quibusdam principijs naturali ratione, sed non sine quâdam difficultate, alioquin deducendæ. Accedit quod præcepta Decalogi sint accommodata statui antiquæ legis, qui fuit seruitutis & timoris: non adoptionis filiorum & dilectionis: & ideo in decalogo non connumerantur præcepta charitatis. In Deuteronomio tamen, quo significatur secunda lex, & status Euangelicus, ibi c. 6. exprimuntur præcepta de diligendo Deo & proximo.

DVBIVM II.

Vtrùm non sufficiat exhibere externa opera dilectionis proximo? An verò oporteat etiam interno affectu illum diligere?

5 PLures sunt opiniones circa hanc difficultatem, vt videre est apud Malderum hâc quæst. 44.

Pro resolutione & explicatione respondeo & dico primò: Præceptum de diligendo proximo sępius inculcatum in Scripturis Sanctis, non de solâ exhibitione externâ operum, quæ dici solent esse charitatis: sed etiam de interno affectu dilectionis accipiendum est. Colligitur ex D. Th. sup. quæst. 25. art. 9 vbi dicit, dilectionem interiorem ad inimicum in communi esse de necessitate præcepti: in speciali autem non absolutè, sed secundum præparationem animi. Quod & apertius significat Quodlib. 4. art. 24. ad 1. vbi dicit, præceptum illud, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, pertinere ad interiorem actum.

6 Et probatur ex Scripturis, quia conformi planè sermone mandatur nobis diligere Deum & proximum: vt suprà apud Matthæum cap. 22. & 1. Ioannis cap. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo: vt qui diligit Deũ, diligat & fratrem suum.* 1. Petri c. 1. *In fraternitatis amore simplici, ex corde inuicem diligite attentiùs.* Imò vt diligamus fratrem sicut Christus dilexit nos, Ioannis c. 13. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem: sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.* Ioannis c. 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos:* debemus autem diligere Deum interiori affectu charitatis & sic Christus dilexit nos; ergò &c.

Confirmatur: quia verbum diligere, & nomen dilectionis significant magis affectum, quàm opus, siue effectum. Deinde nullus dixerit illũ diligere qui exhiberet alicui opera beneficẽtiæ sine interiori affectu & amore: imò si vellet haberi tanquam diligeret, diceretur fictè agere & fictè diligere; ergò &c.

Probatur Secundò ex D. Aug. qui lib. 1. de Doctrina Christiana c. 28. expressè dicit, omnes homines affectu diligi debere: effectu autem cum non possint omnes diligi, eos esse diligendos quos sors quædam nobis coniunxerit; ergò &c.

Hinc dico Secundò: Oportet ergo ex 7 necessitate præcepti diligere proximum interiori animæ affectu, & precari ac velle omnibus salutẽ, & ea quæ ad salutem spectant. Constat satis ex dictis: & amplius declaratur ex D. Augustino qui ad citata Christi verba Ioannis 13. *Mandatum nouum do vobis*, docet, nouitatem mandati consistere in hoc, quod olim non fuerat datum distinctè, vt diligeremus inuicem in vitam æternam, sicuti Christus in nouo Testamento hoc præcepit, vt sicut ille dilexit nos ad vitam æternam, ita quoque diligeremus fratres & proximos.

Hoc autem notandum est, quando præ- 8 ter opus externum dicimus requiri internum affectum dilectionis, non sic esse accipiendum, quasi necessariò sit exercendus interior actus absque omni externo, sed quod vel hic seorsim sit exercendus, aut certè coniungendus cũ alijs externis operibus, prout communiter solet esse coniunctus cũ spiritualibus operibus charitatis: quando enim quis in ijs quæ sunt salutis: v.g. instruit ignorantes, aut dubitantibus bene consulit, aut peccatores arguit, tunc solent ista fieri ex, & cum affectu dilectionis, quo desideramus ipsis salutẽ: Similiter quando oramus in communi, vt, adueniat nobis regnum tuum, vt dimittantur nobis peccata, nobis & alijs optando & apprecando bona ista, diligimus interno quoque affectu proximos.

Hinc admodum vtile & salutare fuerit 9 quod populus à pastoribus instruatur, quomodo in Oratione Dominicâ sint exercendi actus virtutum Theologicarum, & eis adhærentium: Ac in primis actus fidei nostræ in præambulo, quando dicimus, *Pater noster qui es in cælis:* In illis enim verbis continetur quidã ascensus mentis in Deũ: quo contestamur nos Deum recognoscere & credere patrem nostrum, tum ratione creatio-

creationis, quâ nos condidit secundum naturam; tum ratione adoptionis, quâ nos regenerauit per gratiam sanctificantem: simul quoq; nos recognoscere illum Regem ac dominum Cœlorũ in quibus propter diuersas rationes peculiariter dicitur esse, ac suam habere residentiam: quamuis alioquin simpliciter loquendo sit vbique præsens. Actus verò excellentissimæ charitatis erga Deum exercetur: quando precamur: *Sanctificetur nomen tuum:* per hoc enim cupimus & desideramus, vt nomen Domini glorificetur, celebretur, ac in veneratione & reuerentiâ à nobis & ab omnibus habeatur: deprędicentur virtutes eius, magnitudo, pulchritudo, potentia, sapientia, bonitas, misericordia, iustitia, & cæteræ eius perfectiones, ipseque Deus & Dominus in se Sanctus & Æternus permaneat: Quare dum summa quæque bona hic Deo exoptamus, eademque illi quasi aggratulamur, euidens est, quod magnæ dilectionis actũ exhibeamus. Quid enim aliud est diligere aliquem, quàm ei bene & bona omnia velle. Quando autem oramus: *Adueniat regnum tuum,* tunc exercetur virtus spei, & actus dilectionis tum propriæ, tum proximorum, quatenus scilicet petimus & desideramus, vt Deus in nobis & in proximis nostris hîc regnet per suam gratiam & sanctas operationes, quæ sunt præcipua bona quæ possumus nobis & proximis hic velle: & vt istis mediantibus deducat omnes ad regnum gloriæ cœlestis, quod finis & terminus est spei nostræ. Similiter exercetur dilectio proximi, quando in communi petimus vt Dei voluntas à nobis obseruetur: vt nobis & proximis debetur panis quotidianus, dimittantur nobis debita siue peccata, & à malis liberemur: sicuti iam antè diximus.

10 Cæterùm dicit Malderus loco cit. probabile esse eum non peccaturum mortaliter (omissione scilicet huius dilectionis) qui tunc saltem affectum dilectionis proximi habuerit, quando illum postulat vel necessitas exterius subueniendi, vel deponendi contrarium odium, aut quid similiter: quod etiam satis indicat à Valentia Tom. 3. Disp. 3. q. 19. puncto 2.

11 Dices: Potest fieri, vt alicui tota vita non occurrat talis casus necessitatis, puta quia tanquam Eremita quis solus habitat, qui nihil nouerit de indigentiâ alicuius proximi, ergo talis nunquam tenebitur toto vitæ tempore elicere actum dilectionis proximi. Respondetur: Ita quidam videtur de tali sentire, quòd non sub mortali tenebitur: quamuis non absque veniali posset prętermittere. Sed aliter respondeti potest, nullũ esse, qui aliquantulũ diutius viuit, cui non obtingat necessitas iuuandi proximum: quia tametsi fieri possit, quod ex suâ abstractiori ab hominibus ratione viuendi, non cognoscat particulares necessitates horum vel illorum, tum temporales tum spirituales, tamen non potest ignorare, quin saltem in communi multi laborent necessitatibus spiritualibus: Vnde tenetur in communi orare & orationibus iuuare proximum: atque ita tenebitur etiam tunc affectum dilectionis erga proximum exercere: hoc vel simili modo orando: *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri: Vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.* Item, *Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitauit nos oriens ex alto: Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent,* &c.

DVBIVM III.

Vtrùm præceptum de diligendo Deo possit in hac vitâ impleri?

Videtur quod non: quia D. August. lib. de Perfectione Iustitiæ in Resp. Ratiocin. 16. scribit: quòd in plenitudine charitatis patriæ præceptum illud implebitur *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: & in totâ animâ,* &c. nam cum aliquid adhuc est carnalis concupiscentiæ, quod continendo frænetur, non omnino ex tota anima diligitur Deus. Et confirmatur ratione: quia vt docet D. Thomas hîc art. 6 isto præcepto mandatur, vt tota voluntatis intentio feratur in Deum: quod est ex toto corde diligere Deum: & quod intellectus noster totus subdatur Deo, quod est in totâ mẽte: & quod appetitus noster totus reguletur secũdum Deũ, quod est in totâ animâ, inquit, & quod exterior actus obediat Deo, quod est totâ fortitudine, siue virtute, siue ex totis viribus diligere Deum: atqui non possumus præstare, quòd tota voluntatis intentio feratur in Deum, quia sic nunquam peccaremus venialiter: neque etiam quod intellectus totus in omnibus suis apprehensionibus sit Deo subditus: & minùs quod omnes motus sensitiui appetitus sint regulati secundum Deum; ergò &c. 12

Respondet Diuus Thomas articulò suprà citato dupliciter posse præceptum aliquod impleri vno modo perfectè, & alio modo imperfectè. Tum perfectè impletur, quando simul coniungitur finis, quem præcipiens intendit: tunc autem imperfectè, quando licet ad finem nõ 13

perueniatur, tamen non receditur ab ordine ad finem: vt si Princeps mandet: Sic pugnate, vt vincatis hostem, perfectè implebunt illi mandatum qui pugnando hostem vincunt: Implebunt tamen & alij, sed minus perfectè seu minus cōpletè, qui pugnant, & licet non vincant hostem, tamē nihil contra militarem disciplinam admittunt.

14 Vt itaque hoc pleniùs intelligatur, obseruandum est, quædam præcepta sic ferri, vt non tantùm contineant id quod est faciendum, sed etiam monstrent finem ad quem est contendendū, & ad cuius assecutionem est laborandum, sicuti hoc patet in præcepto Principis ita expresso, Sic pugnate vt vincatis: & eiusmodi præceptum quoque est hoc de Dilectione, iuxta sensum D. Augustini, & secundùm expositionem datam: quia mandatur dilectio Dei super omnia, & simul monstratur, quò debeamus tēdere, & ad quid cōari: scilicet ad hoc vt ita homo totus per charitatem Deo vniatur, vt nullus ab eo procedat motus animæ vel corporis, qui non fit planè secundum diuinum præscriptum, & referatur ac tendat in Deum, tanquam in finem vltimum hominis.

Respondet itaque D. Thomas art. cit. quod præceptum illud de diligendo Deo in viâ possit impleri imperfectè: quia hîc cum Dei gratiâ potest homo diligere Deū super omnia tanquam finem vltimum, sic vt nihil admittat contrarium ordini ad ipsum, quo voluntas eius auertatur ab illo fine, & simul conari & proficere in assecutione eius, quod proponitur obtinendum. Verùm quia in hâc vitâ nunquam plenè & perfectè id assequimur, hinc docet non posse nos in via implere perfectè illud præceptum, modo scilicet dicto, quia non plenè & perfectè possumus assequi illud ad quod assequendum monstratur esse nobis laborandum: Sed sic perfectè implebimus illud in patriâ. Vide quæ in simili difficultate circa præceptum *Non concupisces*, diximus in 1. 2. quæst. 74. art. 4. num. 16. & sequentibus. 15

QVÆSTIO LXV.

De Dono sapientiæ correspondente charitati.

1 QVÆ D. Thomas hac quæst. per sex articulos de dono sapientiæ disputat, breuitatis, & commodioris ordinis causa, propositis aliquot dubijs explicabimus.

DVBIVM I.

Quidnam sit Sapientia, vt inter dona Spiritus Sancti numeratur? & an sit speculatiua tantum? An etiam practica?

2 REspondeo & Dico Primò: Sapientia hæc est donum Spiritus Sancti: quo redditur homo habilis & dispositus vt à Spiritu Sancto motus quasi connaturali quadam consensione rectè ac dignè secundum regulas diuinas iudicet de Deo, eiusque perfectionibus: ac de medijs ab eo ordinatis pro salute humani generis. Colligitur ex ijs quæ scribit D. Tho. partim art. 1. partim 4. & 5. Et quidem quod sapientia aliqua sit donum Spiritus Sancti patet ex illo Isaiæ c. 11. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus Sapientiæ, & Intellectus*: quod ex modò dicendis amplius constabit. Declarantur autem reliqua: quia sicut generatim ad sapientem pertinet cōsiderare causam altissimam, quemadmodum docet Philosoph. lib. 1. Metaphys. in principio, per quam de alijs inde dependentibus certissimè iudicatur; & secundum quam omnia ordinari oportet: siue ea sit altissima simpliciter, siue tantū in certo aliquo genere, vt in medicina, vel architectura, iuxta quod Apostolus 1. ad Corinth. 3. dicit: *Vt sapiens architectus fundamentum posui*, &c: ita ad sapientē simpliciter, ac perfectissimo modo talem pertinet, vt cognoscat causam altissimam simpliciter, quæ est Deus, & nouerit rectè de rebus diuinis iudicare & per regulas diuinas de alijs etiam bene disponere & ordinare: idque non tantū ex nudâ speculatione, vel aridâ consideratione rerum: sed cum quâdam connaturalitate siue internâ coniunctione mentis cum Deo, vt affectus conformiter sit imbutus cum intellectu, & cum quâdam sympatia sibi correspondeat, quod fit per informationem charitatis: atque ita charitatem præsupponit: Ideoque docet D. Thomas artic. 4. quod donum sapientiæ nō possit esse cum peccato mortali: iuxta illud Sap. cap. 1. *In maleuolam animam*

animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis: facultatem autem sic iudicandi de Deo & de rebus ad eum ordinatis, non assequitur homo nisi per Spiritum Sanctum iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. cap. 2. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia: & ipse à nemine iudicatur: spiritus enim*, vt ibidem dicitur, *omnia scrutatur, etiam profunda Dei*: & sic manifeste constat hanc sapientiam esse donum Spiritus Sancti.

3 Dico Secundò: Sapientia hæc non tantùm est speculatiua, sed etiam practica. Ita docet expressè Diuus Thomas hîc articulo tertio: Caietanus & alij: & ad id ostendendum allegat illud Apostoli ad Coloss. cap. 4. *In sapientia ambulate ad illos qui foris sunt tempus redimentes*: quia hoc pertinet ad actionem, ergo sapientia quoque est practica. Idem confirmat ex D. Aug. lib. 12. de Trinit. vbi inprimis cap. 7. dicit, quod superior hominis ratio intendit rationibus supernis & conspiciendis & cōsulendis: conspiciendis quidem secundùm quod diuina in seipsis contemplatur: consulendis autem, secundùm quod per diuina iudicat de humanis actibus, per diuinas scilicet regulas dirigens actus humanos: capite autem 14. sequenti docet, superiorem partem rationis sapientiæ deputari, inferiorem autem scientiæ: ergo sapientia, sicuti superior pars rationis cui est deputata, intendit quoque rationibus diuinis consulendis in ordine ad directionem actionum spiritualium: neque refert, quod sapientia, quæ ponitur virtus intellectualis, sit speculatiua tantum: quia vt habet D. Thom. art. cit. ad 1. quantò virtus aliqua est excellentior, tantò se extendit ad plura: & hinc quia donum sapientiæ est excellentius, vtpote magis de propinquo Deum attingens per quandam spiritus vnionem animæ ad ipsum, fit quod non tantùm dirigat hominem in contemplando, & dignè iudicando de Deo & eius perfectionibus in seipsis: sed etiam in iudicando de actionibus secundum regulas diuinas in ordine ad Deũ: & sic iuxta illud quod dicitur Sap. c. 8. *Non habebit amaritudinem conuersatio illius*, (nimirum sapientiæ) *nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium*, contingit, quod labor, & amaritudo quæ in actibus humanis solent reperiri, vertantur in suauitatem & quietem, quatenus ex directione spiritus sapientiæ intendentis in superna & æterna exercentur.

DVBIVM II.

Vtrùm Donum sapientiæ competat omnibus iustis?

INquirit hoc D. Thomas hîc art. 5. Distinguit autem duplicem gradum huius doni: Vnum qui tribuit rectum iudicium circa diuina tum contemplanda, tum etiam consulenda ad bene ordinandum de humanis ad Deum, quantum est necessarium ad salutem: Alterum verò ponit magis perfectum & altiorem, tum ad conspicienda & contemplanda diuina, quia per hunc profundiora mysteria Deitatis cognoscantur, & dignè æstimantur, ac etiam explicari possunt: tum quoque ad dirigendas actiones sublimius in ordine ad Deum iuxta diuinas regulas. Donum itaque sapientiæ iuxta priorem gradum docet simpliciter nulli deesse immuni existenti à peccato mortali: ita vt in resp. ad 3. dicat, quòd etiam pueri & amentes baptizati habeant habitum sapientiæ, secundum quod est donum Spiritus Sancti: licet non habeant actum propter impedimentum corporale quo impeditur in eis vsus rationis. Probat autem suam doctrinam D. Thomas: quia si natura non deficit in necessarijs, multo minus gratia in suis filijs deficiet: Vnde 1. Ioan. c. 2. inquit, dicitur: *Vnctio docet vos de omnibus.* Ast secundum gradum posteriorē dicit non cōpetere omnibus habentibus gratiam gratum facientem: quia sic magis spectat ad gratias gratis datas, inquit, quas Spiritus Sanctus distribuit prout vult, iuxta illud 1. ad Corinth. cap. 12. *Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ.* 4

DVBIVM III.

Vtrùm donum sapientiæ distinguatur à fide præsertim formatâ? & quomodo? Item quomodo differat à Donis Scientiæ, & Intellectus?

VIdetur Donum sapientiæ etiam non distingui à fide formatâ: quia fide diuinâ primò cognoscimus Deum, & Sanctissimam Trinitatem, aliaque plura de Deo tum secundum se, tum vt est generalis prouisor humani generis in ordine ad beatitudinem naturalem: ac simul etiam regulas diuinas secundum quas oportet dirigere actiones nostras in ordine ad Deum vt finem, idque etiam cum quadam connaturalitate, quia fides formata habet charitatem coniunctam. His tamen non obstantibus docet D. Thomas hîc quæst. 5

quæst. 45. art. 1. ad 2. quod donum sapientiæ distinguatur simpliciter à fide: nã fides assentit veritati diuinæ secundum seipsam, inquit; Sed iudicium quod est secundum veritatem diuinam, pertinet ad donum sapientiæ, & ideo donum sapientiæ præsupponit fidem.

6 Vbi oritur difficultas, quomodo illud discrimen subsistat, quandoquidem in ratione assensus importetur iudicium: quicumque enim assentit absque formidine, iudicat sic esse: & è contra qui iudicat ita esse, ille assentit. Respondet Caiet. quamuis assensus & iudicium communiter se inferant, nihilominus inter se distingui: assensus namque propriè est determinatio sui ad alteram partẽ contradictionis: quicumque enim assentit alicui affirmationi vel negationi siue ex causis, siue ex euidentia rei, siue ex authoritate dicentis, dicitur assentire quia intellectum determinat ad talem partẽ siue ad adhærendum tali parti. Iudicium autem magis est determinatio rei vt est, vel esse debet: ex eo namq; dicitur quis iudicare aliquid, quod determinet illud sic esse, aut debere esse; quæ duo non sunt omnino idem: nã prior videtur esse assensus secundum naturæ ordinem, quàm iudicium quod pro ratione affectus sępius solet formari & distinctionis indicium euidens potest esse, quod in aliquibus materijs quis nesciat iudicare, & tamen bene potest vni parti assentiri, vt vbi vtraq; contradictionis pars est valde probabilis, potest quis assentiri & adhærere vni parti, & non iudicare rem ita reuera se habere.

7 Sic igitur explicat Caietanus distinctionem à D. Thoma positam, quod fidei primò sit assensus: Sapientiæ primò sit iudicium. Dicit primò, tum quia vnum infert alterum in materiâ istâ, tum inquit, quia non intelligo dona Spiritus Sancti sic distingui à virtutibus Theologicis, vt perficiant ad actus disparatos: sed vt perficiant inchoationem bonitatis, quam actus qui secundariò sunt Theologicarum virtutum, ab ijs sortiuntur. Vt v. g. fidei actus primo est assentiri: & eiusdem etiam est percipere res diuinas, & iudicare: vt hi ergo secundarij perfectius eliciantur, adduntur dona Spiritus Sancti, puta donum intellectus, quo profundius diuina mysteria cognoscuntur: Donum sapientiæ, quo de ipsis bene iudicetur. Ita ferè Caiet. quæ verè videntur dicta. Hoc tamen putarem addendum, quòd iudicium illud quod sapientiæ appropriatur non tantùm sit determinatio, quod res ita sint, & sic se habeant, sed quod simul importet reuerentialem æstimationem de illis, dignam tanto obiecto: vt clariùs licet intelligere ex ijs quæ D. Tho. tradit quæst. seq. de Stultitiâ vt vitio opposito sapientiæ: dicetque ideo eis inhærendum & ab oppositis recedendum, vt dicit D. Tho. sup. quæst. 8. artic. 6. in Corp. quodque in eo potissimum quasi superexcedat fidem etiam formatam.

Quod verò attinet ad donum intellectus, & ad donum scientiæ, distinguit illa sic D. Thomas sup. quæst. 9. art. 1. tum inter se, tum à dono sapientiæ, quod scilicet ad donum sapientiæ spectet iudicium illud de Deo & diuinis attributis siue perfectionibus, quod iam explicuimus: ad donum autem scientiæ pertineat simile secundum quandam proportionem iudiciũ de rebus creatis ad fidem spectãtibus cum ordine quoque ad dirigendas actiones nostras secundum legem & regulas fidei: nam sicuti sapientia non tantũ est speculatiua, sed etiam practica, vt hic docet D. Thomas; quamuis 1. 2. quæst. 68. art. 4. aliter senserit, ita quoque scientia non tantũ est practica, sed etiam speculatiua, vt docet sup. quæst. 9. art. 3. vbi addit, & donum consilij in eo distingui ab istis duobus, quod per hoc ad singularia opera applicemus iudicia illa, scilicet tum de rebus diuinis, tum de rebus creatis, quatenus hęc seruiant actibus nostris dirigendis. Ad donum verò intellectus spectat quod diuina mysteria, quibus per fidem assentimur, intellectu apprehendantur, & quasi penetrentur: sicuti intellectus vt est virtus potentiæ intellectiuæ, dicitur quidam habitus quo prima principia scientiarum cognoscimus & quasi intuemur. 8

Cæterùm vtrum dona Spiritus Sancti differant à virtutibus, & quomodo, disputatur inter Scholasticos: & variæ eâ de re sunt opiniones: vt videre licet apud D. Thomam 1. 2. quæst. 68. art. 1. vbi ipse quidem resoluit ea esse reipsa distincta à virtutibus: & art. 3. docet esse quosdam habitus super naturales & infusos, quibus scilicet homines iusti (in ijs enim solis & omnibus vult dona Spiritus Sancti habere locum) sunt specialiter dispositi vt instinctui & motioni Spiritus Sancti quasi extrinsecus aduenienti aut immisso promptè & facilè cooperentur, sicuti per virtutes infusas disponuntur ad cooperandum bonæ inclinationi gratiæ sanctificantis, & adoptionis: quæ quasi superior quædam natura est: sed quia non est per se connaturalis homini, sed supra naturam hominis, & præter suam propriam homini infusa, ideo in ipso planè sufficiens est ad omnes operationes cõuenientes tali statui hominis in ordine ad finem supernaturalem ex- 9

lem exercendas: & propterea neceſſe eſt hominem etiam ſingulariter ſæpius à Spiritu Sancto moueri: & quia hoc neceſſarium eſt, hinc vult D. Thomas ponenda iſta dona in homine tanquam habitus ſupernaturaliter infuſos & à virtutibus diſtinctos, vt diximus, vt per illa ſit habitualiter diſpoſitus tum ad recipiendos influxus iſtos Spiritus Sancti: tum maximè ad eos ſequendos, ſiue ad cooperandum cum illis: & ita cum D. Thoma docent Caiet. Conradus, Medina ibidem ad qu. 68. cit. Richard. in 3. d. 34. art. 1. quæſt. 1. Greg. à Valentia tom. 2. ibidem quæſt. 8. p. 1. & alij multi. E contra Scotus in 3. d. 38. quæſt. vnica. Gabriel ibidem art. 2. Maior quæſt. 1. Almainus in Tract. 3. Moral. cap. 23. Vaſquez. in 1. 2. Diſput. 89. c. 2. exiſtimant dona eſſe ſeptem ipſas virtutes præcipuas, ſcilicet tres Theologicas, & quatuor Cardinales, aut certè peculiares quoſdam earum actus.

10 Quandoquidem verò D. Thomas & alij paſſim doceant illa dona Spiritus Sancti eſſe communia omnibus iuſtis, & his ſolis conuenire, videtur mihi non improbabiliter dici poſſe de quatuor illis quæ potentiam intellectiuam habent pro ſubiecto, de quibus nobis hîc iam eſt aliquis ſermo, quod non diſtinguantur omnino à dono ſeu habitu fidei: ſed quod ſuperaddant tãtum peculiarem quandam Spiritus Sancti aſſiſtentiam propter coniunctionem cum charitate, quà fiat vt habitus fidei valeat peculiari & quaſi connaturali modo ad illos omnes actus, qui ad illa dona reſpectiuè dicuntur ſpectare: omnia enim illa quatuor ad cognitionem ſupernaturalem ordinantur, quæ in nobis per fidem fundatur, vt habet D. Tho. ſup. quæſt. 9. cit. art. 1. quæque extendit ſe ſaltem ſecundariò vt etiam Caiet. ſupra dixit, ad omnia circa quæ dicuntur dona hæc verſari, quāuis modo minus perfecto, qui per connaturalitatem appetitus ad res diuinas, quam quirit voluntas informata charitate, poteſt intelligi ſufficienter perfici, adiuncta ſimul peculiari aſſiſtentia Spiritus Sancti quaſi permanenter per modum habitus ad cooperandum fidei: Neque videtur numerus habituum ſupernaturalium omnino diſtinctorum ſic multiplicandus abſque grauiori aliqua neceſſitate vel cauſa.

QVÆSTIO XLVI.

De Stultitia quæ ſapientiæ opponitur.

1 TRIA docet D. Thomas hac quæſtione de Stultitia per totidem articulos: Primò quod ſtultitia opponatur ſapientiæ: dicit enim D. Greg. lib. 2. Moral. cap. 36. Donum ſapientiæ dari contra ſtultitiam. Porrò hic nomine ſtultitiæ non intelligitur amentia ſiue priuatio omnimoda rationis: ſed quædam obtuſio ac hebetudo mentis circa res diuinas, vt nihil dignè de illis valeat iudicare, neque eas vt decet æſtimare. Secundò itaque docet huiuſmodi ſtultitiam eſſe peccatum, quatenus ſcilicet quis ita ſenſus

2 ſuos immergit rebus terrenis & actibus mundanis, vt totus animalis non percipiat ea quæ ſunt Spiritus Dei, vt dicitur 1. ad Corinth. cap. 2. & reddatur contrarijs diſpoſitionibus ineptus ad ſapiendas res diuinas: ſicuti habenti guſtum infectum malo humore, non ſapiunt dulcia: Tertiò docet huiuſmodi ſtultitiam eſſe filiam luxuriæ: quia ſenſus ſpiritualis & mens hominis maximè hebetantur, vt rectè de diuinis rebus & ſentire & iudicare non poſſit, per carnales & luxurioſas delectationes, quæ ſic animam abſorbent ſæpius, vt non ſolum non æſtimet homo diuina, ſed etiam omnem honeſtatem cuiuſcumq; virtutis, nomen quoque & famam propriam negligat & contemnat. Hinc tam ſollicitè & ſeriò Sapiens lib. Prouerbior. cap. 5. & 7. hortatur ad vitandam luxuriam iuuenes quibus ſapientiæ ſtudium conatur perſuadere.

FINIS.

Nomini tuo Domine da gloriam.

INDEX

INDEX RERVM

QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Littera *P.* denotat Paginam, *N.* Numerum.

A.

Vide

Assensus.

B.

Baptismus.

Bellum.

Beneficentia.

Blasphemia.

Bonitas.

Bona.

C.

Canonizatio.

Catholici.

Certitudo.

Charitas.

Christianus.

Cognitio.

Concilium.

Confessio fidei.

Contentio.

Cornelius.

Correptio.

Correptio.

Credere.

Credibilia.

D.

Damnati.

Decalogus.

Desperatio.

Dilectio.

Eleemosyna.

Episcopi.

Fidei actus.

Fuga.

Habitus

H.

Habitus.

Hæresis.

Hæreticus.

I.

Iehu.

Imperium.

Indignatio.

In graui

O.

Pontificia

Præceptum.

Prælati.

Præsumptio.

Primatus.

Prudentia.

R.

Respublica.

Reuelatio.

Rixa.

S.

Scandalum.

Schisma.

Scientia.

Secta.

Seditio.

Spes.

Præceptum

Baptismus

V.

Virtus.

Vitium.

Z.

Zelus.

ERRATA.

Paginâ 24. columnâ 1. lineâ 34. *Sarmentij & Famissarij* lege *Sarmentitij & Semissarij* vel *Semaxij*, aut *Semaxarij*, vt legit Pamelius ad finem Apolog. quia ad stipitem semiaxis exurebantur. p. 25. c. 1. l. 6. *propaginandam* lege *propagandam*. p. 29. c. 2. l. 23. *sentes* lege *fontes*. p. 37. c. 1. l. 18. *significare* lege *significari*. ibid. c. 2. l. 7. *concidit* lege *coincidit*. p. 54. c. 1. l. 22. *pratectura* lege *præfectura*. p. 80. c. 1. l. 15. *operationi* lege *operationis*. p. 104. c. 1. l. 14. *congregatis* lege *congregantis*. p. 105. c. 1. l. 59. *ecclesima* lege *ecclesiam*. p. 111. c. 1. l. 57. *non menbra* lege *esse menbra*. p. 124. c. 2. l. 12. *extinguibili* lege *inexstinguibili*. p. 139. c. 2. l. 21. *ipse* lege *ipsum*. p. 171. c. 2. l. penult. *externum* lege *externam*. p. 188. c. 2. l. 42. *coniunctus* lege *conuictus*. p. 206. c. 1. l. 21. *quidem* lege *quidam*. p. 226. c. 2. l. 15. post *genere*, adde, *ne*. p. 237. c. 2. l. 9. post *ista*, adde *esset*. p. 260. c. 1. l. 51. *paterus me* lege *pater meus*. p. 261. c. 2. l. 21. *accedit* lege *accidit*. p. 262. c. 2. l. 4 *fideratus* lege *consideratus*. p. 284. c. 1. l. 15. *peccati* lege *peccato*. p. 331. c. 1. l. 45. *positiue* lege *positiuus*. p. 349. c. 2. l. 41. *se* lege *si*. p. 367. c. 1. l. 39. *debetur* lege *detur*. p. 370. c. 2. l. 59. *planè* lege *non planè*. p. 371. c. 2. l. 19. *quirit* lege *requirit*.

